BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVII
G
53
NAPOLI

XVII
G
53

Digitized by Google

# SUMMA
# THEOLOGIÆ
# SCOTISTICÆ,

*IN QUA*

EX FIDEI LUMINE, S. SCRIPTURÆ
Oraculis, Eccleſiæ Traditionibus, ac Decretis,
ex SS. PP. ac Theologorum ſententia,
& rectæ rationis ductu,

*RELIGIONIS CHRISTIANÆ MYSTERIA,
Dogmata, Sacramenta, & Leges breviter, &
ſcholaſticè explicantur, & propugnantur ad
mentem Doctoris Subtilis*

A P. F. SEBASTIANO DUPASQUIER,
Min. Convent. S. Theologiæ Lectore Emerito,
Doctore, ac Provinciæ Seraphici Sancti
Bonaventuræ Exprovinciali
conſcripta.

*TOMUS II.*

De Myſterio Trinitatis, & de Angelis.

POST FATA RESURGO

PATAVII, Typis Seminarii. MDCCXX.
Apud Joannem Manfrè.
*SUPER. PERMISSU, ET PRIVILEGIO.*

Ad usu' Adm. R.di P.ris Ange=
li à Grumo =
Pertinet ad Conventu' S. M.æ
Carmeli S. Anthimi =

Digitized by Google

# INDEX
## DISPUTATIONUM, ET QUÆSTIONUM
### *HUJUS TOMI SECUNDI.*

## Tractatus II. de Myſterio Trinitatis.

DISPUTATIO I. DE *Perſonis, & Proceſſionibus Divinis in communi.* pag. 2.

QUÆST. I. *An, & quid ſit Trinitas in Deo.* ibid.
II. *De cognoſcibilitate Trinitatis, an poſſit cognoſci, & probari naturaliter.* 11
III. *De proceſſionibus Divinis, quæ, & quot ſint in Deo.* 19
IV. *An, & quomodò, & per quid diſtinguantur proceſſiones Divinæ.* 30
V. *De aliis differentiis, & vera, quidditate proceſſionum Divinarum, an, & quare una ſit generatio, & non altera.* 38
VI. *De principiis immediatè activis proceſſionum Divinarum.* 46
VII. *De terminis proceſſionum Divinarum.* 50
VIII. *An, & quid ſit Perſona, ſuppoſitum, ſubſiſtentia, hypoſtaſis, & ſubſtantia in Divinis.* 60
IX. *Per quid primò conſtituantur Perſonæ in Deo an per proprietates abſolutas, an per relativas.* 67
X. *Quot ſint ſubſiſtentiæ in Deo. An præter tres relativas admittenda ſit una abſoluta ex* par-

*parte Eſſentiæ.* 74
DISPUTATIO II. *De relationibus Divinis.* 80
QUÆST. I. *An, & quid ſint relationes in Deo.* ib.
II. *Quot, & quæ ſint relationes in Deo. An præter relationes originis dentur in Deo aliæ, v. g. ſimilitudinis, æqualitatis, &c.* 88.
III. *An, & quomodò relationes originis diſtinguantur in ſe, & ab Eſſentia.* 95
IV. *An relationes originis in ſe præcisè, & formaliter dicant perfectionem.* 106
V. *An ſingulæ relationes originis habeant proprias exiſtentias relativas præter exiſtentiam abſolutam Eſſentiæ.* 117
DISPUTATIO III. *De notionibus Divinis.* 12●
QUÆST. I. *An, & quid ſit notio in Divinis.* ibid.
II. *Quæ, & quot ſint notiones in Deo.* 124
DISPUTATIO IV. *De Perſona Patris.* 128
QUÆST. I. *An, & quomodo nomen Patris conveniat primæ Perſonæ.* ibid.
II. *An, & quomodò ingenitum, ſeu innaſcibilitas conveniat Perſonæ Patris.* 138
III. *De aliis proprietatibus, & notionibus primæ Perſonæ. An, & quo ſenſu dicatur fons, principium, ſeu initium, author, & cauſa Deitatis.* 138
IV. *An, & quid ſit potentia generandi in Patre.* 143
DISPUTATIO V. *De Perſona Filii, ſeu Verbi Divini.* 148
QUÆST. I. *De nominibus ſecundæ Perſonæ.* ibid.
II. *Ex quarum rerum intuitione generetur Verbum Dei, an ex cognitione creaturarum. Idem eſt de Spiritu Sancto quoad amorem.* 165
III. *Per quem actum intellectus generetur Verbum, an per intellectionem, an per dictionem.* 177
IV. *An generatio Verbi ſit voluntaria.* 185
DISPUTATIO VI. *De tertia Trinitatis Perſona, ſeu de Spiritu Sancto.* 191
QUÆST. I. *De exiſtentia, & nominibus Spiritus S.* ibid.

II. De proceſſione Spiritus S. an ſit à Patre, & Filio æquè primò, & æqualiter. 198
III. An Pater, & Filius ſint unum principium Spiritus Sancti, an poſſint dici duo ſpiratores, vel duo ſpirantes. 206
IV. An Spiritus Sanct. ex ſua ratione formali petat procedere à duabus Perſonis. 209
V. An, ſi Spiritus Sanct. non procederet à Filio, nihilominùs diſtingueretur ab eo. 214
VI. An Spiritus Sanct. producatur liberè, an neceſſariò. 227
VII. An, & quo ſenſu Pater, & Filius diligant ſe, & creaturas Spiritu Sancto. 231
DISPUTATIO VII. De circuminſeſſione, & miſſione Perſonarum Trinitatis Divinæ. 236
QUÆST. I. An, & quid ſit circuminſeſſio in Divinis. ibid.
II. An, & quid ſit miſſio in Divinis. 241
III. Quotuplex ſit miſſio, & de variis miſſionum modis. 247
DISPUTATIO VIII. De modis loquendi in Myſterio Trinitatis. 250
QUÆST. UNICA. Quænam propoſitiones vitandæ ſint, aut permittantur in materia Trinitatis. 251

## Tractatus III. de Angelis.

DISPUTATIO I. De exiſtentia, & eſſentia Angelorum. 257
QUÆST. I. An dentur Angeli, & quomodò probetur, quòd ſint. ibid.
II. Quando, & ubi creati ſint Angeli, de loco, & tempore creationis eorum. 263
III. Quid ſit Angelus, an ſubſtantia ſpiritualis, incorporea. 269
IV. An ſubſtantia Angeli ſit ſimplex, an compoſita ex materia, & forma. 275
V. De incorruptibilitate, ſeu immortalitate Angelorum. 280
VI. De pluralitate Angelorum ſpecifica, individuali, & graduali, ſeu Hierarchica. 287

DISPUTATIO II. *De intellectu Angelorum.* 303
QUÆST. I. *An, & qualis ſit intellectus Angeli, an diſtinguatur ab humano.* 304
II. *De objecto intellectus Angelici.* 312
III. *De medio cognitionis, ſeu de ſpeciebus Angelicis.* 336
IV. *Quales ſint ſpecies Angelicæ, an ſint univerſales, vel particulares.* 347
V. *De locutione Angelorum, an, & quomodò loquantur.* 356
VI. *De illuminatione Angelorum, an, & quomodo illuminentur ab aliis.* 372
DISPUTATIO III. *De voluntate Angelorum.* 377
QUÆST. I. *An, & quid ſit voluntas in Angelo.* 378
DISPUTATIO IV. *De loco, & motu Angelorum.* 386
QUÆST. I. *De loco Angelorum, & quomodò, & per quid ſint in loco.* 387
II. *Quantus ſit locus Angeli, an habeat terminum magnitudinis, & parvitatis.* 396
III. *An Angelus poſſit eſſe pluribi, aut plures in eodem loco.* 403
IV. *De motu Angelorum, an, & per quid moveantur localiter.* 409
V. *An motus localis Angeli poſſit eſſe inſtantaneus, & diſcretus, & an poſſit moveri in locum diſtantem impertranſito medio.* 418
DISPUTATIO V. *De duratione Ang. & ejuſdem menſura.* 426
QUÆST. I. *Utrùm eſſe Angeli menſuretur ævo.* ib.
II. *Quomodò Angelus diſtinguatur à ſua duratione, & de menſura ejus.* 431
III. *De menſura durationis operationum Ang.* 436
DISPUTATIO VI. *De miſſione Angelorum, & illorum operationibus ad extra circa corpora.* 440
QUÆST. I. *An, & qui Angeli mittantur ad homines.* ibid.
II. *An, & quomodò Angeli mittantur ad cuſtodiam hominum.* 445
III. *Qui ſint effectus cuſtodiæ Angelorum.* 452
IV. *De apparitionibus Angel. & Dæmonum.* 458

V.

V. *Quas operationes exercere poſſit Angelus in corporibus aſſumptis.* 466

DISPUTATIO. VII. *De gratia, & merito Angelorum.* 471

QUÆST. I. *Utrùm Angeli creati ſint in ſtatu gratiæ ſanctificantis.* ibid.

II. *An, & quomodò Angeli meruerint gratiam, & gloriam.* 482

III. *De tempore viæ Angelorum.* 491

DISPUTATIO VIII. *De peccato, & pœna Angelorum.* 494

QUÆST. I. *An, & quando peccaverint Angeli, an fieri potuerint impeccabiles, & an potuerint peccare in ipſo inſtanti creationis.* ibid.

II. *Quodnam fuerit peccatum Angelorum malorum.* 505

III. *Quis fuerit Lucifer, & alii Dæmones.* 521

IV. *An peccatores Angeli potuerint pœnitere, an eorum voluntas ſit immobiliter fixa in malo, ita, ut non poſſint velle bonum ullum.* 527

DISPUTATIO IX. *De pœna Dæmonum.* 541

QUÆST. I. *An, & quæ ſit pœna Dæmonum, ſeu malorum.* ibid.

II. *De pœnis poſitivis Dæmonum, an, & quomodo patiantur ab igne.* 445

III. *De pœnis damni, ſeu privativis.* 556

SUM

# SUMMA THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ.

## TRACTATUS II.

### *De Divina Trinitate.*

## PRÆFATIO.

D*EUS Lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ. In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Sed *caligo ſub pedibus ejus*, & quoad nos *poſuit tenebras latibulum ſuum*. Quod nuſquam verius experimur, quàm in hoc myſterio, in quo noſtra penitùs cæcutit ratio. *Inquirere de Trinitate, perverſa curioſitas eſt,* inquit S. Bernardus, [1] *credere, & tenere, ſicut S. tenet Eccleſia, fides, & ſecuritas eſt.* Et ut monet S. Auguſt. [2] *ubi quæritur unitas Trinitatis, Patris, Filii, Spiritus Sancti, nec periculoſiùs alicubi erratur, nec laborioſiùs aliquid quæritur, nec fructuoſiùs aliquid invenitur. Non pigebit modò, ſicubi hæſito, quærere..... Quiſquis ergo hoc legit, vel audit, ubi pariter certus eſt, pergat mecum, ubi pariter hæſitat, quærat mecum, ubi errorem ſuum cognoſcit, redeat ad me, ubi meum, revocet me. Ita ingrediemur charitatis viam, tendentes ad eum, de quo ſcriptum eſt; Quærite faciem ejus ſemper.* Hoc ego ſpiritu tractatum Trinitatis Divinæ aggredior, &, ne periculosè aberrem, Deus ipſe trinus, & unus *illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.*



[1] *Ser.* 1. [2] 1. *de Trin.*

# DISPUTATIO PRIMA.

## *De Perſonis, & proceſſionibus Divinis in communi.*

QUia totum hoc myſterium conſiſtit in hoc, quòd agnoſcamus in Deo unitatem Eſſentiæ, & Trinitatem Perſonarum inter ſe realiter diſtinctarum, quæ diſtinctio maximè fundatur in proceſſione, ſeu origine unius Perſonæ ab alia, ab his incipiendum eſt, an ſc. in Deo uno ſit aliqua pluralitas, unde id cognoſcatur, quid ſit Perſona, an ſint ibi proceſſiones, &c.

## QUÆSTIO I.

### *An, & quid ſit Trinitas in Deo.*

NOmine *Trinitatis* intelligimus exiſtentiam trium Perſonarum realiter inter ſe diſtinctarum in una indiviſibili Eſſentia Divina ſubſiſtentium; quarum. 1. dicitur *Pater*, & eſt Deus, 2. *Filius*, ſeu *Verbum*, & Deus eſt, 3. *Spiritus Sanctus*, & eſt pariter Deus, & tamen non tres Dii ſunt, ſed unus. Et quæritur hic, an res ita ſe habeat.

Plurimos paſſa eſt hæc veritas adverſarios, 1. *Ethnicos*, qui vel plures fingunt *Deos*, vel Trinitatem hanc prorſus ignorant, vel pertinaciter negant, 2. *Judæos*, qui hanc reſpuunt veritatem, & 3. Hæreticos, qui cum Perſonis dividunt, & multiplicant Deitatem, ut *Arriani*, & alii, vel cum unitate naturę Perſonas confundunt, & ſolis vocibus, ac officiis diſtinguunt, ut Sabelliani. Primi eſſent docendi rationis lumine, cùm non audiant Scripturas Divinas. 2. textibus veteris Teſtamenti, cujus ſolius auctoritatem agnoſcunt, & 3. Oraculis utriuſque, quia fingunt ſe utrumque audire. *Certum enim eſt, quòd omnis Scriptura veteris, & novi Teſtamenti, ſi Catholicè intelligatur, hoc inſinuat, quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus unus ſit Deus, & unius ſubſtantiæ*, inquit idem Auguſtinus. [1]

Fatendum tamen eſt, quòd obſcuriùs de his loqui-

tur

[1] *Ibid.*

tur vetus Teſtamentum, quàm novum, in quo Chriſtus [1] *palam de Patre ſuo annuntiat nobis*. At [2] *Hebræorum conatus eſt ſervare mandata decalogi*, inquit S. Greg., [3] *de cognitione autem Trinitatis eruditus non eſt*, ille populus. Quia, inquit Theodoretus, [4] *cum in Ægypto diù manſiſſent, multorumque Deorum cultus ibi didiciſſent ritu Ægyptiaco, ſapientiſſimus Deus nequaquam illis manifeſtè, apertaque prorſus oratione Trinitatis myſteria tradidit, ne propoſitam ſibi eſſe Deorum multitudinem arbitrantes, occaſionem hinc haberent ad impietatem Ægyptiacam declinandi. Trinitatis tamen dogmata ne tunc quidem venturis in poſterum penitùs occultavit. In antiquis enim Scripturis perfectioris Theologiæ materiam quaſi ſemina quædam diſperſit*. His prænotatis ſit

## CONCLUSIO I.

D*Atur verè Trinitas perſonarum in Deo illæſa eius naturæ unitate.* Eſt de fide contra præfatos Ethnicos, Judæos, & Hæreticos.

Probatur 1. ex Script. veteris Teſtamenti contra Judæos. 1. quia loquitur de Deo tàm ſingulariter, quàm pluraliter; ergo docet in unitate Deitatis eſſe aliquam pluralitatem, ſc. unitatem Eſſentiæ, & pluralitatem Perſonarum. Probatur ant. Narrans creationem hominis, dicit Deus; (5) *Faciamus hominem ad imaginem noſtram.... Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi....* &, *Venite, deſcendamus, & confundamus linguas*, &c. Ecce colloquium inter plures. Et idem tribuitur uni Deo, quippe *ad imaginem ſuam creavit eos*, ſc. virum, & fœminam, Et *formavit Deus hominem de limo terræ*, &, *Diviſit eos Dominus*.

2. Abrahæ apparent, & loquuntur tres Perſonæ, & ipſe illos, ut unum, adorat. (6) *Apparuit ei Dominus*, ſc. in ſingularitate Deitatis, &, *Apparuerunt ei tres viri*, & ipſe ut uni reſpondet, *Domine ſi inveni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas*, &c. Iterùm pluraliter, (7) *Cumque comediſſent, dixerunt*, iterumque ſingulariter Deus dixit: *Revertens veniam ad te.... Dixit Dominus ad Abraham*, &c. *Quòd tres*



[1] *Jo.16.* [2] *Ro.16.* [3] *Ezech.* [4] *l.2. ad Græcos* [5] *Gen.1. & 11.* [6] *Gen.18.* [7] *ibid.*

*viri ſunt*, ait Auguſt. *Nec quiſquam in eis vel forma, vel ætate, vel poteſtate major cæteris dictus eſt, cur non hic accipiatur, viſibiliter inſinuatam per creaturam Trinitatis æqualitatem, atque in tribus Perſonis unam, eamdemque ſubſtantiam?*

3. In triplici repetitione Deitatis oratur, & ſub *Verbi*, ac Spiritus nomine, ut cùm dicit: [1] *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus*, & cùm Seraphim clamant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*. Nam inquit Ambroſ. [2] *Quid ſibi vult ſub uno nomine ſanctitatis trina repetitio? ſi trina repetitio, cur una laudatio, niſi quia Pater, & Filius, & Spiritus ſanctitate unum ſunt?* &c.

4. Idem colligit S. Hieron. ex illo loco Iſaiæ, (3) *Ex tempore, antequàm fieret, ibi eram, & Dominus miſit me, & Spiritus ejus, Ideò, quando fiebant omnia à Patre, ſemper eram cum Patre, & in Patre, & ſine Patre nunquam eram....* &, *Dico, quòd Dominus miſit me, & Spiritus ejus*. Ex his, & ſimilibus locis veteris Teſtamenti colligitur Trinitas Perſonarum in uno Deo ad convincendos Judæos.

Probatur 2. ex novo. Nam 1. Chriſtus jubet baptizari [4] *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Vox *nomine* notat unitatem potentiæ, ac Deitatis. Ideò Arriani eam omittebant in Baptiſmo, quia unitatem, & æqualitatem in Perſonis Divinis negabant. [5] 2. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt*. Quæ adeò clara ſunt, ut Arriani conarentur hunc locum depravare, vel delere de textu novi Teſt. & dicerent illum non reperiri, niſi apud S. Hieronymum, (6) quamvis legatur apud Hyginum Papam, (7) qui vivebat an. 138. & S. Cyprianum, qui circa an. 250.

3. In Baptiſmo Chriſti D. apparent tres ipſæ Perſonæ, ſc. Verbum ipſum incarnatum, dum baptizatur, Pater, qui auditur dicens, *Hic eſt Filius meus*, & Spirit. Sanct. qui *ſicut columba ſuper eum manſit*. Et ipſe Chriſtus dicit, [8] *Ego, & Pater unum ſumus*. Nam inquit Auguſtinus, [9] *Quod dixit, unum*,

[1] *Pſ.* 67. [2] 2. *de fid.* 4. [3] *Iſa.* 48. [4] *Matth.* 38.
[5] 1. *Jo.* 5. [6] *Præf. Ep. canon.*
[7] *Ep.* 1. *de unit. Eccle.* [8] *Jo.* 5. [9] *Tr.* 6. *in Jo.*

*num*, *liberat te ab Arrio* (qui negat unitatem eſſentiæ Filii cum Patre) *quod dixit*, *ſumus*, *liberat te à Sabellio* (qui negat diſtinctionem Perſonarum) *ſi unum*, *non ergo diverſum*, *ſi ſumus*, *ergo & Pater*, *& Filius*, *ſumus enim non diceret de uno*. Ita, *Ego rogabo Patrem*, *& alium Paraclitum dabit vobis*, *Spiritum veritatis*. Et, *Paraclitus Sp. San. quem mittet Pater in nomine meo*. Et, *Cùm venerit*, *quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis*. Hæc omnia clariſſimè Trinitatem Perſonarum in una Eſſentia probant. Et plura videbimus infrà de ſingulis Perſonis.

Probatur 3. ex doctrina, & traditione Eccleſiæ, à cujus ortu uſque ad præſens hęc veritas definita eſt, tam apud Græcos, quàm Latinos, & Hæretici contradicentes exploſi. Auctoritates affert Coccius, & patet ex Symbolis Apoſtolico, Nicæno, & Athanaſii. Et, ut dicebamus ex Auguſtino, [1] *omnis Scriptura veteris*, *& novi Teſtamenti*, *ſi catholicè intelligatur*, *inſinuat*, *quod Pater*, *& Filius*, *& Spiritus Sanctus ſunt Deus*, &c.

Probatur 4. In Deo ſunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; ſed quilibet illorum eſt Deus, & Perſona diſtincta in una ſimpliciſſima Natura Deitatis; ergo in Deo datur vera Trinitas Perſonarum, illæſa unitate Naturæ. Maj. patet ex Scripturis, & traditione citatis. Min. etiam patebit ex dicendis de ſingulis in particulari, & de illarum diſtinctione, & ex objectionum ſolutione.

Objicies 1. ex Script. Deus dicitur unus, & ſolus, ergo excludit omnem pluralitatem. Prob. ant. (2) *Videte, quòd ego ſim ſolus*. Et [3] *Tu es Deus ſolus*, & Dominus *unus eſt*, &c.

Reſpondeo diſt. ant. Unus, & ſolus quoad Naturam, Eſſentiam, & Deitatem, con. quoad Perſonas, neg. ant. & conſ. Nam Scriptura loquitur de unitate, & ſingularitate Naturæ, non verò Perſonæ. Ideò Chriſtus ipſe dicit: [4] *Solus non ſum*, *ſed ego*, *& qui miſit me Pater*.

Inſt. 1. In ſcriptura non legitur vox *Trinitatis*; ergo ex Scriptura nulla eſt *Trinitas* in Deo.

Reſpondeo diſt. ant. Vox Trinitatis formaliter, & ex-



[1] *L. 1. cap. 4. Ser. 38. Tem.* [2] *Deut. 6. & 32.* [3] *Pſ. 85.* [4] *Jo. 8.*

expreſsè, con. æquivalenter, & virtualiter, neg. ant. Nam in locis allegatis, & aliis docemur exiſtentiam Trinitatis in Deo uno.

Inſt. 2. Concilia Ariminenſe, & Smyrnenſe non admittunt in Deo tres Hypoſtaſes; ergo neque tres Perſonas. Nam Perſona, & Hypoſtaſis idem ſunt.

Reſpondeo neg. conſ. & diſt. rationem ejus. Idem ſunt ex communi uſu Eccleſiæ ab illis temporibus, con. ex uſu Patrum illius temporis, & Arianorum, neg. ant. Nam Patres illius temporis nomine *Hypoſtaſis* intelligebant ſubſtantiam, quæ non eſt triplex in Deo; jam verò intelligimus ſubſiſtentiam, ſeu perſonalitatem, quæ non eſt propriè ſubſtantia, ſed modus quidam ſubſtantiæ, & ideò liberè, & firmiter admittimus tres Hypoſtaſes in Deo.

Objicies 2. Pater, & Filius non dicitur niſi una Perſona. (1) *Ego, & Pater unum ſumus*. Et, *Ego in Patre, & Pater in me eſt*. Et, *Omnia, quæ habet Pater, mea ſunt*. Et, *Omnia mea tua ſunt, & tua mea ſunt*. Et (2) *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*; ergo nulla ibi eſt diſtinctio, nec pluralitas.

Reſpondeo neg. conſ. imò ex his contrarium inferunt SS. Patres. Nam 1. Idem non dicitur eſſe in ſe ipſo. 2. Non dicit *unum*, vel *unus ſum*, ſed *ſumus*, ſcilicet in pluralitate Perſonarum. 3. Dare, & accipere non dicitur, niſi ad minus de duobus, nemo ſibi tradit, communitas bonorum non dicitur, niſi inter plures, nemo ſibi pater, & filius. Et *Omnia, quæ Patris ſunt, ipſe Pater unigenito Filio ſuo gignendo dedit præter eſſe Patrem*, inquit Concilium Florentinum. (3)

Objicies 3. SS. Patres ſolis nominibus Perſonas diſtinguunt; ergo non ſunt realiter plures in Deo. Prob. ant. Nam, inquit Nazianzenus, (4) *Unam Dei Eſſentiam, & Naturam, & appellationem eſſe, licèt per cogitationes quaſdam diſtinctas nomine quoque diſtinguantur*. Et ſic de aliis; ergo, &c.

Reſpondeo neg. ant. & conſ. prob. Nazianzenus ibi loquitur de Perſonis, quoad ſimilitudinem, æqualitatem, & identitatem Eſſentiæ, & Attributorum, quæ ſe tenent ex parte Eſſentiæ. In his enim non diſtin-

[1] *Jo.* 16. [2] *Matth.* 11. [3] *Lit. uni.*
[4] *Orat.* 35.

ſtinguuntur perſonæ, ſaltem realiter, ſed unum ſunt, niſi fortè quoad nomina, & per appropriationem. Non loquitur de Perſonis formaliter, & quoad relationes ipſius paternitatis, filiationis, & ſpirationis, per quas diſtinguuntur realiter. Nam, inquit Nazianz. (1) *Nemo pro una Perſona poteſt dicere, Unum ſunt, &c. Paris impietatis eſt vel Sabellii more Perſonas connectere* (ſeu confundere) *vel Arii inſtar Naturas diſtinguere, & ſeparare.*

Inſt. SS. PP. unitatem perſonarum in Natura comparant unitati Naturæ creatæ ſpecificæ in ſingularibus, verbi gratia humanitatis in Petro, & Paulo; ſed hæc unitas eſt tantùm ſimilitudinis, & ſtat cum pluralitate reali humanitatum; ergo ita eſſent in Deo plures Naturæ, ſi eſſent plures Perſonæ. Prob. maj. ex eodem Nazianz. (2) *Sicut in Adam, & Abel una humanitas, eodem modo in Patre, & Filio Deitas una eſt*. Eadem comparatione utuntur Juſtinus, Athanaſius, & alii.

Reſpondeo diſt. maj. Comparant quoad ſimilitudinem analogicam, & imperfectam, con. quoad paritatem adæquatam, neg. maj. & conſ. Sic loquebantur Patres contra Arrianos, & ſimiles Hæreticos negantes æqualitatem Filii cum Patre, & hanc probabant ex ſimilitudine, & æqualitate Abelis cum Adamo in natura, & quoad eſſentialia, non quoad identitatem, & unitatem individualem, qualis eſt in Deo.

Objicies 4. Trinitas Perſonarum repugnat; ergo non eſt admittenda. Prob. ant. ex vulgari axiomate, *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*; Sed per nos, tres Perſonæ ſunt idem in Eſſentia; ergo & inter ſe.

Reſpondeo neg. ant ad prob. vide, quæ diximus in Logica de illo axiomate. Pro nunc diſt. maj. cum Scoto. (3) Sunt eadem inter ſe, illa identitate, qua ſunt eadem illi tertio, con. alia identitate, neg. maj. Et diſtin. min. Perſonæ ſunt idem uni tertio, realiter eſſentialiter, con. hypoſtaticè, & formaliter, neg. min. & conſ. Nam Perſonalitates diſtinguuntur formaliter à parte rei ab Eſſentia, & eſſentialiter, & rea-



[1] *Or.* 49. & 35. [2] *L. de fide.*
[3] 1. *d.* 2. *q.* 7. *n.* 4.

realiter tantùm illi identificantur, inter ſe ſunt idem eſſentialiter, non verò perſonaliter, & hypoſtaticè.

Reſp. 2. diſt. eandem maj. Sunt eadem inter ſe, niſi talis identitas eis repugnet ex ratione ſua formali, conc. ſi ſic repugnet illis, neg. maj. & conſ. Nam identitas realis repugnat Perſonis Divinis ex ratione formali ſingularum, ſc. paternitatis, & filiationis, & ſpirationis. Repugnat enim eidem Perſonæ, ut ſit generans, & genita reſpectu ſui ipſius, & ut eadem ſit ſpirans, & ſpirata ſuimet. Unde abſolutè illud axioma non valet in Divinis.

## CONCLUSIO II.

T*Res tantùm ſunt, vel poſſunt eſſe Perſonæ in Deo*. Eſt etiam de fide, & ſequitur ex præcedenti.

Prob. 1. p. 1. ex Script. in qua fit mentio de tribus, & non de pluribus; ergo tot ſunt, & non plures. Prob. ant. Nam Perſona Patris ſemper exprimitur ſingulariter, [1] *Pater noſter, qui es in cœlis*. Ita & Filius, [2] *Qui unigenitus eſt in ſinu Patris*. Ita & Spiritus Sanctus, *qui in uno Spiritu eſt unus, atque idem Spiritus*. Et, [3] *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo*, &c. ergo non ſunt plures.

Prob. ex definitionibus, & traditionibus Eccleſiæ. Nam in Symbolo Athan. *Unus eſt Pater, non tres Patres*, &c. & ex Concil. Florent. [4] *Una quædam ſumma res eſt, quæ veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanct. tres ſimul perſonæ*, &c. Et S. Ignatius ſcribebat ad Philipp. *Unus Deus Pater, non duo, vel tres ... unus quoque Filius Dei Verbum ... Iterum ergo neque tres Patres, neque tres Filii, neque tres Paracliti*, &c. Ex S. Baſil. [5] *Sic in Trinitate unitatis ratio conſervabitur, ſi unum Patrem, unum Filium, & unum Spiritum Sanctum*, &c.

Prob. 3. ex dicendis de proceſſionibus. Tot ſunt in Deo Perſonæ, & non plures, nec eſſe poſſunt, quot ſunt, & eſſe poſſunt productæ, & improductæ: Sed una ſola poteſt eſſe improducta, & duæ productæ; ergo ſunt tres, nec plures eſſe poſſunt.

Prob.

[1] *Jo. 1. & 3.* [2] *1. Cor. 12.* [3] *Jo. 5.*
[4] *C. Damnam.* [5] *4. cont. Eunom.*

Prob. min. Si poſſent eſſe plures improductæ, poſſent eſſe, & eſſent infinitæ, quia infinitæ non magis repugnarent, quàm duæ.

Confirm. quia plures improductæ eſſent ejuſdem, vel diverſæ ſpeciei numero diſtinctæ: ſed hoc dici non poteſt, alioqui eſſent plura infinita, quorum nullum includeret perfectiones alterius, quod repugnat infinitati, & unitati Dei, ergo, &c. Confir. 2. quia nulla eſt neceſſitas talis multiplicationis; ergo &c.

Prob. eadem min. quoad Perſonas productas. Non ſunt niſi duo principia productiva adæquata, ſc. intellectus, & voluntas, ergo & duæ productiones; ergo & duo producta adæquata. Hoc magis patebit ex dicendis de proceſſionibus.

Prob. 2. p. de poſſibili. Nam in Deo idem eſt *poſſe*, & *eſſe*; ergo ſi poſſent eſſe plures perſonæ, quàm tres, tot eſſent de facto, & quidem neceſſariò.

Objic. 1. Tot ſunt Perſonæ in Deo, quot relationes conſtitutivæ: ſed ipſæ ſunt quatuor; ergo & illæ. Prob. min. In Deo ſunt paternitas, filiatio, ſpiratio activa, & paſſiva; ergo ſunt quatuor relationes conſtitutivæ. Prob. conſeq. Sicut generatio activa conſtituit Patrem, ita ſpiratio activa debet conſtituere unum Spiratorem, & alium Spiratum, ſeu Spiritum ſanctum; ergo, &c.

Reſp. neg. min. 1. argum. conſeq. 2. & ant. 3. Nam generatio activa conſtituit Perſonam, non verò ſpiratio activa, quia illa non invenit Perſonam conſtitutam, ſicut ſpiratio activa, quæ ſupponit Patrem generantem, & Filium genitum; & ideo non conſtituit novam perſonam.

Inſt. Generatio paſſiva, & ſpiratio paſſiva conſtituunt diſtinctas perſonas; ergo & generatio, & ſpiratio activa.

Reſp. neg. conſ. Nam generari, & ſpirari repugnant eidem ſuppoſito, non autem generare, & ſpirare, quæ conveniunt eidem ex diverſis principiis formaliter, qualia ſunt intellectus, & voluntas.

Objic. 2. Filius eſt æqualis Patri in potentia, & virtute; ergo tam poteſt generare alium Filium, quàm Pater. Idem eſt de Spiritu ſancto quoad ſpirationem activam, ergo tàm Filius poteſt generare, quàm Pater, & idem eſt de Spiritu Sancto.

Reſp. diſt. ant. Æqualis in virtute eſſentiali, quæ dicat perfectionem poſitivam, & quæ ſibi non repugnet ex ratione ſua formali, & perſonali, conc. antec. in potentia notionali, ſeu perſonali, & quæ non dicit perfectionem poſitivam, quæque repugnat rationi perſonali, neg. ant. & conſeq. Pater, & Filius ſunt æquales in omni perfectione, quæ ſe tenet ab Eſſentia, ſed in ratione talis Perſonæ, v. gr. Filii, repugnat illi generatio activa. Pater communicat illi omnia præter eſſe Patrem, quæ eſt ratio notionalis, & ita eſt de Spiritu Sancto reſpectu Patris, & Filii, à quibus ſpiratur. Et, ut dicemus infra, relationes non dicunt perfectionem poſitivam. Ideò licèt Pater generet, non autem Filius, id non facit inæqualitatem, ſed nudam differentiam.

Inſt. ex Auguſt. (1) Filius poſſet generare, licèt non generet; ergo poſſent eſſe plures Perſonæ. Prob. ant. *Non enim Pater eſt potentior Filio, quia genuit creatorem* (ſc. Filium) *Filius autem non genuit creatorem*, (ideo alium Filium) *neque enim non potuit* (gignere) *ſed non oportuit;* ergo gignere poſſet, ſi oporteret.

Reſp. neg. ant. & conſeq. prob. Nam Aug. loquitur de potentia eſſentiali, non de notionali, & cùm dicit, *non oportuit*, idem eſt, ac ſi diceret, non potuit, nec debuit ex ratione ſua perſonali. Nam omne, quod in Deo eſt, ſummè eſt neceſſarium, & ſi potuit gignere, oportuit, & fecit.

Objic. 3. Generatio, & fœcunditas potiùs eſt ab Eſſentia, quàm potentia, v. g. ab intellectu, ſed Eſſentia tam eſt in Filio, quàm in Patre; ergo & fœcunditas. Imò & ipſa Eſſentia debet aliquid producere. Nam in creatis generatio eſt à natura.

Reſp. diſt. maj. Eſt ab Eſſentia, ut à principio *quo*, & inadæquato, conc. ut à principio *quod*, & adæquato, neg. maj. & conſeq. Eſſentia cum intellectu eſt principium adæquatum *quo* generationis, Pater verò eſt principium *quod* generationis. Nec valet paritas de creatis corporalibus, quæ non generant per intellectum, & voluntatem, ut Deus.

QUÆ-

[1] *L.3. contra Maximum.*

# QUÆSTIO II.

### *De cognoſcibilitate Trinitatis. An poſſit cognoſci, & probari naturaliter.*

DIximus aliàs ſupernaturalitatem rei non peti per ordinem ad ſubjectum, ſed ad agens. Ideo cognitio Trinitatis reſpectu intellectus noſtri, in quo recipitur, ſemper eſt naturalis, quia eſt juxta ejus inclinationem, & aptitudinem paſſivam. Quærimus ergo de virtute elicitiva talis cognitionis, ita ut intellectus noſter propriis viribus poſſit attingere hoc myſterium, aut illud probare evidenter, & hoc poſitivè, & directè per rationes aſſertivas, aut ſaltem negativè ſolvendo evidenter, quæ contra illud objici poſſunt, aut ſaltem illud utcumque ſuadere conjecturis, & motivis probabilibus.

Videntur Philoſophi aliqualem habuiſſe hujus veritatis notitiam, quia, ut notant plerique SS. Patres, Plato agnoſcit *mentem genitam*, per quam alia fecit, & aliam velut perſonam, quam vocat *animam mundi*. Et S. Auguſt. dicit, ſe legiſſe in libris ejus æquivalentibus verbis, quòd *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Et Mercurius, ſeu Triſmegiſtus ait, (1) *Mens Deus ambiſexus exiſtens, vitæ, & luminis auctor peperit verbo aliam mentem opificem, quæ Deus ignis eſt, ac ſpiritus.* Et *Monas genuit Monadem, & in ſe reflexit ſuum amorem*. Et Zoroaſtes, *Monas genuit Duadem, & in toto mundo lucet Trias*. Et Sybillis multa ſimilia dicta tribuuntur, & aliis, qui hæc nonniſi naturaliter dicere potuerunt, cùm carerent lumine Fidei.

Porro verum eſt, non poſſe haberi aliqualem notitiam Trinitatis naturaliter, v. gr. ex fide humana, ut ſi audiamus aliquem de illa diſſerentem, & illi aſſentiamur ob dicentis auctoritatem, vel ob qualeſcumque rationes ejus, ſive ex motivis Fidei divinæ, ut Chriſtiani auditores credunt Parochis ſuis, à quibus audiunt id fuiſſe revelatum à Deo, ſive ex aliis. Sed quæſtio eſt, an hæc veritas poſſit evidenter demonſtrari rationibus ex lumine natu-



[1] 17. *Pymam.*

rali petitis, ita ut convincere poſſint homines ratione utentes, an ſaltem congruentiis aliquot ſuaderi; an verò ſit ita extra ſphæram luminis naturalis, ut videatur potiùs ei contraria, nec poſſint ſolvi, quę contrà opponuntur.

Dupliciter probari poteſt aliqua veritas, 1. *poſitivè*, & *directè*, & *demonſtrativè* per rationes aſſertivas, quibus invincibiliter trahitur intellectus ad aſſenſum, quòd res illa ſit, 2. *negativè*, repellendo evidenter ea, quibus impugnatur. Nam ex illa confutatione ſequitur convincens aſſertio quaſi poſitiva hoc argumento, *Quidquid evidenter non repugnat, nec dicit imperfectionem in Deo, eſt illi tribuendum; ſed ex reſponſis evidẽs eſt non repugnare Trinitatem in Deo; ergo in Deo eſt Trinitas, & quidem evidenter.*

## CONCLUSIO I.

*Trinitas Divina non poteſt demonſtrari poſitivè à priori, nec à poſteriori, nec negativè, ſicut nec impugnari demonſtrativè.* Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. (1) *Non poteſt aliquis modò ex naturalibus attingere ad ſic intelligendum Trinitatem in Divinis, quia non poteſt ſcire illud de cauſa per effectum demonſtratione quia ... & dico, quòd non poteſt modò anima attingere ad ſciendum propter quid Deum eſſe Trinum.*

Prob. 2. ex Script. & PP. (2) *Nemo novit Filium, niſi Pater, neque Patrem, niſi Filius.* Et Iſaias dicebat, (3) *Generationem ejus quis enarrabit?* Ideſt, inquit Ambroſ. *mihi impoſſibile eſt generationis ejus ſcire ſecretum, mens deficit, vox ſilet, non mea tantùm, ſed & Angelorum.* Et Auguſtinus docet, (4) *Philoſophos non pertigiſſe uſque ad notitiam tertiæ Perſonæ.* Et Epiphan. dicit, quòd hæc revelat Deus per Spiritum Sanctum, *Non iis, qui de ipſo per ſyllogiſmos ratiocinantur, ſed qui in ipſum perfectè, & legitimè credunt.* Sic Chriſtus Petro confitenti filiationem ejus Divinam dicit, (5) *Caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus.* Nam inquit Cyrillus Alexand. *Filii Dei cogni-*

(1) *quodl.* 14. *I.n.*9. (2) *Matt.*11.*& Luc.*10.
(3) *Iſa.*53. (4) *in ep. ad Rom. hær.*76.
(5) *Matth.*16.

*cognitio cœleſte, divinæque inſpirationis donum eſt.* Et idem docent communiter alii SS. Patres, qui myſterium hoc dicunt ineffabile, & inſcrutabile.

Prob. 3. ex eodem Scoto. Et 1. de demonſtratione à priori, quia Deus, nec quidquam in Deo exiſtens habet cauſam, cùm ſit actus puriſſimus, & penitùs à ſe, & ſummè neceſſe eſt; ergo Trinitas cognoſci non poteſt per cauſam. 2. De demonſtratione à poſteriori, quia Deus ad extra non agit, niſi per potentiam, & voluntatem, & ut unus Eſſentia, ita ut præciſa per intellectum, vel prorſus ignorata Trinitate adhuc agnoſceretur omnipotens, & cauſa prima rerum omnium, & ad extra agit contingenter; ergo ex nullo effectu poteſt cognoſci Trinitas Divina.

Confirm. Quia nulla creatura repræſentat Trinitatem in unitate naturæ, ſed potiùs occultat, ut diſcurrenti per ſingulas facilè patebit; ergo ex nullo effectu poteſt demonſtrari.

Prob. 4. Si per ullam rationem poſſet demonſtrari Trinitas, maximè per illas, quæ communiter afferuntur: ſed illæ non convincunt, ut patebit ſolutione illarum in objectionibus. Nam Scotus, & Lullus afferunt apparentiores, quæ poſſint excogitari, & facilè ſolvuntur, ergo &c.

Confirm. Nam cùm SS. PP. in Conciliis damnant, vel impugnant Arrianos, & Sabellianos, & alios errores contra Trinitatem, non arguunt ex ratione naturali, ſed ex Scriptura, aut traditione, ergo non putarunt aliter probari poſſe.

Prob. 2. p. de demonſtratione negativa, tum quia hæc non probat, tùm quia, ſi ex ullo capite poſſet probari non repugnantia Trinitatis, probaretur etiam poſitivè ejus poſſibilitas, & ex poſſibilitate probaretur exiſtentia; ſed conſ. eſt falſum, ut patet ex 1. p. ergo &c. Prob. maj. Inter poſſibile, & impoſſibile non datur medium, ſicut nec inter eſſe, & non eſſe; ergo eadem evidentia, qua demonſtraretur Trinitatem non implicare, demonſtraretur, eam eſſe poſſibilem, & exiſtere.

Confirm. Exiſtentia Trinitatis non demonſtratur naturaliter; ergo nec poſſibilitas. Prob. conſ. Nam faciliùs cognoſcitur exiſtentia, quàm poſſibilitas; ergo &c. Prob. ant. Exiſtentia plus habet realitatis, & entis; ergo & plus cognoſcibilitatis.

Prob. 3. par. 1. Quia falſum non poteſt demonſtrari ut verum; ſed impoſſibilitas Trinitatis eſt falſa; ergo non poteſt demonſtrari ut vera. 2. quia non exiſtentia Trinitatis non eſt evidens; ergo multò minùs impoſſibilitas ejus; quia ſicut exiſtentia Divinorum infertur ex eorum poſſibilitate, ita & impoſſibilitas ex eorum non exiſtentia. Quam autem evidentiam poſſemus habere falſitatis, ut eſt non exiſtentia Trinitatis.

Objic. 1. con. 1. par. Trinitas Divina non eſt extra objectum adæquatum intellectus; ergo eſt naturaliter cognoſcibilis. Ant. patet, quia continetur intra latitudinem entis. Probatur conſ. Omnis potentia non impedita poteſt naturaliter attingere omne id, quod continetur ſub primo ſuo objecto; ſed Trinitas ſic continetur, ſc. ſub ente; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. & diſt. maj. prob. Poteſt naturaliter attingere omne id, quod continetur ſub objecto naturalis attingentiæ, con. attingentiæ ſupernaturalis, neg. maj. & conſ. Nam licèt Trinitas contineatur ſub ente, & iſtud ſit objectum adæquatum intellectus, tamen non omne ens eſt naturaliter attingibile; ita nec Trinitas Divina.

Objic. 2. Plures Philoſophi agnoverunt Trinitatem, ut diximus, ſed hæc notitia fuit naturalis; ergo poſſibilis eſt naturalis notitia Trinitatis Divinæ. Probatur min. quia illi non habuerunt lumen fidei, nec eis fuit revelata divinitùs, ut nobis.

Reſp. neg. min. & ant. prob. Nam hæc potuerunt eis revelari lumine gratiæ actualis, vel ex revelatione mediata per libros Moyſis, & prophetarum, ut dicitur de Platone.

Reſp. 2. diſt. maj. Agnoverunt imperfectè, implicitè, & quaſi ſuſcipiendo, aut divinando, con. certò, & diſtinctè, neg. maj. & conſ. Nam obſcuriſſima, & implicitiſſima ſunt, quæ de hoc myſterio dixerunt, & erroribus potiùs, quam veritati viam fecerunt.

Objic. 3. In omnibus creaturis ſunt veſtigia Trinitatis, maximè in homine, quem creavit Deus *ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam*; ſed ex veſtigiis, & imagine agnoſcitur naturaliter prototypus; ergo &c.

Reſpondeo 1. diſt. maj. Eſt imago, & id ſcimus ex fide, & ſupernaturaliter, conc. id ſcimus per rationem na-

naturalem, neg. maj. & conſ. Ex ſola fide ſcimus, hominem factum ad imaginem Dei, & imago illa non ſatis clarè nobis exhibet Deum.

Reſp. 2. diſt. min. Cognoſcitur prototypus naturaliter quoad aliquos conceptus communes potentiæ, v. g. ſapientiæ, unitatis &c. con. quoad conceptus proprios, & quidditativos diſtinctos, neg. min. Ex homine prædito intellectu, & voluntate in anima ſpirituali ſcimus Deum eſſe ſpiritum intelligentem, & volentem, non verò eſſe trinum in perſonis realiter inter ſe diſtinctis. Imò neque valdè certò ſcimus, nos eſſe informatos ſpiritu, nec immortales, &c (1)

Objic. 4. Scotus ex ratione naturali demonſtrare prætendit duas proceſſiones in Deo. Et idem præſtat Raymundus Lullus; ergo & Trinitatem. Ant. patet ex dicendis de proceſſionibus, quas demonſtrat ex principiis earum, ſc. intellectu, & voluntate.

Reſp. neg. ant. & prob. conſ. Nec enim Scotus prætendit rationes ſuas eſſe demonſtrativas, nec purè naturales, nec ſunt naturales purè. Nam ſicut intellectus, nec voluntas non producunt terminos ſibi realiter identificatos, nec ſubſtantiales; ita eſſet in Deo, quantùm ex nobis diſcimus. Neſcimus etiam ex nobis, cur illæ Perſonę productę non producant alias æquè, ac Pater, &c.

Objic. 5. ex Lullo, Deus eſt perfectè beatus; ſed non poſſet eſſe perfectè beatus, ſi eſſet ſolus, & ſi non produceret ſibi ęqualem, cui communicaret ſuam bonitatem, & gaudiũ; ergo in Deo non eſt ſola Perſona, ſed ſunt tres, quia ſicut unam producit per intellectum, ſic & aliam per voluntatem.

Reſp. diſt. min. Non eſſet perfectè beatus, & id cognoſcitur ſupernaturaliter, con. id cognoſcitur naturaliter, neg. min. & conſ. Imò ratio naturalis docet, Deum Patrem non generare Filium ex indigentia, nec ut ſit beatus, ſed ex fœcunditate, & quia eſt beatus, alioqui non generaret ut Deus.

Objic. 1. con. 3. par. Tam evidens eſt, Deum [illegible] eſſe trinum, quàm eſſe unum; ſed demonſtratur naturaliter eum eſſe unum; ergo & [illegible] eſſe trinum. Probatur maj. Nam oppoſitorum eadem eſt diſciplina.

Reſp. diſt. maj. Non eſſe trinum in Eſſentia, & Deitate

(1) *1. d. 2. q. 7. B. n. 3.*

tate, con. in Perſonis, neg. maj. & conſ. Nam eſſe unum in Deitate, & trinum in Perſonis, non opponuntur, ſed convertuntur in Deo.

Inſt. Unitas Perſonæ tàm eſt perfectio in Deo, quàm Naturæ, & Deus eſſet perfectior in utraque unitate; ergo ita eſſe demonſtratur.

Reſp. neg. ant. Nam pluralitas Perſonarum arguit in Deo uno infinitam fecunditatem, & majorem vim unitatis, & ideo majorem perfectionem.

Objic. 2. Evidens eſt naturæ lumine, Deum eſſe à ſe; ergo & nullam in eo Perſonam eſſe ab alia, nec ab alia produci; ergo & evidens eſt, non eſſe in Deo illam Trinitatem Perſonarum per productiones unius ab alia. Probatur con. Nam eſſe à ſe, & eſſe productum ab alio, opponuntur.

Reſp. diſt. ant. Eſſe à ſe per independentiam, & eſſentiam, con. ſecundum ſubſtantiam perſonalem, & ſine ulla dependentia, & in virtute ſubſtantiæ, neg. ant. Imò id admirabilius eſt. Filius autem, & Spiritus Sanctus producuntur ſecundùm ſubſiſtentiam perſonalem cum omnimoda æqualitate, & unitate ſubſtantiæ cum producente.

## CONCLUSIO II.

*Trinitas Divina ne quidem ex principiis fidei poteſt evidenter agnoſci, aut demonſtrari, ſed tantum probabiliter ſuaderi.* Eſt communis.

Prob. 1. p. 1. ex Scoto. [1] Nam *circumſcripta per impoſſibile Trinitate haberetur, quod neceſſarium eſt Deo ad cauſandam creaturam.* Et ne quidem fides oſtendit nobis quidquam in creatis, ex quo poſſit evidenter demonſtrari Trinitas.

Prob. 2. ex Patribus. Nam inquit Juſtinus: *Cum ſimus homines, nullo modo penetrare poſſumus ad illam primam, ac beatam Eſſentiam, nec ad myſteria ejus. Nihil enim Divinum manifeſtum eſt hominibus.* Et Auguſt. [2] docet, quòd rationes, quas *aſſerimus de Deo, nec auditores valent ſumere, nec nos fortaſſe vel apprehendere, vel proferre.*

Prob. 3. quia revelatio Divina de objecto ſupernaturali non elevat rationes naturales ſupra ſphæram ſuam,

[1] *Ibid.* [2] 1. *Trin.*

ſuam, nec dat eis majorem connexionem cum objecto ſuo illa, quam ex ſe habent; ergo ſi nulla ratio naturalis de ſe habet evidentem connexionem cum exiſtentia Trinitatis, hanc non accipiet à revelatione Divina.

Confir. Nam medium demonſtrationis debet habere connexionem neceſſariam, & evidentem cum extremis concluſionis; ſed fides non poteſt dare talem evidentiam ulli medio, ſeu rationi naturali, ſi eam ex ſe non habet; ergo &c. Maj. patet ex Logica. Prob. min. Nec fides ipſa, nec ulla propoſitio fidei eſt de ſe evidens, ſed obſcura, eſt enim *argumentum non apparentium*; ergo &c.

Denique patet ex dictis ſuprà, ubi reſolvimus rationes, quibus probari videtur hoc myſterium.

Probatur 2. par. ex Scoto (1), & Sancto Auguſtino. Nam *hæc omnia, quæ arte divina facta ſunt, virtutem quandam in ſe oſtendunt, & ſpeciem, & ordinem, & hæc tria ſic ſumpta repræſentant ſub ratione ſimilitudinis tria correſpondentia eis in Deo. Unitas repræſentat ſummam unitatem primi principii* (ſc. Patrem) *à quo eſt origo, ſpecies in creatura repræſentat ſummam pulchritudinem* (Filium) *in Deo, & ordo, ſive operatio in creatura repræſentat bonitatem perfectiſſimam in Deo,* (Spiritum Sanctum) Et addit alias comparationes ex eiſdem, v. g. *unum*, quod appropriatur Patri, *verum*, ſeu veritatem, quę appropriatur Filio; & *bonum*, quod appropriatur Spiritui Sancto.

Id clariùs patet in homine, qui eſt factus *ad imaginem, & ſimilitudinem* Trinitatis. Nam ſicut in una Eſſentia ſunt tres Perſonæ realiter inter ſe diſtinctæ, & illi Eſſentiæ identificatæ, ſic in una ſubſtantia animæ reperitur 1. *memoria* ſecunda per præſentiam objecti, quæ repræſentat Patrem. 2. *Intellectus* ſub actuali intellectione, in qua producit ſpeciem expreſſam, ſeu verbum mentis, quod repræſentat Filium, & ejus generationem, qui eſt Verbum Dei; & 3. *voluntas* ſub actuali volitione, quę reſpondet productioni Spiritus Sancti. Et hoc docuerat Auguſt. (2) quem ipſe citat.

Idem docet Athanaſ. (3) de Sole, *qui unus exiſtens in ſubſtantia, habet orbem, radium, & lumen. Typus enim* Pa-

[1] 1. *d. 3. p. 5. D. 6.*
[2] *6. Trinit. 10. & 20.* [3] *q. 4. Ibid.*

*Patris eſt orbis ſolaris, typus Filii eſt radius, typus Spiritus Sancti eſt lumen. Et ſicut in Sole orbis, radius, & lumen non dicuntur tres Soles, ſed unus Sol, ſic Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ſunt unus Deus, & non tres.* Idem docet Nazianzenus. [1]

Item in igne. *Tres ſunt ſubſiſtentiæ in uno igne, ſc. ſubjectum ignis, urens, & lucens.* Sive ut loquitur Iſidorus, *ubi eſt ignis, candor, & calor, tria quidem vocabula, ſed res una.* Item in aere per colores iridis, *ubi ſunt tres colores, qui non dividunt aerem, nec iridem.* Item in aqua, *ubi eſt fons, fluvius, & rivulus* &c. Ex his, & ſimilibus ſymbolis habentur quædam umbræ congruentes Trinitatis Divinæ, ſed non rationes convincentes. Et hæc non videmus, niſi ſuppoſitis principiis fidei, ſine quibus ne quidem ſuſpicaremur.

Confir. ex objectionibus contra primam concluſionem, quia licèt illæ non convincant, inclinant tamen ſatis probabiliter ad credendum hoc myſterium, maximè ſuppoſita fide, qua ex revelatione jam credimus.

Objic. 1. Si Dæmon videret viſionem beatam in Michaele, videret ibi clarè Trinitatem velut in ſpeculo, quia videret ibi omnia expreſſa per viſionem Michaelis; ſed viſio Dæmonis eſſet naturalis, & eſt poſſibilis, ergo & cognitio Trinitatis evidens. Prob. min. Nam, ex Scoto, res ſupernaturalis poteſt naturaliter videri, v. g. Reſurrectio mortui, illuminatio cæci, &c. ergo &c.

Reſp. 1. neg. min. Nam illa viſio in Dæmone eſſet adhuc ſupernaturalis, ſaltem mediatè. 2. Hæc cognitio non eſſet niſi abſtractiva, & per ſpeciem. Videret repræſentationem Trinitatis, non verò ejus exiſtentiam, niſi aliunde illam ſciret; ſicut videns imaginem Pilati ſcit quidem eam repræſentare hominem, ſed non Pilatum potiùs, quàm Caipham, niſi aliunde illum cognoſceret, nec ſcit, an iſte exiſtat, aut extiterit, niſi hoc aliunde ſciat. 3. Non credo, viſionem beatam Michaelis poſſe naturaliter videri ab ullo intellectu, licèt, ut Scotus docet, & ut allata exempla probant, plura ſupernaturalia poſſint naturaliter videri. Nam viſio beata eſt alterius rationis ab illis aliis objectis, nec poteſt videri ſine illo lumine, per quod ipſa habetur.

Objic.

[1] 2. *diff.* 2.

Objicies 2. Poſſet Ethnicus audire Deum loquentem D. Paulo, & diſtinctiſſimè explicantem illi Trinitatem, ſicut ſatellites prope Damaſcum vocem Dei loquentis *audiebant, & neminem videbant;* Sed tunc Ethnicus naturaliter, & diſtinctè poſſet cognoſcere myſterium, ſicut ille Apoſtolus; ergo poteſt naturaliter, & clarè agnoſci. Probatur min. Nam licèt reſpectu Pauli eſſet ſupernaturalis, tamen in Ethnico eſſet purè naturalis, quia iſte non aliter hæc audiret, quàm quemvis alium ſonum.

Reſpondeo 1. neg. maj. Nam neque Ethnicus, nec Chriſtianus hæc audiens poſſet clarè capere, quæ dicerentur ſine gratia interiùs illuminante. Ideò dicitur Apoſtolis, *Vobis datum eſt noſſe myſterium, cæteris autem in Parabolis, ut videntes non videant, & intelligentes non intelligant.* Et David orabat, *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam.*

Reſpondeo 2. neg. min. quia licèt voces illæ non dirigerentur ad Ethnicum, intelligentia, & aſſenſus ejus non minùs eſſet ſupernaturalis, quàm in Paulo; ſicut ſi Ethnicus legeret Scripturas ſacras, ut olim Eunuchus, non intelligeret illas ſine auxilio gratiæ ſupernaturalis.

Dixi autem, *non poſſe hoc naturaliter demonſtrari, aut capi etiam ſuppoſita fide.* Nam 1. ſupernaturaliter Deus poſſet cauſare cognitionem clariſſimam per ſpeciem impreſſam, quam diximus poſſibilem. 2. Poſſet haberi evidentia in atteſtante. Qui enim evidenter ſciret, Deum hoc revelare, ſciret etiam evidenter, hoc eſſe credibile, quia ſcit evidenter Deum eſſe veridicum. 3. Poſſet elevari homo ad videndam viſionem beatam Chriſti v. gr. & in illa videret, ut in ſpeculo, Trinitatem in illa repræſentatam. Sed ſufficiat ſcire, quòd notitia clara Trinitatis haberi nequit viribus naturæ.

## QUÆSTIO III.

*De proceſſionibus Divinis, an, & quot ſint in Deo.*

PRoceſſio hìc ſignificat originem unius perſonæ Divinæ ab alia, tanquam à ſuo principio, ſecluſis im-

imperfectionibus dependentiæ, motus, mutationis, diverſitatis, ſeu diſtinctionis naturæ inter producentem, & productum, & hoc per actionem metaphyſicam, & prorſus immanentem. Alia eſt *activa*, quæ eſt in Perſona producente, alia *paſſiva*, quæ eſt in Perſona producta.

Dico 1. *ſeclusis imperfectionibus*, &c. ut proceſſiones Divinæ diſtinguantur à creatis, quæ arguunt in productis dependentiam à producentibus, contingentiam, mutationem, & diſtinctionem, ſaltem numericam in natura, inter producens, & productum cum multiplicatione individuali. 2. *per actionem quaſi metaphyſicam*, non verò phyſicam, quia hæc non ſolet carere his defectibus dependentiæ, diſtinctionis, &c. Dico tamen *quaſi*, non autem purè metaphyſicam. Nam emanationes purè metaphyſicales ſunt potiùs quædam reſultantiæ in eſſentiis, quàm veræ productiones: ſed ſunt velut mediæ inter phyſicales productiones, & metaphyſicales emanationes. 3. *prorſus immanentes*, quia Perſona producta non exit extra producentem; ut fit in productionibus per actiones tranſeuntes; & ita etiam dicuntur, quia non tranſeunt in præteritum, ſed ſunt ſemper in ſuo *fieri*, & *facto eſſe*.

Tamen in uſu Eccleſiæ, & Theologorum parcè utimur vocibus *productionis*, aut *actionis*, ne videamur inducere aliquam inæqualitatem, vel dependentiam, vel diſtinctionem naturæ inter illas Perſonas, licèt una verè ſit ab altera. Nomen *emanationis* videtur uſitatius ad ſignificandum, quòd Verbum verè procedit à Patre per actionem, quæ dicitur *generatio*, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio per actum, qui dicitur *ſpiratio*, vel ſimplex *proceſſio*: quia licèt vox ſit communis utrique emanationi, tamen magis uſitatè appropriatur iſti. Ideò Sanctus Athanaſius (1) loquens de illo dicit, quòd non eſt *genitus*, *ſed procedens*. His præmiſſis ſit

CON-

[1] *In ſymbolo.*

## CONCLUSIO I.

D*Antur in Deo proceſſiones veræ, & reales, & quidem duæ, & non plures*. Eſt de fide quoad utranque partem.

Prob. 1. ex Script. utriuſque teſtamenti. Nam Verbum ſub nomine Sapientiæ dicit, (1) *ſe ex ore Altiſſimi prodiiſſe*, & vocatur ipſum (2) *emanatio* quædam claritatis *omnipotentis Dei*, & *egreſſus ejus ab initio*, *à diebus æternitatis*. Et ipſe Chriſtus, (3) *Ego à Deo proceſſi*, inquit, *ego ſcio eum*, ( Patrem ) *quia ab ipſo ſum*. Et, (4) *Exivi à Patre, & veni in mundum*. Et alibi dicit, (5) *ſe habere vitam in ſemetipſo*, &, (6) *omnia ſibi tradita à Patre*. Sic de Spiritu Sancto dicitur, Mitti à Patre in nomine Filii; & ipſe Filius dicit ſe eum miſſurum *à Patre*, quia ſc. habet à Patre vim ſpirativam. Et, *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*, ait Chriſtus, ſc. à Filio, & patre accipit proceſſionem; ergo fit mentio de duabus proceſſionibus. Quod magis patebit ex dicendis de illis Perſonis.

Prob. 2. ex Conciliis. Nam in ſymbolis aſſeruntur proceſſiones, Filii à Patre, & Spiritus Sancti ab utroque; (7) Filius dicitur *Deus de Deo*, *lumen de lumine*, Et, *Genitus*, *non factus*, Et Spiritus Sanctus, *qui ex Patre*, *Filioque procedit*, &c.

Prob. 3. ex SS. Patribus, qui totam hanc concluſionem unanimi conſenſu tradunt, ut cùm explicant hunc locum Joannis, (8) *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo*, *ſic dedit Filio*, *ſc. Dedit per unitatem vitæ*, ait Ambroſ. (9) *Non aliud habet*, *quàm dedit*, inquit Hilarius. Et clarè Auguſtinus, *Sicut Filio præſtat Eſſentiam ſine initio temporis ſine ulla mutabilitate Naturæ de Patre generatio*; *ita Spiritui Sancto præſtat eſſentiam*. Et Cyrillus, *Divina Subſtantia ineffabili quadam ſuprema Natura conſtituta Filium ex Patris Hypoſtaſi genuit*.

Prob. 4. ex Scoto hoc argumento. (10) *Quidquid ex* ra-

[1] *Eccl.* 24. [2] *Mich.* 5. [3] *Jo.* 8.
[4] *Jo.* 1. [5] *Matth.* 11. [6] *Jo.* 15. & 16.
[7] *Symb.* [8] *Jo.* 5. [9] *S. de ſyn. Can.* 4. 16. *Tr.* 26.
[10] 1. *d.* 2. *q.* 7. *D. n.* 3.

*ratione ſua formali eſt principium productivum ſufficiens, illud in quocumque eſt à ſe, & ſine imperfectione, in eo eſt principium productivum, & productio.* Sed Perſona Divina aliqua habet à ſe, & ſine imperfectione principium productivum ſufficiens reſpectu alterius Perſonæ Divinæ; ergo poteſt producere illam. Prob. min. In Deo eſt aliqua Perſona improducta; ſed hæc Perſona habet memoriam fœcundam (ſc. intellectum cum objecto infinito ſibi præſenti, ut proximè intelligibili) & talem memoriam habet à ſe, non ab alia Perſona, quia ipſa eſt improducta, & eam habet ſine imperfectione, alioqui non eſſet Deus, & talis memoria eſt principium productivum ſufficiens alterius Perſonæ Divinæ; ergo Perſona aliqua Divina habet à ſe principium ſufficiens productivum alterius Perſonæ Divinæ. Prob. min. Memoria ſic fœcunda habet ex ratione ſua formali producere notitiam genitam ſibi proportionatam, & per conſequens infinitam; ergo memoria Divina, ſeu intellectus in Patre, habens Eſſentiam ſuam ſibi ſummè præſentem, poteſt in eo ſtatu, & ex ſe producere notitiam, ſeu Verbum ſibi proportionatum, ſcilicet infinitum, & per conſequens, quòd ſit Perſona Divina; Sed ſi poteſt ſic producere, id neceſſariò facit; ergo in Deo eſt verè, & neceſſariò talis productio. Subſumptum patet ex dictis, quia in Deo idem eſt eſſe, & poſſe, & quidquid in eo eſt, neceſſarium eſt.

Simili modo prob. 2. proceſſio per voluntatem, quia, inquit Doctor, [1] *voluntas habens objectum* (ſcilicet eſſentiam) *actu cognitum ſibi præſentatum, ex ratione ſua eſt productiva amoris perfecti producti, & ſibi proportionati*, ideò infiniti; ſed nullus amor eſt ſic proportionatus voluntati, & objecto infinito, niſi ſit Perſona Divina; ergo Deus poteſt producere per voluntatem Perſonam unam Divinam; ergo producit de facto; ergo dantur in Deo duæ perſonæ productæ, & duæ proceſſiones, una per intellectum, quæ eſt proceſſio Verbi, & altera per voluntatem, quæ eſt proceſſio Spiritus Sancti.

Vides, per memoriam fœcundam intelligi à Scoto intellectum habentem objectum ſibi præſens, quo velut impregnatur, ut producat notitiam, quæ eſt ve-

[1] *Ibid.*

velut fœtus ejus fecunditatis. Et in nobis vocatur *ſpecies expreſſa*, ſeu *verbum* mentis, ſeu *notitia genita*, & in Deo dicitur *Verbum Divinum*, ſeu *Filius*.

Dices, Si hæc ratio valeret, probaret, quod Filius ſic genitus produceret etiam aliud Verbum, quia illi communicatur idem intellectus cum eodem objecto ſic præſente, ſeu cum eadem fecunditate.

Contra. Nam ſi benè advertas, Scotus non dicit, perſonam, ut producat, habere memoriam fecundam quomodocumque, ſed à ſe, & non ab alio, quod ſoli Patri convenit, non autem Filio, nec Spiritui ſancto, qui hæc habent, non à ſe ipſis, ſed à Patre, & ideò accipiunt ab eo intellectum, & voluntatem, fecundam quidem, ſed occupatam, & ſub productione ſibi adæquata, ergo non poſſunt producere aliud Verbum, nec alium Spiritum. Hinc

Prob. 5. eadem par. Proceſſio in Deo eſt emanatio unius Perſonæ ab alia ſine ulla imperfectione; ſed in Deo ſunt duę tales emanationes, ſc. Filii, & Spiritus Sancti, nam ille à ſolo Patre procedit, & iſte ab utroque; ergo in Deo ſunt duæ veræ, & reales proceſſiones.

Prob. 2. par. imò & tota concluſio. 1. Tot ſunt, & non plures proceſſiones in Deo, quot ſunt in eo principia formalia, & actiones vitales productivæ, & termini producti adæquati; ſed in Deo ſunt duo, & non plura principia illa formalia, (ſc. intellectus, & voluntas) & duæ tantùm actiones vitales productivæ, (ſc. dictio, & volitio, ſeu ſpiratio) & duo termini producti, & adæquati (ſc. Verbum, ſeu Filius, & Spiritus Sanct.) ergo & duæ tantùm proceſſiones.

Confir. ex iiſdem Scripturæ, Conciliorum, & Patrum locis, quibus conſtat, non eſſe niſi tres Perſonas in Deo, unam improductam, & duas productas. Nam inde ſequitur neceſſariò, non eſſe plures proceſſiones paſſivas, quàm ſint Perſonæ productæ, ſed non ſunt niſi duæ perſonæ productæ, ſeu procedentes; ergo nec niſi duæ proceſſiones.

Prob. 2. quia ſi poſſent eſſe in Deo plures generationes, vel ſpirationes, poſſent eſſe, & eſſent infinitæ; ſed conſeq. eſt abſurdum; ergo & ant. Min. patet. Nullus enim adhuc ſomniavit in Deo infinitas proceſſiones, & Perſonas. Prob. maj. ex Scoto

[1] poſt

[1] poſt Auguſt. 1. *quia non impleretur ſeries generationis, ſi ſemper alter ex altero gigneretur, nec etiam ullus perficeret eam, ſi non ſufficeret omnipotens unus.* 2. quia nulla eſſet ratio limitandi principium infinitum generationis ad duos, vel tres genitos, nec principium ſpirationis ad duos, vel tres ſpiratos, niſi ex ſe exhauriretur potentia generativa per primum Filium, & ſpirativa per primum Spiratum; ergo &c.

Prob. 3. Principium habens actum ſibi adæquatum non poteſt habere alium, quandiu eſt ſub illo primo; ſed generatio Verbi eſt actus adæquatus intellectus in Patre, ita eſt de ſpiratione in voluntate Patris, & Filii, & ſemper eſt ſub illo actu; ergo in Deo Patre non poſſunt eſſe plures generationes, nec in utroque plures ſpirationes; ergo nec plures proceſſiones, quàm duæ. Hoc argumentum valet de adæquatione intenſiva, & interna, non de extenſiva, & externa. Nam intellectus, & voluntas terminatur etiam ad creaturas.

Dixi, *& eſt ſemper ſub illo actu*, ſcilicet generandi, & ſpirandi, alioqui admitteretur mutatio in Deo, & ſucceſſio in æternitate, ſi ceſſaret ab uno actu generationis, ut haberet alium, vel ut quieſceret à generatione.

Objicies 1. con. 1. par. Tunc tantùm intellectus poteſt producere Verbum, quando per illud poteſt intelligere, & perfici; ſed utrunque repugnat intellectui Divino; ergo & productio Verbi. Maj. patet. Nam niſi per illud verbum, ſeu notitiam fieret intelligens, hæc eſſet fruſtra. Prob. min. Nam repugnat intellectui Divino perfici per aliquid à ſe diſtinctum; ſed notitia genita, ſeu Verbum realiter diſtingueretur ab intellectu, & illum perficeret; ergo repugnat ſic ab eo generari.

Reſpondeo neg. maj. Nam intellectus Patris non producit Verbum ex indigentia, nec ut perficiatur, neque ut per illud intelligat, nec illud in ſe recipit, ſicut intellectus noſter informatur ſuo verbo, ſed ex fœcunditate Pater illud producit communicans illi ſuam Deitatem. Intellectus noſter 1. producit verbum ſuum, 2. illud in ſe recipit, & per illud fit formaliter intelligens, ut diximus in Philoſophia. Quòd il-

[1] *L.3. con. Max.* 12.

illud producat, eſt perfectio, quòd ab eo informetur, eſt imperfectio, quia eget perfici. At in Deo, cùm ſit ſummè intelligens per intellectionem eſſentialem, non perficitur, nec fit intelligens per Verbum ſuum, ſed potiùs illi communicat per generationem & intellectum, & intellectionem ſuam. Et ſic patet falſitas prob. hujus majoris.

Inſt. 1. Notitia ingenita, ſeu intellectio eſt adæquata intellectui Divino, quia eſt infinita; ſed non poſſunt eſſe duo actus adæquati ſimul in eadem potentia; ergo nec poteſt eſſe in Patre notitia genita; ergo nec talis proceſſio.

Reſpond. diſt. maj. Eſt adæquata in ratione actus operativi, ſeu quaſi productivi, con. in ratione notitiæ verè & propriè productivæ, neg. maj. & conſ. Notitia ingenita, ſeu intellectio eſt actus purè operativus, non autem productivus, ut patebit infrà; notitia autem genita eſt terminus actus verè productivi, & quidem adæquatus in ſuo genere, ſicut notitia ingenita in ſuo.

Inſt. 2. Notitia ingenita eſt infinita; ergo eſt adæquata intellectui Divino; ergo in eo non poteſt eſſe alia notitia diſtincta, quæ dicatur genita.

Reſp. diſt. ant. Eſt infinita in ſuo genere, & in ratione operativi, con. in ratione productivi, neg. ant. & conſ. ob rationem datam.

Objic. 2. Quod procedit ab alio, recipit ab eo diſtinctum eſſe, & ab eo dependet; ſed utrunque repugnat Perſonæ Divinæ: ergo & proceſſio.

Reſp. diſt. maj. Quod procedit per productionem phyſicam, con. per ſimplicem emanationem, neg. maj. & conſ. Perſonæ Divinæ, ut diximus, non procedunt per efficientiam, & cauſalitatem phyſicam, ſed per emanationem quaſi metaphyſicam, & infinitam, & ſpiritualem, licet realem.

Inſt. 1. Terminus omnis veræ productionis eſt exiſtentia producti, & quidquid producitur, habet eſſe poſt non eſſe; ſed hoc repugnat Perſonæ Divinæ; ergo & proceſſio paſſiva vera.

Reſp. diſt. maj. Eſt exiſtentia æterna, vel temporalis, con. maj. & neg. min. exiſtentia ſemper temporalis, neg. maj. & conſ. Exiſtentia æterna, quam Perſonæ productæ accipiunt in Deo, eſt æterna, & ideò

 non

non habet eſſe poſt non eſſe phyſicum, imò nec metaphyſicum, ſed logicum, & puræ præſuppoſitionis. Non ita eſt de exiſtentia temporali.

Inſt. 2. Deus eſt ens à ſe, & quidem per eſſentiam; ergo illi repugnat eſſe, ſeu procedere ab alio quomodocunque.

Reſp. diſt. conſ. Eſſe ab alio tanquam à cauſa efficiente extrinſeca, & diſtinctæ ſubſtantiæ, con. tanquam à principio non efficiente, nec extrinſeco, ſed quaſi intrinſeco, & in identitate naturæ, neg. conſ. Nam aſſeitas non excludit qualemcunq; proceſſionem ab alio, ſed illam, quæ eſt tanquam à cauſa extrinſeca, & in qua productum recipit naturam diſtinctam à producente, quod non occurrit in iſtis proceſſionibus.

Inſt. 3. Perſona producens communicat naturam Perſonæ productæ; ergo hæc habet etiam ab alio naturam, non a ſe; ergo non eſt à ſe.

Reſp. neg. conſ. Nam cùm Deitas ſit neceſſariò connexa cum filiatione, dici poteſt, quòd Filius habet eã à ſe, licèt habeat filiationem à Patre. Ita eſt de Spiritu Sancto.

Objic. 3. Verbum eſt primum principium, à quo omnia ſunt, (1) *Omnia per ipſum facta ſunt*; ergo non poteſt eſſe ab alio.

Reſp. diſt. ant. Primum principium ad extra, con. ad intra, neg. ant. & conſ. Agit ad extra per eamdem potentiam cum Patre, & cum illo eſt prima omnium cauſa; ſed ad intra procedit à Patre, ut à ſuo principio.

Objicies 1. con. 2. par. Unica productione una Perſona communicatur infinitè, & adæquatè, ſeu omni modo poſſibili; ſed hoc eſſet falſum, ſi darentur plures in Deo; ergo in Deo non ſunt duæ, vel plures proceſſiones. Prob. min. Nam ſi prima eſſet infinita, nihil reſtaret communicandum per ſecundam, & per illam penitùs exhauriretur fœcunditas, vel ſi reſtaret aliquid pro ſecunda, prior illa non eſſet infinita.

Reſp. diſt. maj. Communicatur infinitè quoad unam potentiam, & ejus proprium actum, & incluſivè, con. quoad diverſas potentias, & earum actus, & extenſivè, neg. maj. & min. Et ad prob. ejus dico,

[1] *Jo.* 1.

quod

quòd nihil majus intenſivè reſtat communicandum per ſecundam, & aliam potentiam, ſed reſtat eadem Deitas communicanda per voluntatem, & actum ſpirationis, ſicut communicatur per intellectum, & actum generationis.

Inſt. Generatio eſt actus adæquatus fœcunditatis in Patre, ita, ut exhauriat totam virtutem ejus, alioqui generatio non eſſet infinita; Sed non ſic exhauriret, ſi adhuc haberet alium actum æqualem, ſcilicet actum ſpirationis; ergo non dantur plures actus tales.

Reſp. diſt. maj. Actus adæquatus virtutis generativæ, con. omnis prorſus fœcunditatis, neg. maj. & conſ. Generatio Verbi adæquat, & exhaurit totam fœcunditatem intellectus, & generativam, non autem voluntatis, & ſpirativam.

Objic. 2. Si eſſent in Deo plures proceſſiones, hoc eſſet propter dualitatem principiorum, vel propter diſtinctionem actionum; ſed neutra ratio valet; ergo non ſunt plures. Prob. min. In Deo non eſt niſi unica Eſſentia, quæ ſit principium emanationum, & non ſunt ibi diſtinctæ actiones, nam ſpiratio activa, & dictio, ſeu generatio ſunt quid unum in Deo, nec diſtinguuntur realiter; ergo nec generatio, & ſpiratio paſſiva diſtinguuntur.

Reſpondeo neg. min. Nam utrinque colligitur diſtinctio proceſſionum, tam ex principiis, quam ex actionibus. Et diſt. ant. prob. Non eſt niſi unicum principium commune, & radicale, & unica actio unitate reali, con. unicum formale, & unica actio unitate formali, aut virtuali, neg. ant. Eſſentia enim eſt quidem primum principium commune, & radicale proceſſionum, non verò formale, & immediatum præcisè ab intellectu, per quē generatur Verbũ, & a voluntate, per quam procedit Spiritus Sanct. Voluntas autem, & intellectus sũt principia formaliter à parte rei diſtincta inter ſe, & ab eſſentia, ut dictum eſt aliàs. Et ita eſt de actibus eorum etiam in Patre.

Inſt. Eſt idem objectum utriuſque potentiæ; ergo & eadem actio. Nam actus diſtinguuntur per objecta. Ant. prob. Nam eadem eſſentia eſt objectum utriuſque.

Reſp. diſt. ant. Idem objectum materiale, con. for-

nale, neg. ant. & conſ. Nam Eſſentia Dei reſpicitur ab intellectu, ut ſcibilis, & a voluntate, ut amabilis, quod ſufficit ad diverſitatem actuum.

## CONCLUSIO II.

PRoceſſiones Divinæ ſunt verè, & propriè actiones vitales. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto, qui ſemper loquitur de proceſſionibus ſub nomine *generationis*, & *ſpirationis*, quæ ſunt actiones vitales, &, ſi aliquando utitur nomine *emanationum*, id facit ob rationes allatas, ne videlicet videatur aſſerere productionem phyſicam cum imperfectionibus, quas illa cauſalitas importat. *Dico, quòd in Deo ſunt duæ productiones diſtinctæ ſecundum rationes formales productionum*, &c. Si ſunt veræ productiones; ergo & veræ actiones.

Prob. 2. illis auctoritatibus Script. Conciliorum, & Patrum, quibus conſtat, proceſſionem Verbi eſſe generationem, & Spiritus Sancti eſſe ſpirationem, quia utraque eſt vera actio, & vitalis.

Prob. 3. Nam aliter Eſſentia Divina communicatur Filio, & Spiritui ſancto, quàm ipſi Patri, alioqui non magis dicerentur procedere à Patre, quàm ipſe Pater ab illis; ſed Eſſentia communicatur Patri immediatè per ſimpliciſſimam emanationem, & reſultantiam; ergo communicatur aliis per veras actiones vitales, quæ dicuntur generatio, & ſpiratio. Prob. min. quia certum eſt de fide, quòd Pater a nullo procedit, ſed immediatè à ſe ipſo eſt, & manat ab eſſentia.

Confir. Nam ſimplices emanationes metaphyſicæ fluunt immediatè ab eſſentia, & ſunt priores ſuppoſitalitate; ergo ſi generatio, & ſpiratio paſſiva, ſeu Filius, & Spiritus Sanctus manarent purè, & immediatè ab Eſſentia, non dicerentur produci à Patre, ſicut nec ipſe Pater.

Objic. 1. Actio propria dicit defectus repugnantes Deo; ergo ibi non eſt admittenda. Prob. ant. Actio propria dicit motum, exitum ab agente, paſſionem in paſſo, terminum extra agens, & contingentiam; ſed hæc omnia ſunt imperfectiones repugnantes Deo; ergo, &c.

Reſpondeo neg. ant. & diſt. maj. prob. Actio creata,

ta, & propriè phyſica, tranſiens, & cauſativa, con. actio Divina, emanans, & immanens, neg. maj. Hæ actiones in Deo non ſunt veri motus, nec ſubſunt illis defectibus. (1) *Origo, ut origo, non eſt propria forma nec Perſonæ, in qua eſt, nec Perſonæ, ad quam eſt* (inquit Doctor) *ſed eſt quaſi via; & tunc neque primæ Perſonæ eſt forma, ſed quaſi præſupponit eam*, ſcilicet actio originis formaliter eſt via quædam producentis ad productum, non autem vera cauſalitas phyſica veniens ab extrinſeco.

Objic. 2. Actio immanens, ex Philoſopho, eſt purè operativa, ſeu perceptiva objecti, non autem productiva; ſed proceſſio Divina eſt operatio immanens per nos; ergo non eſt vera actio. Prob. maj. Nam per hoc diſtinguitur actio immanens à tranſeunte, quòd hæc relinquit opus poſt ſe, ſeu per hanc aliquid producitur.

Reſp. neg. maj. & diſt. ant. prob. Actio immanens purè operativa, quæ eſt potiùs quædam paſſio, con. omnis actio immanens, neg. maj. Nec enim de omni actione immanente hoc dicit Philoſophus, ſed de illa ſola, quæ opponitur tranſeunti, & phyſicæ, qua ponitur aliquis effectus extra agentem per veram cauſalitatem; iſtæ verò actiones ſunt quidem immanentes quoad hoc, ſed non ſunt purè operativæ, ſed productivæ terminorum intra ipſum agentem ſine cauſalitate, & diſtinctione naturæ inter producentem, & productum.

Objicies 3. Ex eodem Philoſopho, ad relationem non datur motus, ſeu actio, ſed proceſſiones Divinæ terminantur ad puras relationes; ergo non ſunt veræ actiones. Prob. min. Nam filiatio, & ſpiratio paſſiva ſunt puræ relationes.

Reſp. diſt. maj. Ad relationem creatam, con. ad increatam, neg. maj. Relationes creatæ ſunt pura accidentia per veram reſultantiam orta, & quarum totum eſſe eſt ad aliud, & nihil in ſe: Increatæ verò ſunt ſubſtantiales, & conſtitutivę Perſonarum, quę in eis ſubſiſtunt, ideò dicuntur verè produci.



(1) *l. 28. q. 3. D. n. 3.*

# QUÆSTIO IV.

## *An, quomodò, & per quid diſtinguantur proceſſiones Divinæ.*

JAm ſatis innuimus, duas iſtas proceſſiones eſſe diverſæ rationis, quandoquidem diverſa nomina ſortiuntur, & diverſa habent principia, & diverſas Perſonas conſtituunt. Sed magis explicanda eſt iſta diverſitas.

Non diſputamus, an differant numero, vel ſpecie, quia voces *ſpeciei*, & *numeri* non benè audiunt in Deo, ſaltem in rigore Philoſophico. Diverſitas ſpecifica notat diverſitatem naturarum; & diſtinctio numerica multiplicat illas, & divideret Deitatem. Utemur ergo nomine differentiæ formalis, & diſtinctionis, præcisè ab illis vocibus, quæ in pravum ſenſum capi ſolent; licèt re vera maior ſit illa differentia, quam habent inter ſe filiatio, & ſpiratio, quàm pure numerica.

Porrò, quia proceſſiones aliæ ſunt *activæ*, aliæ *paſſivæ*, multipliciter poſſunt inter ſe comparari, 1. activæ inter ſe, ut *generare*, & *ſpirare*, 2. paſſivæ cum paſſivis, ut *generari*, & *ſpirari*, 3. activæ cum paſſivis oppoſitis, ut *generare*, & *generari*, ſeu *paternitas*, & *filiatio*, *ſpirare*, & *ſpirari*, vel una diſparata cum alia diſparata, ut *generare*, & *ſpirare*, vel *generari*, & *ſpirari*, vel *generare* cum *ſpirari*, ſeu *paternitas* cum *ſpiratione* paſſiva. Et juxta varias comparationes variè dicuntur diſtinctæ inter ſe. Nam de diſtinctione illarum ab Eſſentia patet ex dictis, eas diſtingui formaliter à parte rei, ſicut & alia Attributa.

Certum eſt autem, ſpirationem, & generationem differre ex ratione ſua formali, & quaſi ſpecie. Nam una eſt per viam voluntatis, & libera, alia per viam intellectus, & dicitur generatio, non autem alia; quod omnes fatentur, & magis patebit infrà. Sed difficultas eſt, an proceſſio Verbi ſit idem formaliter, quod intellectio, & ſpiratio idem, quod volitio. Et id breviter explicandum.

Interim repete ex Philoſophia differentias inter a-

ctus

ctus purè operativos, ut *intelligere*, & productivos, ut *dicere*, pro intellectivis, & *velle*, & *ſpirare* pro actibus voluntatis. His præmiſſis.

## CONCLUSIO I.

P*Roceſſiones Divinæ, ſcil. generatio, & ſpiratio diſtinguuntur ſeipſis formaliter, & quaſi ſpecificè; principiativè autem diſtinctio petitur ab intellectu, & voluntate.*

Prob. 1. p. 1. ex Scoto. (1) *Productiones ſeipſis formaliter diſtinguuntur*, inquit. *Generatio enim ſeipſa eſt formaliter generatio, & ſpiratio ſeipſa eſt formaliter ſpiratio*, &c. Et id probat ex Auguſt. qui dicit, hanc differentiam eſſe oculis, & viſibiliter diſcernendam. (2) *Attolle oculos in ipſam lucem, ibi videbis, quid diſtet nativitas Verbi Divini à proceſſione Doni.* Et alibi quærens, *cur Spiritus Sanctus non ſit Filius, cùm tamen à Patre exeat*, dat rationem, *quia exit non quomodò natus, ſed quomodò datus*, &c. ergo ex S. Auguſtino, & Scoto, filiatio per ſeipſam, & quatenus eſt filiatio, ſeu generatio diſtinguitur à ſpiratione.

Prob. 2. quia ſe totis, & indiviſibiliter differunt, nec poteſt in eis aſſignari alia ratio differentiæ, quàm entitas earum, v. g. quia una eſt generatio, & alia eſt ſpiratio, ergo ſeipſis formaliter differunt.

Prob. 2. p. Si quæratur ulterius, cur proceſſio Filii ſit generatio, & non ſpiratio, rectè dicitur, quia eſt ab intellectu, qui eſt principium agendi naturaliter, ſicut voluntas eſt principium agendi liberè, & ſponte, generatio autem eſt actio naturalis, & ſpiratio eſt actio voluntaria; ergo radicalis ratio differentiæ harum proceſſionum petitur à differentia principiorum, nempe intellectus, & voluntatis.

Objic. 1. Proceſſiones iſtæ non differunt ſe totis; ergo non differunt ſeipſis. Prob. ant. Nam ex Scotiſtis in multis conveniunt univocè: ergo non differunt ſe totis. Prob. ant. Conveniunt in ratione proceſſionum, & relationum Divinarum, & in ratione entis ſpiritualis, & Divini. Definitio proceſſionis convenit utrique; ergo &c.

B 4 Reſp.

[1] 3. *d.* 13. *O. n.* 18. [2] 15. *de Trin.* 27.

Reſp. neg. ant. 1. & 2. & diſt. 3. Conveniunt, ita ut illæ rationes, quaſi communes, verè non præſcindant objectivè ab illis differentiis, nec ſint ab illis verè contrahibiles, conc. ita ut ſic præſcindant, & contrahantur, neg. ant. Nam licèt per intellectum poſſit abſtrahi ab illis proceſſionibus ratio aliqualiter communis, ut ratio proceſſionis, entis, &c. non impedit, quin ſe totis differant, quia hæc præciſio non eſt objectiva, ſed purè formalis, & per intellectum. Nam à parte rei proceſſio Verbi à Patre differt per ſe à proceſſione, qua Spiritus Sanctus procedit ab utroque. illa per ſe eſt generatio, & iſta per ſe eſt ſpiratio. Et in ſe ſunt ſimpliciſſimæ, & ſignificant modos procedendi oppoſitos.

Objic. 2. Meliùs diſtinguuntur ex ratione principiorum, imò & iſtæ differentiæ formales refunduntur in principia diverſa; ergo non benè dicuntur diſtingui ſe ipſis.

Reſp. diſt. ant. Meliùs diſtinguuntur radicaliter, & quaſi extrinſecè, conc. formaliter, & intrinſecè, neg. ant. Imò non ſemper rectè colligitur diſtinctio rerum præcisè ex principiis. Nam calor productus à Sole non videtur diſtingui à calore ignis.

Objic. 3. Poſſunt diſtingui per prius, & poſterius, quia una eſt prior altera, & quia una petit eſſe à duobus, ut ſpiratio, non autem alia; ergo non tantùm differunt ſe ipſis.

Reſp. neg. ant. quoad utramque partem, tùm quia prioritas, & poſterioritas venit ab ordine principiorum, quatenus intellectus agit priùs, quàm voluntas, & ſic ea diſtinctio eſt extrinſeca, tùm quia quòd Spiritus Sanctus ſit à duobus, nihil facit ad differentiam. Nam ſi eſſet à ſolo Patre, adhuc eſſet ejuſdē rationis. De quo magis patebit infra, ubi de Spiritu Sancto.

## CONCLUSIO II.

PRoductiones *Divinæ diſtinguuntur ab intellectione, & volitione eſſentiali*. Ita Scotiſtæ, & alii contra Thomiſtas, & plures recentiores.

Prob. 2. ex Scoto, (1) qui quærens *quare actus ſecundus, quo Pater intelligit, vel operatur formaliter, non producit*, reſpondet, *quia illud intelligere ex ratione ſua*

[1] 1. *d.* 2. *q.* 7. *Q. n.* 20.

*ſua eſt operari Patris, & non eſt producere, productione autem, ſive dictione producit, ſicut aliquid calefactione calefacit formaliter .... Dicere autem non eſt actus intelligendi formaliter, eſt tamen aliquis actus intellectus. Nullus autem actus intelligendi formaliter eſt productivus, ſed aliquis alius actus formaliter naturaliter præcedens, vel ſubſequens poteſt eſſe productivus, qualis eſt actus dicendi.* Vide in Philoſophia de verbo mentis. Quod autem dicitur de intellectione reſpectu productionis Verbi, dicendum cum proportione de volitione reſpectu Spiritus Sancti.

Prob. 2. ex SS. PP. maximè ex Auguſt. (1)dicente, *Verbum noſtrum eſſe repræſentans Verbum Dei*. Nam Verbum noſtrum non producitur per intellectionem, ſed per dictionem. Item dicit, verbum noſtrum procedere à memoria. *Neceſſe eſt, cùm verbum loquimur, ex ipſa ſcientia, quam memoria tenemus, naſcatur verbum ... & verbum noſtrum illud, quod non habet ſonum inde, utcunque ſimile eſt in hoc ænigmate Verbo Dei, quod etiam Deus eſt, quoniam ſic & hoc de ſcientia noſtra naſcitur, quemadmodum illud de ſcientia Patris natum eſt.* Memoria autem non eſt intellectio formaliter, ſed eam ſupponit. *Pater Verbo, quod genuit, dicens eſt .... Dicens illo coæterno Verbo.* Vides dictionem, non verò intellectionem.

Prob. 3. ex eodem Scoto, (2) quia intellectio, & amor eſſentialis ſunt communes tribus Perſonis, ſed productiones Filii, & Spiritus Sancti non ſunt communes; ergo formaliter diſtinguuntur ab intellectione, & volitione. Prob. maj. Nam Filius, & Spiritus Sanctus tam ſunt intelligentes, & volentes, & amantes, quàm Pater.

Prob. 4 quia intellectio, & amor in Deo, ſicut & in nobis, eſt quid abſolutum,& immanens: ſed proceſſiones ſunt actus notionales,& relationes; ergo diſtinguuntur ab intellectione, & amore. Prob. maj. Nam in Deo eſt unum intelligere per unam naturam, & per unum actum, & illud intelligere manet in intelligēte; ergo eſt aliquid abſolutũ,& immanens.

Dices,illos actus eſſe intellectionem, & volitionem notionales, non eſſentiales.



[1] 15. *de Trin.* 10. & 14. [2] *l.* 7. *Tr.* 1.

Contra 1. quia ex D. Thoma, (2) *nihil eorum, quæ pertinent ad intellectum, dicitur perſonaliter, niſi ſolum Verbum*; ergo in Deo nulla eſt intellectio perſonalis, ſed ſola eſſentialis. 2. docet, quod intelligere importat ſolam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in quo nulla ratio originis importatur; ſed dicere importat habitudinem principaliter ad Verbum conceptum; ergo ex D. Tho. intellectio non eſt productio Verbi, ſed ſola dictio.

Contrà. In Deo non eſt Deitas, nec intellectus, nec voluntas duplex, ſc. notionalis, & eſſentialis; ergo nec intellectio, nec volitio duplex. Ant. patet ex omnium conſenſu. Conſeq. eſt evidens. Nam eadem eſt ratio duplicandi potentias, & operationes, ſc. intellectionem, & volitionem.

Prob. 5. Si productio Verbi eſſet ipſa formalis intellectio eſſentialis, Pater ante generationem Filii non eſſet perfectè beatus, nec Filio communicaret perfectam beatitudinem: ſed utrumque conſeq. eſt abſurdum; ergo & antec. Prob. maj. Perfecta beatitudo conſiſtit non ſolùm in viſione, ſeu intellectione Eſſentiæ, ſed etiam in fruitione ejus per amorem: ſed non haberet illum amorem ante productionem Filii; ergo nec perfectam beatitudinem, nec eam communicaret Filio ex vi generationis activæ. Maj. ſupponitur ex dictis de beatitudine Dei. Nam ex adverſariis ſaltem illa perficitur, & completur per amorem fruitionis. Prob. min. Nam Pater priùs eſt intelligens, & videns, quàm volens, & amans, & priùs generat, quàm ſpiret; ergo ſi ſpiratio eſt volitio, hanc nondum habet Pater cum generat; ergo hanc non communicaret Filio per generationem, quia *nemo dat, quod non habet*.

Prob. denique, quia ſi productio Verbi eſſet formalis ipſa intellectio, Pater dici poſſet ſapiens ſapientia genita, imò & Spiritus Sanctus non intelligeret niſi per Verbum: ſed conſeq. eſt falſum, & contra SS. PP. ergo &c. Min. patet ex Aug. (2) *Quis audet dicere, & Patrem nec ſeipſum, nec Filium, nec Spiritum Sanctum intelligere, niſi per Filium?* Et hinc ſequitur, quòd Filius *ſit ſibi, & Patri, & Spiritui Sancto intelligentia, ad illa reditur abſurditatem, ut Pater non ſit*

[1] 1.*p.q.*3.*a.*1. *ad* 2. [2] *ib. c.*

*ſit ſapiens de ſeipſo, ſed de Filio; & Filius Patrem facit ſapientem*, &c. Maj. autem prob. Quia Pater non eſt formaliter ſapiens ſine termino ſuæ intellectionis: Sed Verbum eſſet terminus intellectionis paternæ; ergo & faceret illum ſapientem, ſicut dicitur de igne, quòd ſit calefaciens per calorem, & Sol per lucem.

Ob. 1. ex Aug. (1) Verbum gignitur intellectione. Nam inquit, *quædam cogitationes locutiones ſunt cordis*, ſc. idem eſt loqui, & cogitare: *Intus cùm cogitamus, locutio, & viſio unum eſt .... Formata itaque cogitatio ab ea re, quam ſcimus, verbum eſt, quod in corde dicimus*. Et alibi clariùs: (2) *Nihil aliud eſt Filius, & Verbum Dei, quàm cogitatio, vel ars, vel ſapientia ejus ..... Sic Deus, cùm ſeipſum cogitavit, ſimilem per omnia imaginem formavit*; ergo cogitando, ſeu intelligendo, non dicendo generat; ergo generatio activa eſt formaliter intellectio, non dictio.

Reſp. neg. conſeq. Nec enim ea eſt mens S. Aug. Et quidem, ut notat P. Macedo, [3] potiùs docet contrarium in 1. loco. Nam cap. 16. ejuſdem libri dicit: *Ita dicitur illud Verbum, ut Dei cogitatio non dicatur..... Non ergo ille Dei Filius cogitatio Dei, ſed Dei Verbum dicitur. Cogitatio enim noſtra perveniens ad id, quod ſcimus, atque inde formata Verbum eſt noſtrum; & ideo Verbum Dei ſine cogitatione debet intelligi, ut forma ipſa ſimplex intelligatur*; ergo Auguſtinus rejicit cogitationem à productione Verbi. Vult ſolùm cogitationes noſtras eſſe quaſi verba, quibus nobiſcum quaſi loquimur. Et ſic intelligendus eſt 2. locus, cujuſcumque ſit. Nec enim liber ille creditur eſſe Auguſtini.

Objic. 2. Totum, quod explicatur fieri per dictionem, vel alium actum diſtinctum, præſtatur ab intellectione, prout eſt in Patre; ergo fruſtra, & malè aſſeritur illa dictio; ergo productio Verbi nihil eſt diſtinctum ab intellectione. Conſeq. patet, quia non ſunt multiplicandæ formalitates in Deo ſine neceſſitate. Prob. ant. Intellectio eſſentialis, prout eſt in Patre, & à Patre, fit perſonalis, & productiva; ergo per illam præſtatur, quidquid requiritur ad productionem Verbi, & quod fingitur fieri per dictionem. Prob. conſ.

B. 6. Nam.

[1] *Ibid. c.* 10. [2] *De cognit. rat.* 14.
[3] *col. at.* 5. *differ.* 1. *ſ.* 2.

Nam ideò negatur, quòd intellectio ſit productiva, quia non eſt actus notionalis; ergo ſi ſit notionalis, prout eſt in Patre, nihil aliud requiritur, ut ſit productiva Verbi.

Reſp. neg. ant. 1. & 2. argum. & conſeq. 3. Nam hoc ipſo, quòd intellectio eſt eſſentialis, eſt etiam neceſſariò communis tribus Perſonis Divinis; nec prout eſt in Patre, fit notionalis potius, quàm Eſſentia, vel intellectus; & in hoc conveniunt tres Perſonæ, quòd habent intellectionem infinitam, & per illam ſunt beatæ; ergo per illam non conſtituuntur, nec diſtinguuntur. Ita eſt de volitione, ſeu amore, ideò per illum non producitur Spiritus Sanctus.

Objic. 3. Dictio illa eſt vel prior, vel poſterior intellectione, vel concomitans: ſed nullum horum dici poteſt; ergo non eſt admittenda. Prob. min. 2. non eſt prior, quia eſt actus notionalis, & notionalia ſunt poſteriora eſſentialibus, ex Scoto, 2. non eſt poſterior, quia ſicnon produceret Filium, ſed ſupponeret jam productum per intellectionem, 3. non concomitans, quia ſic darentur duo actus productivi ejuſdem Verbi, ſc. intellectio, & dictio, & præterea illi duo actus ſeſe potiùs excludunt, nam per intellectionem Pater, & Filius ſunt unum, & per dictionem fiunt duo; ergo &c.

Reſp. neg. min. Nam intellectio eſt prior dictione, ex Scoto, (1) *Immediatius eſt ad memoriam fœcundam Patris intelligere, quàm dicere*. Iſtud enim præexigit intelligere, ſicut prius eſt in lumine, quòd luceat, quàm quòd illuminet, & iſtud præexigit illud. Nec enim Sol poſſet illuminare, niſi luceret. Fatetur verò Doctor, quòd in nobis hæc duo non ita diſtinguuntur, ſc. *Intelligere*, & *dicere*, ſed in Deo id neceſſe eſt, quia *intelligere* communicatur, non autem *dicere*, quod eſt ſolius Patris.

Inſt. Illa intellectio in Patre, ut prior, vel aliquid operatur, vel nihil, ſi nihil, ergo fruſtra eſt, & malè ibi ponitur per modum actionis, ſi aliquid operatur, ergo operatur Verbum. Quid enim aliud poſſit operari?

Reſp. 1. Retorqueri poſſe argumentum de intellectione illa, prout eſt communis tribus. Vel enim illa operatur aliquid, vel nihil.

Reſp.

(1) *d. 2. q. 7.*

Reſp. 2. Intellectionem fœcundare memoriam, ſeu intellectum Patris ad generationem, ſeu dictionem; ſicut cognitio fœcundat ad loquendum. *Quod ſcimus, loquimur*. Deus Pater non ſe repræſentaret in Filio per dictionem, niſi ſe intelligeret.

Inſt. 2. intellectio eſſe non poteſt in Patre ſine ipſa paternitate, qua conſtituitur Pater; ſed dictio eſt ratio conſtitutiva Patris, ſeu ipſa paternitas; ergo intellectio in Patre non eſt prior dictione.

Reſp. neg: maj. abſolutè, quia ſicut animalitas in homine præſupponitur rationalitati, & per adventum rationalitatis non amittit ſuam prioritatem; ita intellectio in Patre per adventum dictionis, ſeu paternitatis, qua conſtituitur in eſſe Patris, non amittit ſuam prioritatem, alioqui non eſſet Deus, nec beatus, niſi per paternitatem, nec communicaret ſuam beatitudinem Filio per dictionem, quæ falſa ſunt, ut patet ex fundamento concluſionis.

Objic. 4. Illa dictio eſt actus intellectus; ergo non diſtinguitur ab intellectione. Prob. conſ. Intellectus Dei formaliter nihil poteſt producere, niſi intellectionem, aut per intellectionem; ergo Verbum non poteſt produci, niſi per intellectionem, alioqui non eſſet Verbum.

Reſp. diſt. conſ. Non diſtinguuntur realiter, con. formaliter, neg. conſ. Et diſt. ant. prob: Niſi intellectionem formaliter, aut realiter, ſeu radicaliter, con. niſi quod ſit intellectio formaliter, neg. ant. Nam intellectus habet duos actus formaliter diſtinctos, non realiter, unum operativum, ut eſt intellectio, & alterum productivum, ut dictio, & per iſtum intellectus producit Verbum. De quo vide, quæ diximus in Philoſophia. Hi tamen actus aliter ſe habent in Deo, quàm in nobis. Nam Deus Pater primò ſe intelligit comprehenſivè, & hanc intellectionem communicat Verbo per dictionem activam, qua ſit Pater, ſicut Filius conſtituitur per paſſivam. In nobis verò intellectus fœcundatur ſpecie impreſſa objecti, vel in ejus præſentia producit ſpeciem expreſſam ejuſdem objecti, per quam conſtituitur intelligens illud.

Quod ut facilius capias, nota, quòd ſicut in calefactione ſunt tria hæc, 1. calor ut forma, 2. fluxus caloris, & 3. productio caloris, ſeu actio, qua pro-

du-

ducitur calor, & quæ ſecundum nos manet in agente, & ſicut actio iſta non eſt neque calor, neque fluxus caloris, ſed actio; ſeu via, qua producitur, ſic in generatione Verbi eſt Deitas, & intellectio quaſi forma Patris, 2. fluxus talis formæ, & 3. actio, ſeu via, qua hæc forma communicatur Filio, & generatur Filius. 1. vocatur intellectio, ſeu Deitas intelligens, 2. fluxus Deitatis in Filium, & 3. actio, qua pater eam communicat Filio, & hæc vocatur dictio, ſeu generatio activa; fluxus verò eſt ipſa filiatio, ſeu generatio paſſiva, qua conſtituitur Filius. Et ita cum proportione dicendum de Spiritu S.

Colligis, quòd in Deo eſt actus intellectus, & voluntatis, 1. *operativus*, quo percipit, & amat Eſſentiam ſuam, & omnes perfectiones ſuas abſolutas, 2. *activus*, ſeu productivus, quo communicat ſuam illam Eſſentiam, & perfectiones. 1. vocatur *intellectio*, & *volitio*, ſeu *amor*, ſeu *dilectio*, & uterque actus eſt eſſentialis, & communis toti Trinitati, 2. vocatur *dictio*, ſeu *generatio*, quæ eſt in ſolo Patre, & *ſpiratio*, quæ eſt in Patre, & Filio, per quam producunt Spiritum Sanctum. De his infrà ſingillatim.

## QUÆSTIO V.

*De aliis differentiis, & vera quidditate proceſſionum Divinarum. An, & quare una ſit generatio, & non altera.*

HUjus difficillimæ quæſtionis examen non approbarent SS. PP. *Judæorum eſt* (inquit Athanaſius) *quærere ex Deo, quomodò Verbum exiſtat, aut quomodò ſit Dei ſplendor, quomodò generet Deus, & quis ſit modus generationis Dei. Inſanus enim eſt, qui talia audeat, cùm inexplicabilem rem ..... declarare conetur.* Et S. Ambroſ. [1] *Impoſſibile eſt ſcire hujus generationis ſecretum. Licet ſcire, quòd natus ſit, non licet ſcire, quomodò natus ſit*, &c. Et S. Aug. [2] *Quid illis interſit inter procedere, & naſci, longum eſt quærendo diſſerere, & temerarium, cùm diſſerueris, definire.* At, inquit Juſtinus Mar. [3] *Non debemus tamen in totum ab ea quærenda deſiſtere, ſed pro ſua quiſque portione acceptæ à Domino ſcientiæ ſtrenue*

[1] *Orat.* 3. [2] 1. *de Fide.* 5. [3] 15. *Tr.* 47.

*quæ rem examinet*. Et hoc monitum amplectimur.

Suppono autem ex Philoſophia, quòd generatio 1. latiſſime accipitur pro cujuſvis rei productione. 2. ſtrictiùs pro ſolius viventis qualicunque productione, ſic rana dicitur generari a Sole. 3. magis propriè pro productione *viventis à vivente ex principio conjuncto*, ut generatio pediculi ab animali, 4. propriiſſimè *eſt origo viventis à vivente, medio principio conjuncto, in ſimilitudinem naturæ*, ſc. eſt actio vitalis, per quam aliquod vivens producitur à vivente per communicationem ſubſtantiæ ſuæ, & genitum ex vi generationis fit ſimile generanti in natura, aut idem realiter.

Suppono 2. etiam ex dictis ibidem, eam eſſe differentiam intellectus à voluntate, 1. quòd ille ſit agens naturaliter, id eſt ex determinatione naturæ ſuæ ad unum, iſta verò liberè, ſaltem libertate eſſentiali, ita ut cum inclinatione, & eligibiliter, & complacenter ſe ipſam determinet ad actum ſuum. 2. differunt, quòd actus intellectus habet in ſe rationem imaginis repræſentantis objectum ſuum; quod cum illo concurrit vel per ſe immediatè, vel mediante ſpecie, quam immittit in illum; & qua velut ſemine fecundat eum ad actum velut factum producendum; actus autem voluntatis non habet ex ſe rationem imaginis, nec in ſe repræſentat objectum ſuum, ſed in illud fertur per modum ponderis, & inclinationis, eique unitur per amorem, quaſi per vinculum. Unde amor dicitur ab Auguſtino (1) *quædam vita duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem ſc. & amatum*. Uno verbo, voluntas ex ſe non agit naturaliter, ſed liberè, nec de ſe producit actum in ſimilitudinem naturæ. His notatis ſit.

## CONCLUSIO I.

PRoceſſio Verbi de ſe eſt vera generatio, non autem proceſſio Spiritus Sancti. Eſt de fide quoad utranque partem, contra Arrianos quoad 2.

Prob. 1. p. 1. ex Script. qua conſtat; unam in Deo Perſonam eſſe Patrem, ſeu generantem, & aliam Filium, ſeu genitum. (2) *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Et, *Ante luciferum genui te*. Et, *In ſplendoribus*.

[1] 8. *Tr.* 10. [2] *Pſ.* 2. & 109.

*bus ſanctorum genui te*. (1) Et, *Generationem ejus quis enarrabit?* (2) Et, *Videmus gloriam ejus gloriam quaſi unigeniti à Patre*, ideſt ut unigenitus, qui eſt in ſinu Patris. Et hæc duo loca probant etiam 2. p. Nam ſi proceſſio Spiritus Sancti eſſet etiam generatio, Verbum non eſſet unigenitus. Idem patet ex omnibus locis, in quibus auditur nomen Patris, & Filii, ut cum dicit, *Ego, & Pater unum ſumus*, &c.

Prob. 2. ex definitionibus Eccleſiæ, ut ex Symbolo Nicæno, *Credimus in J. C. filium Dei unigenitum, & ex Patre natum*. Et in Symbolo Athanaſii, *Filius* dicitur *non factus, nec creatus, ſed genitus*. Et in Concil. Tolet. 11. dicitur *de Patre, id. de ſubſtantia ejus, idem Filius genitus, vel natus credendus eſt*.

Prob. 3. ex Patrib. & traditione perpetua Eccleſiæ. Nam Clemens, (3) an. 80. *Filium Dei unigenitum dicimus*. S. Ignatius, (4) an. 100. dicit eum *Filium Dei viventis*. Juſtinus Martyr (5) an. 160. *Cùm ex ſubſtantia ſua Pater Filium genuerit*. Theoph. Antioch. (6) an. 170. *Cùm jam Deus Pater condere, quæ deliberaverat, inſtituiſſet, hunc Sermonem genuit*. Clem. Alex. (7) an. 200. *An non vel inviti fatebuntur Verbum perfectum ex Patre perfecto natum?* Dionyſ. Alex. (8) apud Athanaſ. an. 270. *Si Pater eſt, neceſſariò & Filius eſt*, &c. Euſeb. Cæſar. (9) *Cùm unus ſit Pater, Filium quoque unum eſſe oportet*. Idem eſt de aliis, & tàm Græcis, quàm Latinis. Sit pro omnibus Auguſtinus ann. 400. *Filius de Patre eſt .... Filius de Patre genitus*.

Prob. 4. tota concl. ex Scoto, cum aliis omnibus Theologis unanimiter docentibus, productionem Verbi eſſe veram generationem, non item Spiritus S. & adducit Scotus (10) S. Auguſtinum dicentem de Spiritu S. *Cur non ſit Filius, cùm tamen à Patre exeat?* & ſolvit dicens, *quia procedit, non quomodò natus, ſed quomodò datus*. Et ſolvit etiam diſtinctionem Perſonarum per diſtinctas emanationes.

Prob. 5. quia productio Verbi habet omnes conditiones veræ generationis. 1. *eſt origo viventis à vivente*. Tam Pater, quàm Filius vivunt. *Sicut Pater habet*

[1] *Iſa.* 53. [2] *Jo.* 1. [3] 2. *Recogni.* [4] *Ep. ad Epheſ.* [5] *Expoſ. fidei* 2. [6] *ad Antolicum.* [7] 1. *Padag.* [8] *Ep. de Dio.* [9] *Ser.* 64. *de ver. Do.* [10] 1. *d.* 13. *n.* 20.

*habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio*. E quidem uterque vivit vita intellectiva. 2. *à principio conjuncto*. Et quidem perfectiori longè, quàm in alia ulla generatione. Nam de ipſiſſima Subſtantia Patris generatur Filius; quod ſignificat dicens, *Ex utero genui te*. Nam inquit Auguſt. *Idem naſci dicitur ex ejus utero, quia de ſe ipſo, hoc eſt de ſubſtantia ſua Deus Deum genuit*, communicando illi totam ſuam Naturam indiviſibiliter. 3. *in ſimilitudinem naturæ*. Nec enim major eſſe poteſt ſimilitudo, quàm unitas realiſſima omnium perfectionum, & Subſtantiæ, quæ eſt in illis Perſonis, ſc. in Genitore, & genito. Ideò iſte dicitur (1( *Imago, ſplendor, & figura Subſtantiæ ejus*. Imò ſunt unum ens, una ſubſtantia. *Ego, & Pater unum ſumus*; Ergo adſunt omnes conditiones veræ generationis.

Dixi, *ex ſe, ſeu ex vi proceſſionis ſuæ*, quia Spiritus S. habet quidem ſimilitudinem, & unitatem Subſtantiæ cum Patre, & Filio, à quibus producitur, ſed hoc non habet ex vi proceſſionis formaliter. Non enim eſt de ratione productionum voluntatis, ut repræſentent objectum ſuum, ſicut actus intellectus. Ideò

Prob. 2. p. 1. ex iiſdem locis Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, quibus probatur unitas Filii, & ex Symbolis: dicitur enim, quòd *Spiritus Sanctus à Patre, & Filio eſt, non factus, non creatus, nec genitus, ſed procedens*. Et, ut docet Concilium Epheſinum, (2) *Filius Dei dicitur primogenitus, & unigenitus; primogenitus comparatione ad filios adoptivos, & unigenitus per excluſionem alterius filii naturalis*. 3. quia de ratione generationis eſt, ut ſit per viam naturæ, ſeu actus naturalis, non autem voluntarius, nec per viam libertatis, qualis eſt proceſſio Spiritus S. ergo hæc non eſt vera generatio.

Objic. 1. con. 1. p. In Deo non datur tranſitus à non eſſe ad eſſe; ergo nec generatio. Quod enim generatur, accipit eſſe ſubſtantiale, quod non habebat. Et ita eſſet de Verbo, ſi generaretur.

Reſp. neg. conſ. & diſt. rationem ejus. Accipit eſſe per generationem æternam, vel temporalem, con. per generationem temporalem, & veram ſucceſſionem eſſe poſt non eſſe, neg. ant. & conſ. Nam Verbi generatione

[1] *Coloſſ. 1. 2. Cap. 4.*

neratio eſt æterna,& ſine ſucceſſione eſſe poſt nō eſſe.

Inſt. Verbum generatur exiſtens, vel non exiſtens: ſed neutrum dici poteſt; ergo non verè generatur. Prob.min. Non 1. quia exiſtens non generatur, non 2. quia repugnat Perſonæ Divinæ non exiſtere.

Reſp. neg. min. & ad prob. dico, quòd à Patre generatur exiſtens. Nam generatio eſt æterna, & Verbum exiſtit, & generatur per æternitatem.

Inſt. 2. Si Pater adhuc generatur,& Filius adhuc generatur, generatio non eſt perfecta, nam continuò perficitur; ſed conſ. eſt abſurdum: ergo, &c.

Reſp.neg. maj. Nam cùm æternitas ſit tota ſimul, & indiviſibilis, ita & generatio Verbi, quæ non habet præteritum, nec futurum, nec ſucceſſionem, quia eſt æterna. *Dei Soboles æterna eſt, quia Natura ſemper eſt perfecta*, ait S. Athanaſius. (1)

Objic. 2. Si productio Verbi eſſet vera generatio, quia dicitur genitus, diceretur etiam de homine, quia dicitur etiam genitus à Deo. (2) *Deum, qui te genuit, dereliquiſti*; ſed conſ.eſt falſum;ergo licèt Scriptura dicat, Verbum eſſe genitū, non ſequitur, quòd productio ejus ſit vera generatio, ſicut nec productio hominis.

Reſp.neg. maj. & rationem ejus. Nam licèt aliquandò Scriptura utatur voce *generandi* loquens de productione hominis, utitur etiam aliis vocibus, quibus ſignificatur, illum fuiſſe creatum, factum, conditum, &c. & quidem in tempore, & deſunt ejus productioni conditiones veræ generationis, non autem productioni Verbi. Dicitur ergo homo *genitus* latiſſimè, & impropriiſſimè.

Objic. Intellectus ex ſe non eſt generativus; ergo nec intellectus Dei. Ant. patet de homine, & Angelo. Prob. conſ. Nam intellectus univocè de Deo, & creatura rationali dicitur.

Reſp. diſt. ant. Intellectus creatus, con. Increatus, neg. ant. & rationem ejus. Nam dicitur de Deo, & creatura imperfecta univocatione. Intellectus creatus eſt quidem potentia naturaliter à productione verbi, ſed non conſubſtantialis, & tantùm intentionaliter ſimilis objecto. Non ita eſt de intellectu Dei, qui eſt potentia infinita, & gignit Verbum ſuum æternè, & de ſubſtantia pariter infinita.

Inſt.

[1] *Orat.* 2. [2] *Deut.* 32.

Inſt. Quod generatur, producitur in ſimilitudinem producentis; ſed Verbum non producitur ſimile Patri; ergo nec generatur. Prob. min. quia non habet paternitatem in ſe.

Reſp. diſt. maj. In ſimilitudinem naturæ, & quoad eſſentialia, con. maj. & neg. min. quoad perſonalia, & incompatibilia, neg. maj. & conſ. Nam ad generationem propriam ſufficit ſimilitudo in natura, & quoad eſſentialia, & compatibilia, quales non ſunt paternitas, & filiatio in Verbo Divino.

Objic. 1. con. 2. p. Eadem eſt ratio de proceſſione Spiritus S. & Verbi; ſed iſta eſt vera generatio; ergo & illa, vel neutra eſt. Prob. maj. Tam productio Spiritus S. *eſt origo viventis à vivente, & in ſimilitudinem naturæ, & a principio conjuncto*; ſed ob iſtas conditiones productio Verbi eſt generatio; ergo, &c.

Reſp. neg. maj. & diſt. 2. Tam eſt origo ex vi proceſſionis ſuæ præciſè, ſed libera, & non naturalis, con. tàm naturalis, neg. maj. Et diſt. pariter 2. min. Ob iſtas rationes, & ſimul, quia proceſſio Verbi eſt naturalis, ſeu à potentia naturaliter agente, con. præciſa hac conditione, neg. min. Nam ſicut nativitas dicitur à natura, ita exigit hanc conditionem inter alias.

Objic. 2. Spiritus S. non eſt ingenitus; ergo eſt genitus. Ant. patet. Nam ingeniti nomen eſt notio ſolius Patris. Prob. conſ. Nam genitus, & ingenitus ſunt contradictoria; ergo non admittunt medium.

Reſp. diſt. ant. & rationem ejus. Non eſt ingenitus, prout ea vox excludit proceſſionem, ſeu originem ab alio, con. prout excludit proceſſionem per actum, qui ſit vera generatio, neg. ant. & rationem ejus. Nam in hoc ſenſu tam convenit Spiritui S. quam Patri, non verò, prout excludit omnem proceſſionem ab alio; ſic enim ſoli Patri convenit.

Objicies 3. Tam dicitur de Verbo, quòd ſit *primogenitus*, quàm *unigenitus* Patris; ſed *primogenitus* dicit relationem ad ſecundò genitum, & iſte in Deo non poteſt eſſe, niſi Spiritus S. ergo Spiritus S. eſt verè genitus. Prob. maj. ex Scriptura. (1) Imò & vox *unigeniti* non ſemper excludit alios filios. Nam Salomon dicitur (2) *unigenitus matris* ſuæ, cum tamen Berſabea habuerit alios tres filios ex ipſo David; ergo vel vox *unige-*

[1] *Prover.* 4. [2] 2. *Reg.* 5.

*unigeniti* non probat, generationem ſoli Verbo convenire, vel vox *primogeniti* probat tam convenire etiam Spiritui ſancto.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. Nam ex multis locis Scripturæ, & uſu communi loquendi, *unigenitus* ſumitur propriè pro unico filio cum excluſione plurium, licèt aliquando, ſed raró uſurpetur minùs propriè, ut cùm id dicitur de Salomone, non ut ſignificetur, eum fuiſſe unicum, ſed unicè dilectum a Matre. *Ego*, inquit ipſe, *fui filius patris mei tenellus, & unigenitus coram matre mea*, id. unicè dilectus, ut clarè patet in textu. At *primogenitus* non neceſſario dicit relationem ad alios, ſed tantum excludit priores genitos, & ſic Chriſtus dicitur *primogenitus* Deiparæ Mariæ, quam conſtat non habuiſſe plures.

## CONCLUSIO II.

P*Roceſſio Verbi dicitur generatio, non autem proceſſio Spiritus S. maximè quia ille procedit naturaliter, & iſte liberè, ſeu voluntariè*. Eſt Scotiſtarum cum ſuo Doctore.

Prob. 1. ex Scoto (1) dicente, quod *generatio ſumitur ſpecialiter*, (id. propriè) *pro productione vivi ex vivo... & ibi concurrit ex parte agentis inclinatio naturalis, ſive forma naturalis, quæ eſt principium generandi*, & dixerat, quod natura *eſt vis inſita rebus, ex ſimilibus ſimilia procreans, & quòd illa definitio naturæ probat, quòd Spiritus S. non producatur, ut ſimilis ex vi productionis ſuæ, & quòd non eſt imago Patris, ſicut Filius, qui ex vi productionis ſuæ procedit, ut ſimilis Patri*, ſc. quia procedit per viam, & modum naturæ, non autem liberè, ſeu voluntariè, ut Spiritus S. Eadem eſt mens S. Bonaventuræ (2) dicentis, *proprium Filio procedendi modum eſſe inſtar naturæ*, & alibi, quòd *Filius exit per modum Verbi, & ſpeciei, & per modum ſpeciei expreſſæ*.

Prob. 2. ex Patribus. Nam Auguſt. (3) cit. quærit, *cur Spiritus S. non ſit Filius, cùm tamē à Patre exeat, quia*, inquit, *exit non quomodò natus, ſed quomodo datus*, ſc. liberaliter, & volūtariè. Et S. Athā. ex Syn. Nic. *Quod natura-*

[1] *Pro.* 4. 1. *d.* 13. *P. n.* 20. *& d.* 10. *Q. n.* 1. *&* 13.
[2] *Comp. l.* 1. *c.* 7. 1. *d.* 38. *a.* 1. *q.* 2. [3] *Ep. decr. hyp.*

*turaliter ex aliquo naſcitur, & eſt ſimile in natura, neque aliunde adoptatur, id pro filio cognoſcit natura, & eam vim ſignificationis præ ſe fert*. Ita eſt de aliis.

Prob. 3. Quia non poteſt afferri melior ratio talis differentiæ, ut patet diſcurrenti per alias, quæ ſolent afferri; & iſta ſufficit, quia videmus, omnes productiones, quæ dicuntur generationes, oriri ex natura, id. ex principio agente naturaliter, & aſſimilante ſibi productum in natura; ergo ſic benè explicatur ratio differentiæ harum proceſſionum.

Dixi, *maximè*, ſeu *principaliter*. Nam aliæ rationes, quæ afferuntur, non ſunt cõtemnendæ, ſed vel non ſunt radicales, vel in iſtam incidunt. Nam 1. qui dicunt, ideò Verbum dici *genitum*, & *Filium*, quia accipit à Patre naturam perfectè ſimilem, ſc. fęcundam, ut producat aliam Perſonam, non planè ſatisfaciunt, quia Verbum non habet cum Patre perfectam ſimilitudinem fœcunditatis reſpectu alterius Verbi, ſicut nec reſpectu ſpirationis, quam non habet à ſe ipſo, ut Pater, & ſi per impoſſibile illam non haberet, adhuc eſſet Filius. 2. qui dicunt id eſſe, quia Filius habet hanc ſimilitudinem ex vi proceſſionis ſuæ, verè dicunt, ſed hæc ratio eſt quaſi à poſteriori. Nam ideò hoc eſt, quia procedit per viam & modum naturæ, quę de ſe producit ſimile. Præterea Verbũ non procedit, ut ſimile, nec ut imago principii ſui activi, ſc. intellectus, ſed Naturę, ſeu Eſſentiæ. Deinde Spiritus S. ex vi proceſſionis ſuæ habet omnẽ illam ſimilitudinem cum Patre, & Filio, quam habet Verbum cũ Patre; ergo vel iſtæ rationes, & ſimiles alię nõ ſufficiũt, vel refundũtur in noſtram, ut radicem primariam, ex qua oritur talis differentia. Quando autem dicimus, Spiritũ S. *produci liberè*, non loquimur de libertate contingentiæ, quæ opponitur neceſſitati, ſed de eſſentiali, quæ opponitur tantùm naturalitati, & ſtat cum neceſſitate. De hoc infra.

Objic. ex Scoto. Ratio hujus differẽtię venit ex eo, quòd Verbum ex ſe procedit, ut imago producentis, non verò Spiritus S. ergo ratio illius differentiæ non venit ex naturalitate. Prob. ant. Nam, inquit Doctor, *Spiritus S. non procedit, ut ſimilis ex vi productionis ſuæ, & verum eſt, quòd non eſt imago Patris, ſicut Filius &c.* ergo ex Scoto, non benè damus rationem talis differentiæ.

Reſp.

Reſp. diſt. ant. Ratio aliqualis, & quaſi à poſteriori, con. ratio primaria, & radicalis, & quaſi à priori, neg. ant. & conſ. prob. Nam Scotus non prætendit, eam rationem eſſe præcipuam, nec primariam, & radicalem, ut patet ex textu allato ſupra. Nam ſi quæratur ulteriùs, cur Spiritus S. ex ſe non procedit ut ſimilis, quamvis alioqui ſit ſimilis, eſt; quia non procedit per modum naturæ, ſed voluntatis, quia ſola natura *eſt vis inſita nobis ex ſimilibus ſimilia procreans*, & hoc intellectui convenit, non voluntati, ſaltem de ſe, neque ex ſuo proprio modo agendi.

## QUÆSTIO VI.

### *De principiis immediatè activis proceſſionum Divinarum.*

PRincipium aliud dicitur totale, & *ut quod*, ſc. Perſona, ſeu ſuppoſitum producens, ut Pater reſpectu Filii, aliud *ut quo*, ſc. formalis ratio, ſecundum, aut per quam ſuppoſitum agit; ut ignis calefacit per calorem *ut quo*.

Ruſſus iſtud eſt vel *radicale*, & *remotum*, ut forma ignis reſpectu calefactionis, vel *proximum*, & *immediatum*, ut calor in eadem actione. Non diſputamus hìc de principio *quod* Divinarum proceſſionum. Certum enim eſt id convenire Perſonis producentibus, ſcilicet Patri reſpectu generationis, & Patri, & Filio reſpectu ſpirationis. Nam *actiones ſunt ſuppoſitorum*, ut *quod*, & denominativè. Quæſtio ergo procedit de principiis formalibus, & *ut quo*, tam proximo, quam radicali.

Hæc autem principia ſunt, vel Eſſentia præcisè, & formaliter, ut diſtincta formaliter à Perſonis productis, vel etiam intellectus, & voluntas, prout diſtinguuntur tùm ab Eſſentia, tùm à Perſonis, tum inter ſe. Et quæritur, quænam ex illis debeant ſic dici.

## CONCLUSIO.

SOlus *intellectus eſt principium formale immediatum, & quo generationis Verbi, & ſola voluntas ſpirationis, & quidem, prout ſunt in Perſonis producentibus*. Eſt communis contra Durandum, qui hoc tribuit Eſſentiæ, & alios, qui paternitati, & filiationi.

Prob.

Prob. 1. ex Scoto, (1) qui in locis citatis docet, aut ſupponit, differentiam proceſſionum iſtarum peti extrinſecè ab intellectu, & voluntate. *Principiativè, ſeu originativè diſtinguuntur à ſuis principiis, intellectu ſcilicet, & voluntate.... &* *quod eſt formale in principiatis* (generatione, & ſpiratione) *reducitur ad iſtam diſtinctionem principiorum*; ergo &c.

Prob. 2. ex Script. & Patrib. Et 1. quoad generationem Filii. Nam ideò vocatur *Verbum*, quia eſt terminus productus per intellectum[2] *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*. Et [3] *tres ſunt... Pater, Verbum, &c.* Et [4] *Nomen ejus eſt Verbum Dei*, Et [5] *Fons ſapientiæ Verbum Dei*. Et (6) *Omnipotens ſermo tuus*, &c. Sed Verbum, ſapientia, & ſermo ſunt partus intellectus; ergo & Filius Dei. Nam, inquit Cyrillus, (7) *Filius vocatur Verbum, & ſapientia, quoniam ex intellectu immediatè, & indiviſibiliter eſt*. Et Baſil. (8) *Ut oſtendatur, quòd ex mente procedit*. Et Dionyſ. Alex. [9] apud Athanaſ. *Verbum veluti filius mentis... Et ab illa progerminatum*. Et Damaſc. (10) *Verbum eſt naturalis mentis motio, ſecundum quam movetur, intelligit, & cogitat*.

2. De SpirituSancto, qui dicitur charitas, & amor, & donum, quæ ſunt opera voluntatis. (11) *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S.* Et Concil. Tolet. II. (12) *Spiritus S. charitas Patris, & Filii eſſe dignoſcitur*. Et S. Auguſt. (13) *Sicut Dei Verbum Filium eſſe nullus dubitat, ita charitatē eſſe Spiritum Sanctum*. Et ſuprà citatus dicebat, quòd Spiritus Sanct. procedit, *non quomodò natus, ſed quomodo datus*.

Prob. 3. Quia ſi illæ proceſſiones eſſent immediatè ab Eſſentia, & non ab illis potentiis, non poſſet reddi ratio, cur una eſſet generatio, & non alia; ſed conſ. eſt falſum, & contra omnes; ergo non ſunt immediatè ab Eſſentia, ſed ab intellectu, & voluntate. Probatur maj. Cur enim Verbum diceretur eſſe à Patre, & Spiritus Sanct. à Patre, & Filio? cur prius Eſſentia communicaretur uni, quàm alteri? cur unius proceſſio eſſet generatio, & alia ſpiratio? Nam Eſſentia de ſe, præcisè ab intellectu, & voluntate, eſt indiffe-

[1] 1.*d*.13.*Q*.*n*.19.[2]*Jo*.1.[3]1.*Jo*.5.[4]*Apo*.19.[5]*Ec*.1. [6]*Pro*.8.[7]*l*.1.*inJo*.*c*.5.[8]*hom*.16.*inJo*.[9] *Ep.de ſēt. Diō*[10]1.*defid*.8.[11]*Ro*.5.[12]*Cōfeſ.fid*.[13]9.*Tr*.12.

indifferens ad hæc omnia; ergo de ſe non eſt ratio proxima, & formalis differentiæ, vel ordinis proceſſionum.

Objic. 1. SS. Patres dant nomen Verbi ſingulis perſonis indifferenter; ergo ex his vocibus malè infertur, proceſſiones non eſſe immediatè ab Eſſentia. Probatur ant. ex Baſilio: (1) *Dei quidem Verbum Filius eſt; Filii autem Verbum Spiritus*; ergo Spiritus S. tàm dicitur Verbum, quàm Filius; ergo ex his vocabulis malè infertur Filium eſſe ab intellectu magis, quàm Spiritum Sanctum.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam licèt Patres quandoque utantur voce *Verbi* in laxiori ſignificatione, & pro qualibet Perſona Divina producta, tamen ordinariè loquuntur aliter, & in proprio ſenſu.

Inſt. S. Auguſt. dicit, *Verbum, per quod omnia facta ſunt, eſſe Filium Dei natura*. Et Damaſcenus cit. proceſſionem illam vocat *opus naturæ*; ergo proceſſiones ſunt ab Eſſentia, ſeu natura ſecundum Patres.

Reſp. neg. conſ. Nam per hæc, & ſimilia verba Patrum, habemus tantùm, quòd Verbum ſit per Naturam, ſeu opus Naturæ, id. ejuſdem Naturæ cum Patre, & quòd procedat per modum Naturæ, non autem libertatis eſſentialis, ut Spiritus Sanct. Et hoc dicebant contra Arrianos, qui negabant conſubſtantialitatem Verbi cum Patre. Eſt quidem ab Eſſentia, ſicut & Spiritus Sanct. ſed immediatè, & radicaliter.

Objic. 2. Fœcunditas in creaturis non eſt in potentiis, ſed in naturis; ergo & in Deo. Prob. ant. Homo non generat hominem per intellectum, nec voluntatem, nec Angelus alium, licèt ſit perfectè intelligens, & volens; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. & paritatem, alioqui ſicut nulla creatura ſpiritualis eſt fœcunda, ita eſſet de Deo. Non ergo valet paritas de Deo cum creatura quoad hoc, quia hęc per intellectum, & voluntatem producit terminos accidentales, & intentionales, Deus verò terminos ſubſtantiales, & realiſſimos; licèt uterque agat per intellectum, & voluntatem, & in hoc tantùm conveniunt.

Inſt. Si Deus hæc ageret per intellectum, & voluntatem, id faceret per intellectionem, & volitio-

[1] 5. *con. Eunom.* 11.

litionem; ſed hoc eſt contra nos; ergo,&c. prob.maj. quia iſtæ potentiæ non habent alios actus.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. Nam patet ex dictis, quòd Pater generat per actum notionalem, & productivum, qui eſt dictio, & ambo producunt Spiritum Sanctum per actum voluntatis, qui dicitur ſpiratio.

Objic. 3. Licèt intellectus, & voluntas immediatè fluant ab Eſsentia, non minùs differunt; ergo licèt Verbū, & Spiritus Sanctus eſsent immediatè ab Eſsentia, non minùs differrent illæ proceſſiones,& ſic ruit fundamentum noſtrum.

Reſp. neg. conſ. & diſparitas eſt, quia non adeſt nobis ratio diſtinguendi emanationes potentiarum iſtarum ab Eſsentia, benè verò proceſſionum.

Dixi autem 1. *Principium formale, & immediatum.* Nec enim negamus, quin Eſsentia ſit principium radicale, & remotum proceſſionum æquè,ac potentiarum ipſarum. Et hoc ſenſu loquuntur Patres dicentes, *generativam virtutem eſſe Eſſentiam Dei*, ut Cyrill.[1] Et *quòd generatio eſt naturæ, non ſicut generantis, ſed ejus, quo generat*, ſcilicet non ut principium *quod*, ſed *Quo*, ut Damaſ.[2] & quòd *Pater, & Filius non ex relationibus ſuis, quæ plures ſunt, ſed ex ipſa Eſſentia, quæ una eſt, emittunt tantum bonum*, ut Anſelmus. [3] Loquuntur de principio *quo* radicali, & remoto, non de proximo, & immediato.

Dixi 2. *prout in Perſonis producentibus.* Nam intellectus, & voluntas immediatè, & ut eſsentiales, communes ſunt tribus Perſonis cum eſsentia per ipſas origines. Et ſicut Eſsentia non communicatur Verbo, niſi prout eſt in Patre ſubſiſtens, & determinata per paternitatem, ita & intellectus non gignit Verbum, niſi prout eſt in Patre, & ita eſt de voluntate, quæ non ſpirat, niſi prout eſt in Patre, & Filio. Nam, ut diximus, *actiones ſunt ſuppoſitorum*.

Juxta hoc intelligendi ſunt Patres, cùm videntur tribuere proceſsiones Hypoſtaſibus, ſeu Perſonalitatibus, ut cùm Athanaſ. dicit, *Pater Hypoſtaſi genuit*, & Ambroſ. *Generatio paternæ proprietatis eſt, non potentiæ.* & Auguſt. *Eo ipſo Patrem dici, & eſſe, quo eſt et Filius*. Diximus autem, quòd actiones ſunt ſup-



[1] 1. *Theſ.* 7. [2] 1. *fid.* 8. [3] *monol.* 52.

poſitorum, non elicitivè à ſuppoſitalitate, ſed denominativè, & quaſi ex conditione, ſine qua non quatenus natura non agit, ſicut nec potentia, niſi ſit ultimò terminata, & ſuppoſitata.

## QUÆSTIO VII.

### *De terminis proceſſionum Divinarum.*

OMnis actio, ſicut & motus, reſpicit duos terminos, *à quo*, & *ad quem*. Igitur proceſſiones activæ Divinæ habent ſuo modo hos terminos, & uterque duplex eſt, *materialis*, & *formalis*, & rurſus uterque eſt *proprius*, vel *improprius*. Et de his omnibus procedit quæſtio, & quæſtio eſt, unde procedant, & producatur, & quid producatur. Terminus *materialis* eſt ſubjectum, ſeu quaſi ſubjectum, in quo aliquid ponitur per actionem, ut lignum in calefactione, *formalis* verò eſt ipſa forma per actionem producta, vel poſita. Rurſus terminus *formalis* ut partialis, & ut quo, eſt præciſè illa forma, ut *quod* verò, & *totalis*, eſt tota res producta, v. g. tota perſona Divina. Quæritur ergo hic, quid in Deo, & proceſſionibus Divinis habeat rationem talium terminorum.

### CONCLUSIO I.

*LIcet Perſonæ procedant, & producantur de ſubſtantia Divina, tamen Eſſentia Divina non ſe habet, ut materia in proceſſionibus Divinis, ſed potius ut forma.* Eſt communis contra Arrianos quoad 1. par.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Tenendo cum Doctoribus antiquis, qui omnes à tempore Auguſtini uſque ad iſtud non ſunt auſi in Divinis nominare materiam, aut quaſi materiam, cùm tamen omnes concorditer dicant cum Auguſtino, quod Filius generatur de Subſtantia Patris, ideò dico 1. quòd Filius non generatur de Subſtantia Patris, tanquam de materia, vel quaſi materia, 2. quòd ſine gloſſa, vere, & propriè Filius eſt de Subſtantia Patris.* Nihil clarius.

Prob. 2. quoad 1. par. ex Concil., & Patribus. Nam Concil. Nicænum in confeſſione fidei, & Epheſinum Ep.

[1] *1.d.5.q.2.E.n.11.*

Ep. ad Neſtorium ait, *Credimus in unum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei, natum ex Patre, hoc eſt ex Subſtantia Patris, Deum de Deo*. Et Tolet. II. id docet ex illo textu Pſalmiſtæ, [1] *Ex utero ante luciferum genui te*. Nam inquit, *Filius non ex nihilo, aut ex alia ſubſtantia, ſed ex utero Patris, id eſt ex Subſtantia genitus credendus eſt*. Ex eodem loco idem docet Hiſpalenſe, & Florentinum: *Filius eſt ex Subſtantia Patris, & ſanctus Spiritus ex Subſtantia Patris, Filiique*. Et Symbolum Nicænum, *Deum de Deo, lumen de lumine*. Et Symbolum Athanaſii: *Deus eſt ex Subſtantia Patris*, &c. Et ſanctus Auguſtinus ſic argumentatur: *Filius Dei natus eſt aut de aliqua ſubſtantia, aut de nulla, ſi de nulla, ergo de nihilo, ſi de aliqua, nec tamen de Patris, ergo non eſt verus Filius*. Eodem modo arguit de Spiritu Sancto. Et idem docent alii Patres, & Theologi communiter.

Prob. 3. ratione. Filium generari de Subſtantia Patris, & Spiritum Sanctum produci de Subſtantia utriuſque, nihil eſt aliud, quàm Perſonas productas eſſe conſubſtantiales producentibus; ſed certum eſt de fide, Filium eſſe conſubſtantialem Patri, & Spiritum Sanctum utrique, ergo, &c.

Confir. quia etiam in generationibus creatis filius habet aliquid de ſubſtantia patris cum diſtinctione, & diviſione; ergo in generatione Divina Filius debet eſſe conſubſtantialis Patri, ſeu de Subſtantia ejus ſine diviſione, quia Natura Divina eſt indiviſibilis, & infinita.

Prob. 2. par. 1. ex Patribus. Nã, ut dicebamus ex Scoto, [2] *Omnes Doctores antiqui à tempore Auguſtini uſque ad iſtum Doctorem non ſunt auſi nominare materiam*, in Divinis. Unde idem Auguſt. ſic ſcribit ad Maximum, *Vos autem nec Filium de Subſtantia Patris vultis genitum, & tamen eum nec ex nihilo, nec ex aliqua materia, ſed Patre conceditis*, &c. Et ſanctus Hilarius, *Hic ergo ingenitus ante omne tempus ex ſe Filium genuit, non ex aliqua ſubjacente materia, quia per Filium omnia, non ex nihilo, quia ex ſe Filium*, &c. Et ſic de aliis.

Prob. 2. quia omne nomen materiæ importat imperfectionem, ſcilicet potentiæ ad actum; ſed omnis imperfectio repugnat Deo; ergo & omnis ſuſpicatio materiæ.

[1] Pſ. 19. [2] *Ib. l.* 3. 23. 12. *Tr.*

Confir. Quod habet rationem materiæ, aut quaſi materiæ, eſt in potentia, vel quaſi potentia ad formam; ſed hoc non poteſt dici de Eſsentia Dei in generatione Verbi, nec ſpiratione; ergo &c. Prob. min. Nam licèt illa potentialitas non diceret imperfectionem, adhuc dici non poſset de Natura Dei, quæ eſt ipſiſsima forma, & actus per generationem, & ſpirationem communicata Filio, & Spiritui Sancto, velut terminus formalis illarum actionum, ut mox dicemus. Idem autem non dicitur in potentia ad ſeipſum.

Objic. 1. con. 1. par. Filius non poteſt dici genitus de ſubſtantia ſua. Idem eſt de Spiritu Sancto; ergo nec de Subſtantia Patris. Prob. conſ. Nam eſt eadem indiviſibiliter in illis; ergo ſi Filius eſset de Subſtantia Patris, eſset de ſeipſo, & de ſua Subſtantia; imò & de Subſtantia Spiritus Sancti.

Reſp. neg. utrumque conſ. Nam Filium gigni de Subſtantia Patris, nihil eſt aliud, quàm eum per generationem accipere eandem Eſsentiam cum Patre, quæ Eſsentia præſuppoſitur eſse in Patre, & non in Filio pro illo inſtanti priori originis, in quo dicitur eam accipere. Unde illam habet à Patre, ut Filius, & Spiritus Sanctus ab utroque.

Objic. 2. Si Verbum eſset de Subſtantia Patris, poſſet dici Filius Subſtantię Patris, ſed conſ. eſt falſum; ergo &c. Prob. maj. ex Auguſt. [1] *Filium charitatis eſſe Filium Subſtantiæ Patris*, ſeu Filium, qui eſt de Subſtantia Patris genitus; ergo ſi dicitur primum, ita & ſecũdum.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. Nam licet diceretur Filius *Subſtantiæ* in eodem ſenſu, quo dicitur *de Subſtantia*, tamen locutio eſset impropria, quia generatio, & ſimiles actiones ſunt ſuppoſitorum, denominant ſuppoſita, non naturas.

## CONCLUSIO II.

D*Uæ Perſonæ productæ ſunt termini* ad quos, *& totales proceſſionum Divinarum, eſsentia autem eſt velut terminus formalis* quo.

Prob. 1. ex Scoto. [2] *In Divinis non aſſignabitur materia, nec quaſi materia, ſed tantum terminus, & hic vel totalis, ſive primus, id eſt adæquatus, qui primò producitur in eſse, vel terminus formalis, ſecundum quem ter-*

[1] 15. *Tr.* 19. [2] 1. *d.* 5. *q.* 2. *F.* *n.* 11.

terminus primus formaliter accipit eſſe . . . Eſſentia Filii ſecundum ordinem originis præfuit in Patre ; ergo Filius non eſt de nihilo, & multò magis *ſi illa Eſſentia priùs origine exiſtens in Patre ſit quaſi forma communicata Filio*. Non dicit abſolutè, quòd *ſit forma*, ſed *quaſi forma*, quia etiam ratio formæ, in rigore, dicit imperfectionem, ſc. partialitatem, & componibilitatem cum materia. Eſt *quaſi forma*, quia eſt Eſſentia Perſonæ productæ communicata per generationẽ, & quæ quaſi actuat, & conſtituit Suppoſitum genitum.

2. Idem probat infra [1] ex hypotheſi ſumpta ex homine. Nam Petrus cùm generat Paulum per deciſionem ſeminis, ex quo iſte formatur ſucceſſivè per multas alterationes, ſi eſſet perfectiſſimum agens, ita ut eodem momento produceret totam prolem, nõ minus, imò perfectiùs eſſet pater Pauli; atqui tunc ſubſtantia illa deciſa ex Petro non eſſet materia, ſed forma totalis, & eſſentialis Pauli, & terminus formalis talis productionis; ergo, inquit Doctor, *Pater æternus non decidendo aliquid ſui, ſed communicando totam Eſſentiam ſuam, & hoc, ut formalem terminum illius productionis, veriſſimè producit Filium de ſe, eo modo, quo eſſe Dei pertinet ad Patrem, & Filium*; ergo, ex Scoto, Eſſentia Divina, prout communicata perſonis productis per generationem, & ſpirationem, eſt verè terminus formalis earum proceſſionum. Et infrà docet expreſsè, quod *formalis terminus productionis eſt aliquid eſſentiale*.

Fateor tamen cum P. Barone, quòd Eſſentia ſic communicata non eſt tàm propriè terminus formalis productionis, quàm forma producti.

Prob. 2. quoad 1. part. ex Patribus, qui dicunt, Verbum produci à Patre *perfectum de perfecto, totum de toto, plenum de pleno*. *In Patre totum, quod ineſt, totum genuit Filium*, inquit Nazianzen. [2] Et, *tantus eſt Filius, quatenus videbitur eſſe Pater, totus de toto, integer de integro, perfectus de perfecto*, ait Ambroſ. [3] Eodem modo loquuntur alii, ut Auguſt. ſerm. 25. de temp. Hilar. 7. Trin. *meritò*, inquit, *dicitur productus de toto; quia cum nec in producente, nec in producto adſit ulla compoſitio, ita nec partialitas, dum non ex portione compoſitus eſt*, (ſcilicet Filius) *ſed ex ſimplici-*



(1) *Ibid. H. n. 13.* (2) *2. act. 7. n. 1.* (3) *Orat. 50. De fil. div.*

*tate perfectus eſt; neceſſe eſt, ut ſecundum quod eſt Pater, ipſe ſit omnium ſuorum ei, quem ſe genuit, Pater totus.* &c. ergo totus Filius eſt terminus totalis generationis, & totus ſpirationis.

Prob. 3. Nam per terminum *ad quem totalem* intelligimus totum ſuppoſitum productum per actionẽ productivam; ſed tales ſunt Perſonæ Filii, & Spiritus Sancti in Deo; &c. Nec de hoc poteſt eſſe difficultas.

Prob. 2. par. Terminus formalis *quo* productionis eſt eſſentia producti, ſeu forma intenta à producente, ut det eſſe producto, ſed talis eſt Eſſentia Divina in generatione Filii, & productione Spiritus Sancti; ergo. hæc eſt terminus formalis proceſſionum. Prob. min. Nam Perſonæ Divinæ conſtituuntur Deitate, & tota actio productiva non aliò tendit, quàm ad Perſonam Divinam.

Prob. 2. Nam in generationibus creatis formalis terminus eſt natura producti, aut aliquid ejus; ergo & in Divina cum proportione. Nam in creatis natura illa accipit eſſe per generationem, non verò Deitas Verbi, ſed tantùm illi communicatur.

Ideò dixi, *velut terminus formalis*, quia in rigore ſermonis Eſſentia eſt potiùs terminus formalis Perſonæ productæ, quàm productionis, quia per iſtum Eſſentia Dei non accipit eſſe, ſed tantùm facit Eſſentiam producti, quod valde notandum eſt.

Objic. cont. hanc 2. par. Terminus formalis productionis debet eſſe productus per illam, ſed Eſſentia Dei non eſt producta; ergo nec terminus formalis productionum. Prob. maj. Terminus totalis dicitur productus propter formalem, ergo à fortiori formalis debet eſſe productus. Nam *propter quod unum quodque tale, & illud magis*. Terminus autem formalis conſtituit totalem, ſeu ſuppoſitum in eſſe producti.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. quia in generatione hominis per actionem generantis non producitur anima, quæ eſt forma hominis: Nec Beata Virgo in generatione temporali Chriſti D. non producit Verbum, nec Deitatem, & tamen dicitur mater Dei, quia producit humanitatem, quæ perſonatur à Verbo Divino. Sufficit ergo, quòd Eſſentia Dei per generationem Verbi accipiat aliquem modum eſſendi, nempe ſubſiſtere in illa Perſona. Idem eſt de ſpiratione.

Neque

Neque illud axioma ſemper valet in cauſis formalibus, ne quidem creatis. Nam anima, quæ conſtituit hominem, non eſt magis homo.

Objic. 2. Formale in qualibet re eſt id, per quod illa conſtituitur, & diſtinguitur, ſicut materiale eſt id, per quod illa convenit; ſed Perſonæ productæ non diſtinguuntur per Eſſentiam, ſed potiùs per illam conveniunt; ergo Eſſentia non eſt terminus formalis proceſſionum; ergo id dicendum eſt de Perſonalitatibus.

Reſp. neg. maj. Alioqui nec in creaturis natura eſſet terminus formalis generationis, quia per naturam conveniunt generata cum generantibus, & ſolis hæcceitatibus diſtinguuntur, ut Petrus, & Paulus Petreitate, & Pauleitate.

Inſt. In perſonis productis ille eſt terminus formalis, qui in totali habet rationem formæ; ſed in Verbo, & Spiritu Sancto non Eſſentia, ſed ſubſiſtentia, & relationes habent rationem formæ; ergo iſtæ ſunt veri termini formales. Prob. min. quia ſolæ relationes, & ſubſtantiæ producuntur, & recipiuntur in Deitate, velut in ſubjecto; ergo, &c.

Reſp. neg. min. & ant. prob. Nam ſi quid in Deo habet rationem ſubjecti, & receptivi, id erit ſubſiſtentia. Unde in creatis individuum eſt velut ſubjectum naturæ ſpecificæ, quæ ibi eſt velut forma, ſubſiſtentia habet rationem ſuſtentantis, ita & ſubjecti reſpectu naturæ, quæ in illa ſubſiſtit.

Objic. 3. Idem non poteſt eſſe terminus *quo*, & ad *quem*; ſed in proceſſionibus Divinis Eſſentia eſt terminus *quo*; ergo non eſt terminus ad quem. Prob. maj. Nam hi duo termini opponuntur.

Reſp. diſt. maj. & prob. ejus. Sub eodem reſpectu, con. ſub diverſo reſpectu, neg. maj. Et ad min. dico, quòd Eſſentia, prout in Patre, eſt principium *quo* radicale, & remotum generationis, & prout in verbo, eſt terminus formalis *ad quem* in ſenſu prædicto.

## CONCLUSIO III.

*Dici poteſt, terminum formalem proximum ad quem generationis activæ in Deo eſſe ſapientiam genitam, & ſpirationis eſſe amorem productum.*

Prob. 1. ex Scoto. (1) *Nam productum per intellectum ex vi productionis ſuæ eſt notitia genita, productum autem per modum voluntatis eſt amor procedens, ita ut Eſſentia Divina in qualibet Perſona ſit omninò primum quaſi fundamentum cujuslibet perfectionis eſſentialis.* (2) *Prima tamen perſona appropriatè habet memoriam, & virtute illius principii productivi producit prima productione adæquata 2. Perſonam, & 2. Perſona quaſi adæquata principio productivo producitur, ut notitia actualis, & Spiritus Sanct. quaſi adæquatus ſuo principio productivo producitur, ut amor actualis;* ergo notitia, & amor actualis ſunt termini formales proximi proceſſionum Divinarum.

Prob. 2. Nam Filius Dei dicitur *Verbum*, ſapientia, notitia genita; ergo ſub his rationibus terminat generationem. Idem eſt de Spiritu S. qui dicitur amor. Prob. con. Alioqui enim tàm verè diceretur bonitas, juſtitia, miſericordia, vel Eſſentia producta; ergo quandoquidem illæ appellationes illis Perſonis ſpecialiter tribuuntur, ſignum eſt, quod ſpecialiter ſub his rationibus procedunt.

Prob. 3. Quia Verbum producitur dictione, non autem intellectione, vel alia actione, ut dictum eſt; ſed notitia actualis eſt terminus formalis dictionis; ergo notitia genita eſt terminus formalis proximus generationis Divinæ, &c.

Confir. Nam generatio Verbi eſt actus memoriæ fœcundæ Patris, ut diximus ex Auguſtino dicente, *procedere de memoria, non de intellectione;* ſed terminus formalis proximus talis potentiæ eſt notitia actualis; ergo &c.

Eodem modo loquendum de Spiritu S. qui dicitur amor procedens. Hujus enim appellationis alia ratio reddi non poteſt, quàm quia producitur, ut amor actualis per voluntatem, velut per principium formale activum *quo*. Igitur terminus formalis proprius *generationis* eſt complexum ex notitia actuali, & filiatione, *ſpirationis* verò eſt complexum ex amore actuali, & relatione ſpirationis paſſivæ. Nam ſi 1. eſſet complexum ex Eſſentia, & filiatione, & 2. ex Eſſentia, & ſpiratione paſſiva, non poſſet reddi ratio, cur ſic differrent, ut illa diceretur generatio, non iſta, nec cur illa eſſet per

(1) 1.d.13.n.21. (2) *ibid.S.n.24.*

per intellectum, & iſta per voluntatem, cùm eſſentiæ ſit ad utrumque indifferens.

Objic. 1. ex Scoto citato in præcedenti: Eſſentia dicitur terminus formalis proceſſionum, & docet eas eſſe univocas; ſed non eſſet verum, niſi convenirent in termino formali, qui non eſt niſi Eſſentia; ergo ſola eſſentia eſt terminus formalis proceſſionum Divinarum. Prob. min. Nam ſi termini earum eſſent notitia, & amor, in nullo convenirent; ergo non eſſent univoca; quippe actus illi, & attributa ſe totis differunt.

Reſp. Scotum eſſe tàm objicientibus, quàm nobis explicandum. Tam enim expreſsè nobis favet, quàm illis. Dico ergo, quòd Scotus, (1) quando videtur dicere Eſſentiam eſse terminum formalem proceſſionū activarum, loquitur contra illos, qui hoc tribuebant relationibus; & ſubſiſtentiis paſsivis filiationis, & ſpirationis,& loquitur de Eſsentia prout diſtinguitur formaliter à notionibus;ideò contentus fuit dicere, quòd *formalis terminus eſt aliquid eſſentiale*. Per hoc patet ad maj. Ad min. autem dico, eam univocationem eſſe imperfectam, & peti tùm ex ratione Eſſentiæ, quæ per proceſſiones communicatur, tùm ex ipſa voce proceſſionis,quæ præcisè dicit originem unius Perſonæ ab alia, & in hoc conveniunt etiam, licèt aliunde differant eſſentialiter.

Objic.2. Si terminus formalis proceſſionum non eſſet Eſſentia. Perſonæ productæ non eſsent Deus ex vi ſuæ proceſſionis;ſed conſ.eſt error in fide;ergo,&c. Prob. maj. Neutra Perſonarum haberet Deitatem ex vi ſuæ proceſſionis;ergo neutra eſset Deus. Prob.ant. Filius non haberet, niſi eſse notitia actualis ex vi ſuæ proceſſionis, & Spiritus Sanctus eſse amor, nam ille ex vi ſuæ generationis eſt complexum ex notitia, & filiatione, (per nos) & iſte ex amore, & ſpiratione; ſed nec illa notitia, nec iſte amor cum illis relationibus filiationis, & ſpirationis non eſt formaliter Deitas; ergo &c.

Reſp. neg. maj. 1. argum. & ant. 2. & diſt. min. 3. Neutra eſt primo,& formaliter Deitas, con. realiter, neg. min. & conſ. Nam ſicut homo verè generat hominem, licèt actio generativa per exciſionē ſeminis non

C 5 attin-

(1) *Ibid. n. 22. R.*

attingit niſi vegetabile, non autem animal, & multò minùs rationale, & hoc, quia vegetabile, & ſenſitivum, & rationale identificantur in homine; ſic licèt intellectus, per quem Pater gignit Verbum, non ſit ex ſe productivus niſi Verbi, ſeu notitiæ, nec voluntas, niſi amoris, tamen quia tàm illæ potentiæ, quàm illi actus identificatam hanc habent Deitatem, ita intellectus non poteſt producere illam notitiam, nec voluntas illum amorem, niſi communicet illis Deitatem.

Inſt. Hinc ſemper ſequitur, Filium non eſſe Deum, ſicut Pater eſt Deus, quia eſt primò, & directè Deus; ſed conſ. eſt falſum, & contra omnes; ergo &c.

Reſp. 1. neg. maj. Nam fortè etiam ipſe Pater ut Pater primò, & directè dicit complexum aliquod ex memoria fœcunda, & relatione paternitatis, ſeu generationis activæ; & hic eodem modo erit Deus, ac Filius, & Spiritus S. nec facilè demonſtrabitur contrarium.

Reſp. 2. neg. maj. & rationem ejus. Nam, ut dicebamus, actio Petri generantis Paulum non attingit immediatè animal, nec rationale, ſed vegetabile, ut ſemen, & tamen Paulus genitus eſt homo, ſicut Petrus genitor; ergo id à fortiori verum eſt de Deo, ubi Eſſentia eſt ſemper primum, quod communicatur, & quidem primitate originis, quia, inquit Doctor, [1] *Eſſentia in Patre eſt quaſi principium, & fundamentum cujuslibet perfectionis, & tunc ſi in Filio præintelligatur notitia ante eſſentiam, Filius tunc non haberet Eſſentiam ante quodcunque aliud in ſe .... Notitia autem genita eſt primum in Filio primitate adæquationis.*

Objic. 3. Illud eſt primus terminus productionis, quod per ſe communicatur producto ex vi productionis; ſed talis eſt Eſſentia in generatione, & ſpiratione; ergo Eſſentia ſola, non verò notitia, & amor eſt terminus formalis productionum.

Prob. min. ex Scoto. [2] Eſſentia ſola per ſe primò communicatur Filio per generationem, & Spiritui S. per ſpirationem, ut patet ex præcedenti concluſ. *Sicut Filio præſtat Eſſentiam ſine initio temporis generatio, ita Spiritui S. Eſſentiam ſine mutabilitate proceſſio ab utroque*, inquit Auguſtinus, (3) ergo, &c.

Reſp.

[1] *Ibid.n.*21. [2] *Ibid.* [3] 15.*Tr.*20.

Reſp. ex eodem Scoto diſt. conſ. Eſt primus terminus primitate quaſi originis, con. primitate adæquationis, neg. conſ. Et ſic intelligendi ſunt Patres, & Theologi. Nam, ut diximus, Eſſentia, ut eſt radix omnium perfectionum, quæ ſunt in ſingulis Perſonis, hoc ſenſu dicitur primò, & per ſe in illis, ſed primum conſtitutivum, & diſtinctivum, & formalis terminus *qui* proceſſionum eſt notitia cum relatione filiationis in 2. Perſona, & amor actualis cum ſpiratione in 3. Hæc autem dicta ſunto diſputationis gratia cum inſigni Scotiſta recenter cit. [1]

Quæres, *an duæ proceſſiones conveniant univocè*.

Reſp. 1. Juxta priorem concluſionem eſſe pluſquàm univocas, quia non ſolùm conveniunt in ratione Eſſentiæ, & termini formalis, ſed etiam realiter identificantur in Eſſentia, ſeu termino formali. Nam homo dicitur univocè de Petro, & Paulo, quia participant ſimilem naturam, quæ illa voce ſignificatur; Filius verò, & Spiritus S. non ſimilem, ſed eamdem participant, per generationem ille, & per ſpirationem iſte.

Reſp. 2. juxta poſteriorem hanc concluſ. non adeò perfectè univocari, ut patet. Nam notitia, & amor, quæ dicimus eſse terminos formales generationis, & ſpirationis, non ſic conveniunt. Sed tamen, quia importa nt etiam communicationem ejuſdem Deitatis, abſolutè dici poſſunt in hoc univocari.

Collige autem ex hac quæſtione, quòd, cùm audis Filium gigni *ex*, vel *de* ſubſtantia Patris, ſignificatur, eum non ſolùm procedere à Patre per veram, ac realem productionem, ſed etiam eſse illi conſubſtantialem, ſeu unius individuæ cum eo Subſtantiæ. Idem eſt de Spiritu S. cùm dicitur procedere *ex*, vel *de* ſubſtantia Patris, & Filii. Id enim ſignificant illæ particulæ in hac materia ex uſu Eccleſiæ. Unde cùm audis Apoſtolum dicentem, *Spiritum*, *qui ex Deo eſt*, diſce, quòd *ex Deo nihil dicitur*, inquit Chryſoſt. *niſi quod ex Subſtantia ejus*. Similiter in Symbolo Nicæno, cùm *ex Patre natum* audis Filium, *Deum de Deo*, *lumen de lumine*.

Tamen frequentiùs utimur particula *de* ad ſignificandam conſubſtantialitatem producti cum produ-



[1] *Baro. cit.*

cente; particula autem *ex* videtur potiùs ſignificare proceſsionem unius ex alio. *Ex ipſo* (inquit Auguſt. [1] *non hoc ſignificat, quod de ipſo,* quia *quod de ipſo eſt, poteſt dici ex ipſo, non autem omne, quod ex ipſo, rectè de ipſo dicitur eſſe. Ex ipſo enim cœlum, & terra, quia ipſe fecit ea, non autem de ipſo, quia non de Subſtantia ſua,* &c. Ideò notat Nazianzenus, (2) quòd Arriani, qui conſubſtantialitatem Filii cum Patre negabant, ut diſſimularent ſuum errorem, & Catholicos deciperent, fatebantur illum ex Deo eſſe. *Quia lumen Pater, & lumen Filius, rectè lumen de lumine credimus; tu autem* (Arriane) *non lumen de lumine, ſed lumen ex lumine dicis,* &c.

Fateor, non ſemper ſic uſurpari particulam *de*, ut ſignificet conſubſtantialitatem producti cum producente, ut cùm de Chriſto dicitur, (3) *Quod in ea natum eſt, de Spiritu S. eſt,* &, *Qui conceptus eſt de Spiritu S.* &, *Incarnatus eſt de Spiritu S.* Nec enim Chriſtus ſecundum humanitatem conſubſtantialis eſt ſpiritui S. ſed Mariæ. Quod notaſſe ſufficiat.

## QUÆSTIO VIII.

*An, & quid ſit Perſona, Suppoſitum, Subſiſtentia, Hypoſtaſis, & Subſtantia in Divinis.*

Harum vocum explicationem habes in Metaphyſica. (4) Pauca addo, quæ huic myſterio ſunt propria. Illorum enim variæ acceptiones diu vexarunt ingenia Patrum, & non leves, nec paucas lites excitarunt in Eccleſia, & hęreſibus occaſionē dederūt.

Qui pro eodem uſurpabant *Hypoſtaſim, Subſiſtentiam,* & *Suppoſitum,* & *Subſtantiam,* negabant in Deo pluralitatem *Hypoſtaſeon,* ſeu *Suppoſitorum, & Subſiſtentiarum,* ne viderentur dividere, & multiplicare *Eſſentiam,* ſeu *Subſtantiam.* Et in hac opinione fuit S. Hieronymus, ut patet ex ejus Epiſtola ad Damaſum Papam, [5] *Quiſquis tria eſſe, hoc eſt, tres eſſe Hypoſtaſes, ideſt, uſias, dicit, ſub nomine pietatis tres naturas conatur aſſerere... Taceantur tres Hypoſtaſes, ſi placet, & una taceatur.* Auguſtinus verò, [6] *In principio dictum eſt à noſtris.*

[1] *De nat. bon.* 26. [2] *Orat.* 49. [3] *Matth.* 1.
[4] *Diſp.* 6. [5] *Ep.* 57. [6] 2. *Trinit.* 4.

*noſtris Græcis una Eſſentia, tres Subſtantiæ, à Latinis autem una Eſſentia, vel Subſtantia, tres Perſonæ, ſicut jam diximus. Non aliter in ſermone noſtro, ideſt, Latino, Eſſentia, quàm Subſtantia ſolet intelligi.*

Jam verò in Eccleſia uſus obtinuit, ut *Hypoſtaſis*, & *Subſiſtentia*, non *Eſſentiam*, vel *Subſtantiam*, vel *Naturam*, ſed *Perſonam*, ſeu *Suppoſitum*, ſeu *Perſonalitatem* ſignificet. Et nos ita deinceps uſurpabimus juxta illud Concilii Nicæni I. (1) *Una Divinitas ſanctæ Trinitatis in tribus Subſiſtentiis perfectis, æqualibus conſideratur*. Et Conſtantinop. II. definit, (2) *Si quis non confitetur unam Deitatem in tribus Subſiſtentiis, ſeu perſonis adorandam, anath. ſit*. Idem definit Later. ſub Mart. I. *Si quis non confitetur ſecundũ SS. Patres propriè, & verè Patrem, & Filium, & Spir. S. Trinitatē in unitate, & unitatem in Trinitate, hoc eſt unum Deũ in tribus Subſiſtentiis conſubſtantialibus, anath. ſit*.

Perſonæ etiam nomen ex uſu Eccleſię communiter recepto idem ſignificat, ac *Hypoſtaſis*, & *Suppoſitum*.

Porrò perſona ex Boetio definitur *rationalis creaturæ individua ſubſtantia*, & ex Richardo, *naturæ intellectualis incommunicabilis exiſtentia*. Quæ definitio communiter à Theologis, & Philoſophis admittitur potiùs, quàm præcedens, licèt fortè in re coincidant. Igitur *ſubſiſtentia* eſt ultimus terminus naturæ ſingularis, per quem ſubſiſtit in ſe, non progrediendo ulteriùs per ſui communicationem alteri naturæ, à qua compleatur. Et, ſi talis natura ſit rationalis, ſeu intellectualis, dicitur *perſona*, ſin minus, dicitur *ſuppoſitum*. Quod latiùs patet, quàm perſona. Nam omnis perſona eſt ſuppoſitum, ſed non viciſſim, quia perſona dicitur de ſola natura intellectuali.

Duplex eſt communicabilitas, *ut quod*, & *ut quo*. 1. eſt ea, qua quid poteſt alicui communicari per identitatem, ita ut de illo prædicetur in recto. Sic quælibet natura ſuperior communicatur ſuis inferioribus, v.g. humanitas Petro, Paulo, &c. quorum quilibet eſt homo, 2. qua aliquid poteſt communicari alteri, ut forma ipſum denominans, ut albedo parieti, à qua dicitur albus. Sic duplex eſt incommunicabilitas. 1. *ut quod*, per quam natura ſic in ſe terminatur, ut non poſſit communicari pluribus inferioribus.

(1) *L.* 2. *Anath.* 2. (2) *Conſu.* 5. *cum* 1.

ribus, in quibus multiplicetur, & hoc habet per individuationem, & 2. *ut quo*, per quam natura ſic in ſe terminatur, & ſubſiſtit, ut non poſſit communicari alteri ſubſtantiæ, nec ut forma totalis, ſicut eſſentia communicatur individualitati, vel ſuppoſito, nec ut forma partialis ſubſtantialis, ut anima corpori, nec ut forma accidentalis ſubjecto, à quo ſuſtentetur, ut albedo parieti.

Rurſus incommunicabilitas eſt vel *actualis*, quæ eſt negatio actualis communicationis, vel *aptitudinalis*, quando forma, vel natura non inclinatur de ſe ad talem communicationem, licèt non repugnet, vel *potentialis*, quando communicatio repugnat alicui; ſic Paternitati repugnat communicari Filio. Perſona autem creata dicit duas priores incommunicabilitates; increata verò importat etiam potentialem, quia non poteſt uniri alteri naturæ, per quam ſuſtentetur, ſeu perficiatur, benè verò creata, ut patet de humanitate Chriſti, quæ ſuſtentatur, & unitur perſonaliter Verbo, in quo ſubſiſtit. Et ſic perſonalitas Divina dicit omnimodam incommunicabilitatem, *ut quo*, & *ut quod*, *actualem*, & *aptitudinalem*, & *potentialem*.

Quærimus ergo hic 1. an in Deo ſit vera ratio Perſonæ, & ſubſiſtentiæ, ſeu Hypoſtaſis, aut Suppoſiti, 2. quid illa importet, an quid abſolutum, vel relativum, 3. an illa conveniat univocè tribus Perſonis Divinis.

## CONCLUSIO II.

D*Antur in Deo tres veræ, & propriæ Perſonæ, ſeu tres Subſiſtentiæ, ſeu tres Hypoſtaſes.* Eſt de fide.

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente, quòd *tempore Auguſtini nomen Perſonæ fuit translatum ad Divina ad repræſentandum aliquid dignitatis in Deo, & quia non fuit primitùs aliquod nomen, per quod poſſit convenienter reſpondere ad quæſtionem Hæreticorum, quid est tres, niſi nomen Perſonæ, ideò tempore Auguſtini dicebatur pluraliter, quamvis Subſtantiam intellectualem ſignificabant.* Et hanc veritatem ubique docet, vel ſuppoſit.

Prob.

[1] *Repor. 1. d. 25. q. 1. n. 4.*

Prob. 2. ex iiſdem Scripturæ, Conciliorū, & Patrum oraculis, quibus probata eſt exiſtentia Trinitatis Divinę, quę in hoc cōſiſtit, quòd unica Subſtantia Dei ſubſiſtat in tribus Perſonis realiter inter ſe diſtinctis, ut cùm dicitur, *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, & hi tres unum ſunt*, & in Symb. Athanaſii, *Alia eſt perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti*, &c. & in Conc. Later. [1] *Pater, Filius, & Spiritus S. tres quidem perſonæ, & unica eſſentia*. Quæ, & ſimilia debent intelligi de Perſonis in vero, & proprio ſenſu, quia nulla eſt ratio aliter ſumendi, & è proprio ſenſu detorquendi.

Prob. 3. quia ſingulis convenit tota definitio Perſonæ veræ, & propriæ. Verè enim de Patre dicitur, quòd exiſtat in natura intellectuali incommunicabiliter omni naturæ diſtinctæ, per quam ſuſtentetur, vel perficiatur. Idem eſt de Spiritu Sancto; ergo ſunt veræ Perſonæ.

Objic. 1. Nomen Perſonæ in Scriptura nuſquam tribuitur Deo; ergo gratis, & ſine ratione dicitur in Deo.

Reſp. diſt. ant. Nuſquam quoad vocem, tranſeat, quoad rem, & ſenſum, neg. ant. & conſ. Agitur hìc de re, & ſenſu, non de voce. *Qui enim nomen perſonæ primò ad Deum tranſtulerunt, hoc ipſum ex neceſſitate fecerunt*, inquit Scotus poſt Richard. (2) *ut haberent quod reſponderet quærentibus, quid tres illi in Trinitate eſſent, cùm tres Deos eſſe dicere non poſſint. Non igitur jam quæramus, ex qua neceſſitate ſit translatum ad Divina, ſed qua veritate ſit per Spiritum Sanctum translatoribus inſpiratum.*

Inſt. 2. Auguſt. (3) docet id non tam propriè, quàm permiſſivè dici poſſe; ergo nomen Perſonæ non convenit poprié Deo. Prob. ant. *Cùm quæritur, quid tres, magna prorſus inopia laborat eloquium. Dictum eſt tamen, tres Perſonæ, non ut illud diceretur* (ſc. propriè) *ſed ne taceretur*, quia ſc. deſunt propriæ voces, ergo, &c.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Non enim negat, hanc vocem ſignificare propriè de tribus Subſiſtentiis, & Suppoſitis, quod intenditur, ſed tantùm, quòd non poteſt meliùs explicari, nec habetur amplius nomen. *Ut fari aliquo modo poſſimus, quod effari nullo modo poſ-*

[1] *C. firmit. & c. Damn.* 5. [2] *ibid.* [3] *de Trin.* 9.

*ſumus* ( perfectè ) *quia excedit ſupereminentia Divinitatis eloquii facultatem. Verius enim cogitatur Deus, quàm dicitur, & verius eſt, quàm cogitatur.*

Objic. Perſonalitas reddit naturam, quam afficit, prorsùs incommunicabilem alteri ſuppoſito, ſed id non facit in Deo; ergo non eſt ibi vera perſonalitas. Maj. patet ex definitione perſonæ. Prob. min. Nihil enim eſt in Patre, quod non ſit in aliis: ergo perſonalitas Patris non reddit Naturam incommunicabilem.

Reſp. diſt. maj. Facit incommunicabilem naturam finitam, conc. infinitam, neg. maj. Et ad prob. maj. dico, illam definitionem dici pro natura creata directè, non autē pro increata, & infinita, quæ ex ſe poſtulat eſſe in tribus. Nam propter infinitatem non poteſt multiplicari, nec dividi, ſicut creata dividitur, & multiplicatur in ſuis ſuppoſitis, & individuis.

Inſt. Natura Divina eſt ſufficienter completa, ſubſiſtens, & incommunicabilis ex ſe, & hoc ipſo, quòd eſt infinita, non poteſt perfici ab alia; ergo non eget perſonalitate, per quam terminetur, & ſubſiſtat; ergo ſuperfluit ibi perſonalitas.

Reſp. diſt. ant. Sufficienter completa in eſſe Naturæ, conc. in eſſe hypoſtatico, neg. ant. & conſeq. Nam ſicut in eſſe Naturæ completur per propriam ſubſiſtentiam abſolutam, ita in eſſe perſonę, & Suppoſiti non terminatur ſufficienter, niſi per tres Subſiſtentias relativas, & hoc non ex indigentia, ſed ex fœcunditate infinita, ex qua manant neceſſariò iſtæ perſonalitates.

## CONCLUSIO II.

P*Erſonalitas in Deo dicit formaliter aliquid poſitivum ab eſſentia formaliter diſtinctum.*

Prob. 1. ex Scoto, (1) qui cum dixiſſet, quòd Perſona dicit duplicem incommunicabilitatem, addit, quòd hæc *negatio communicabilitatis non convenit pluribus ſecundum unam rationem, niſi per aliquam affirmationem ſubſtratam, & priorem. Nihil enim eſt incommunicabile, niſi per affirmationem, cui repugnat communicatio. Illud autem poſitivum non eſt eſſentia,*

(1) *ibid. q. 1. n. 7.*

*tia, quia illa eſt communicabilis; ergo eſt entitas alia, quæ non eſt formaliter Eſſentia, cui repugnat communicari.* Ergo ex Scoto perſonalitas dicit primariò quid poſitivum indiſtinctum formaliter ab Eſſentia. Quod confirm. Nam perſonalitas in Deo importat non tantùm negationem communicabilitatis actualis, & aptitudinalis, ut in creatis, ſed adhuc potentialis, ita ut dicat repugnantiam ad communicari; talis autem repugnantia non poteſt eſſe, niſi per entitatem poſitivam. Unde ponit hanc regulam generalem. *Omnis negatio inſeparabilis à ſubjecto ſupponit aliquid poſitivum, in quo fundetur.*

Prob. 2. quod 1. p. ex Auguſt. [2] qui Perſonas vocat: ſed res non poteſt dici de pura negatione; ergo nec perſonalitas Divina. Prob. maj. *Res, quibus fruendum eſt, ſunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.*

Prob. 3. Nullum reale poſitivum poteſt primò conſtitui per puram negationem: ſed perſonæ Divinæ ſunt quid reale poſitivum; ergo non poſſunt conſtitui primariò per puram negationem; ergo Perſonalitas Divina non eſt pura negatio, ſed quid poſitivum, ſaltem primariò.

Prob. 2. p. 1. ex dictis de diſtinctione formali attributorum: uni, & eidem formaliter entitati non poſſunt convenire à parte rei prædicata contradictoria; ſed Eſſentiæ, & Perſonis ratione Subſiſtentiarum à parte rei conveniunt prædicata contradictoria; ergo diſtinguuntur formaliter. Prob. min. Nam Eſſentia communicatur, & perſonalitas non communicatur: ſed communicari, & non communicari reſpectu ejuſdem ſunt contradictoria; ergo &c.

Objic. contra 1. p. Non aliter eſt Perſonalitas in Deo, quàm in homine; ſed in homine illa eſt pura negatio communicabilitatis, non quid poſitivum; ergo & in Deo. Prob. min. ex dictis in Metaphyſica. Maj. etiam clara eſt, quia non poteſt dari ratio differentiæ perſonæ creatæ ab increata.

Reſp. neg. maj. & prob. ejus. Nam, ut dicebamus ex Scoto, Perſonalitas in Deo importat repugnantiam ad communicari in natura, quod non facit creata.

CON-

[1] 2. *d.* 19. 1. *E. n.* 10. [2] *Doct. Chriſt.*

# CONCLUSIO III.

R*Atio Perſonæ dicitur univocè de tribus Suppoſitis Divinis, maximè quoad negationem communicationis.*

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Hoc nomen Perſona eſt commune tribus ſecundum Auguſtinum.* Nam inquit, *Si tres Perſonæ ſunt, commune eſt eis hoc, quod eſt eſſe Perſonæ, & non communitate æquivocationis . . . Quia æquivocum non numeratur in æquivocatis.* Nomen verò Perſonæ in Deo dicitur pluraliter; ergo &c. Idem docet in Reportatis. [2]

Prob. 2. Quia ratio ſignificata per nomen Perſonæ convenit Patri, & Filio, & Spiritui Sãcto, ergo illud eſt eis univocum. Prob. ant. Tam de Patre, quàm de Filio verum eſt, quòd exiſtunt incommunicabiliter; ergo &c.

Major eſt difficultas de illo poſitivo, in quo diximus conſiſtere primariò Perſonam Divinam, & in eo fundari talem negationem. *Sed tamen videtur,* inquit Doctor, [4] *quod oporteat ponere aliquod poſitivum poſſibile abſtrahi ab eis, propter auctoritatem Auguſtini, & Magiſtri.*

Prob. 3. Non eſt major difficultas, quòd poſſit abſtrahi conceptus aliquis communis Perſonæ à tribus individuis creatis, quàm à tribus Perſonis divinis: ſed ab illis poteſt abſtrahi; ergo & ab iſtis, Min. patet ex Metaphyſica. Res tamen Theologo non eſt magni momenti.

Patet igitur, quòd ex uſu, & in ſenſu Eccleſiæ, & Theologorum, in Deo ſunt verè, & propriè *tres Hypoſtaſes,* ſeu *Subſiſtentiæ relativæ,* ſeu *Perſonæ,* realiter abinvicem diſtinctæ in eadem indiviſibili realiter Eſſentia; quia ex tali uſu per tot ſæcula recepto, *Subſiſtentia relativa, Hypoſtaſis,* & *Perſona* idem ſignificant.

QUÆ-

[1] 1. d. 25. *A. n.* 1. [2] 7. 1. *n.* 5. [3] *Repor. cit.*

## QUÆSTIO IX.

*Per quid primò conſtituantur Perſonæ in Deo, an per proprietates abſolutas, an per relativas.*

SUppono, dari in Deo proprietates relativas, ut ſunt paternitas, filiatio, ſpiratio activa, & paſſiva, per quas Perſonæ diſtinguuntur inter ſe, imò & per eas diſtinguuntur reſpectivè, Pater per paternitatem in eſſe Patris, & Filius per filiationem, &c. Sed queſtio eſt de cõſtitutivo Patris in ratione Perſonę, & ſic de aliis, an id fiat per eaſdem relationes paternitatis, &c. Et hoc vel ſecundum *eſſe ad*, quod dicunt ad invicem, an ſecundum *eſſe in*, quod ſingulæ perſonæ habent in ſe ipſis.

Non eſt quæſtio de conſtitutivis Phyſicis, quales ſunt formæ phyſicæ, & realiter diſtinctæ à conſtitutis, & à ſubjectis, cum quibus faciunt realem compoſitionem, quæ repugnat in Deo, ſed de conſtitutivis quaſi metaphyſicis, quæ non ſupponunt potentialitatem veram in conſtitutis, nec diſtinctionem inter conſtitutiva, nec inferunt veram compoſitionem, ſed ſe habent velut entitates, & conceptus ſubſtantiales, & determinant eſſentiam Divinam ad quendam modum ſubſiſtendi incommunicabiliter. Et quæritur, an illæ ſint formalitates abſolutæ, vel relativæ.

## CONCLUSIO I.

P*Erſonæ Divinæ non conſtituuntur ſe ipſis totis, nec per abſoluta, ſed per relativa*. Eſt communis contra Præpoſitum quoad 1. p. & Ripam quoad 2.

Prob. 1. ex Scoto, [1] Script. & Patribus. *Dicitur propter auctoritatem Chriſti, quòd Perſonæ conſtituuntur, & diſtinguuntur per relationes*. Et alibi [2] docet, quòd opinio conſtituens per abſoluta, *non videtur ſtare cum fide, quia Salvator exprimens totam veritatem, quæ de Trinitate tenenda eſt, nominat tres Perſonas nominibus relativis. In nomine*, inquit, [3] *Patris*,

[1] 1. *d.*26. *Q. n.*4. & 25. [2] *Repor. ibid. n.*4.
[3] *Matth. ult.* 1.

*tris, & Filii, & Spiritus Sanct.* & Joannes in ſua Canonica 1. [1] *Tres ſunt* .... *Pater, Verbum*, &c. & *generaliter, ubicunque Scriptura Canonica loquitur de Perſonis Divinis, exprimit eas nominibus relativis.* Idem docet de Eccleſia, & Patribus, ut patet ex Symbolis fidei, Apoſtolico, Nicæno, & Athanaſii; ergo Perſonæ Divinæ non conſtituuntur ſeipſis, nec abſolutis, ſed relativis.

Dices, hinc tantùm inferri Perſonas dicere tales relationes paternitatis, filiationis, & ſpirationis, ſed nullibi dici, quòd per illas primò conſtituuntur.

Contra 1. *Quarè voluit Salvator Perſonas exprimere nominibus relativis, ſi ſunt abſolutæ;* inquit Doctor, [2] *& ſi ſunt abſolutæ, non latuiſſent eum, & potuiſſet ſic nominare*. Imò congruum videbatur Baptiſmum dare invocando Perſonas Divinas nominibus propriis. 2. *Articulus fidei, quando traditur à Chriſto, conveniens eſt illum accipere ſecundum intellectum, qui maximè poteſt haberi à Chriſto*; ſed *talis eſt de Perſonis relativis, & nullo modo de abſolutis; ergo* &c.

Prob. 2. ex Conciliis. Nam cap. *Firmiter*. [3] *Hæc S. Trinitas ſecundum communem Eſſentiam individua, & ſecundum proprietates perſonales diſcreta*. Vides in Perſonis Eſſentiam, & proprietates perſonales; ergo non conſtituuntur ſe ipſis, ſed per proprietates, quæ ſunt relativæ. Unde in Concil. Florent. Doctor diſputans pro Latinis dicit, *Sola relatio apud omnes tàm Latinos, quàm Græcos Doctores Perſonas multiplicat, ita ut non alia ratione, quam vi relationis Pater à filio, ac una Perſona ab alia differat*. Et in literis unionis dicitur, *Patrem gignendo Filium dediſſe ei omnia, quæ ſunt Patris præter eſſe Patrem*; ergo ſola relatio paternitatis diſtinguit primam Perſonam à ſecunda; Et Concil. Tolet. XI. Perſonæ Divinæ *hoc ſolo numerum inſinuant, quòd ad invicem ſunt, & in hoc numero carent, quod in ſe ſunt, ſc. quoad abſoluta non diſtinguuntur*. Et Later. ſub Innocent. III. *Illa res*, (Eſſentia) *non eſt generans, nec genita, nec procedens, ſed eſt Pater, qui generat.... ut diſtinctiones ſint in Perſonis, unitas in Natura*; ergo tota conſtitutio, & diſtinctio Perſonarum eſt per relationes non

[1] *Jo.5.* [2] *Ibid, n.27.* [3] *De SS. Trin.*

non verò per abſoluta; nec ſe ipſis totis.

Prob. 3. ex SS. Patribus. Ex Auguſt. [1] *Quidquid ad ſe dicitur præſtantiſſima illa, & Divina ſublimitas, ſubſtantialiter dici teneamus*; ergo omne abſolutum pertinet ad Eſſentiam. Et Boetius: [2] *Subſtantia continet unitatem, relatio muliplicat Trinitatem*. Et Anſel. [3] *In Divinis omnia ſunt unum, ubi non obviat relationis oppoſitio*, quod recipitur ut axioma. Idem eſt de aliis.

Prob. 4. ratione ſpecialiter quoad 1. p. *Quæ non ſunt primò diverſa, aliquo ſui conveniunt, & aliquo ſui diſtinguuntur*, ait Doctor: [4] & ſic nec ſe totis differunt, nec ſe totis conveniunt, vel conſtituuntur; ſed Perſonæ Divinæ non ſunt primò diverſæ, nam conveniunt in eadem numero Eſſentia; ergo non diſtinguuntur ſe totis, nec conſtituuntur, ſed per aliquid ſui, quia ex fide conſtat, quòd in eadem Perſona ſunt plures proprietates. In Patre eſt innaſcibilitas, generativitas, & ſpirativitas; ergo non ſe totis diſtinguuntur. 3. quia Eccleſia in eis agnoſcit proprietatum diſtinctionem, & Eſſentiæ unitatem. Canit enim, [5] quòd *in Perſonis proprietas, in Eſſentia unitas*, &c. Ideò dicit Ambroſius, [6] *Nos Deitatis Perſonas in proprietatibus ſuis diſtinguentes, unitatem SS. Trinitatis inſeparabilem confitemur*; ergo in Perſonis eſt aliquid, in quo conveniunt, & aliquid, quo differunt; ergo non ſe totis conveniunt, nec diſtinguuntur.

Prob. 2. par. 1. quia in Deo ſunt relationes propriæ ſingulis Perſonis; ergo per illas conſtituuntur. Prob. conſ. Si eſſent in eis proprietates abſolutæ, & priores, quibus conſtituerentur, relationes illæ eſſent eis accidentales; ſed conſ. eſt falſum, & abſurdum; ergo &c. Prob. maj. Id cenſetur accidentale alicui, quod illi advenit jam conſtituto in ſuo eſſe; ſed relationes ſic advenirent Perſonis; ergo &c. 2. quia omne abſolutum in Deo eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quia eſt melius ipſum, quàm non ipſum; ſed omnis talis perfectio in Deo eſt communis tribus Perſonis, alioqui non eſſent æquales, & conſtitutiva Perſonarum non ſunt communia, alioqui non diſtinguerent illas;

[1] 5. *Tr.* 8. [2] *L. de Trin.* [3] *De proceſ. Sp.S.* [4] *Ibid. n.*2. [5] *Præfat. Trin.* [6] *Symb. c.* 11.

las; ergo nullum abſolutum poteſt conſtituere Perſonas.

Confir. quia nulla perfectio ſimpliciter ſimplex repugnat ulli Perſonæ, vel alteri perfectioni: nam ſicut verum non repugnat vero, ita nec bonum bono, & id etiam patet ex definitione perfectionis ſimplicis; ſed conſtitutivum unius perſonæ repugnat conſtitutivo alterius, ut paternitas filiationi, ergo nihil abſolutum eſt in una Perſona, quod non ſit in alia; ergo non conſtituuntur, niſi per relativa.

Objic. 1. con. 1. p. In Deo non eſt compoſitio, nec dependentia, nec cauſalitas; ſed ſi Perſonæ Divinæ non conſtituerentur ſe ipſis totis, id non fieret ſine compoſitione, cauſalitate, aut dependentia; ergo ſe ipſis totis conſtituuntur. Prob. min. Inter conſtitutivum, & conſtitutum eſt aliqua diſtinctio, cauſalitas, & dependentia, ergo &c.

Reſp. neg. min. & diſt. maj. prob. Aliqua diſtinctio formalis, con. realis, & talis, ut unum ſit actus, & aliud potentia, unum perfectivum, & aliud perfectibile, neg. maj. & conſ. Nam hæc conſtitutio non eſt Phyſica, nec propriè metaphyſica, ſed quaſi metaphyſica, ſublata ſcilicet omni umbra potentialitatis in natura, & partialitatis veræ, aut perfectivitatis in relationibus. Tota perſona ſe habet ut conſtans Eſſentia, & relatione ſine vera compoſitione, vel diſtinctione reali.

Inſt. Eſſentia præcisè à paternitate, & hæc præcisè ab Eſſentia eſt ſimplicior, quàm Perſona complexè ex utraque; ergo ambæ ſimul faciunt aliquam compoſitionem repugnantem Divinæ ſimplicitati.

Reſp. diſt. ant. Eſt ſimplicior formaliter, con. realiter, neg. ant. & conſ. Non enim quælibet pluralitas invehit compoſitionem, ſed ea, in qua unum eſt potentia, & aliud actus, & maximè ſi realiter diſtinguuntur.

Objic. 2. Proprietates illæ eſſent ſubſtantiæ: ſed omnis Subſtantia in Deo eſt communis tribus Perſonis; ergo non ſunt in Deo, nec conſtituunt Perſonas. Prob. min. ex Concil. Later. *Pater totam ſubſtantiam dat Filio*; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. Sunt ſubſtantiæ realiter, con. for-

ma-

maliter, neg. maj. Et ſic diſt. min. & rationem ejus: Omnis ſubſtantia, id. tota eſſentia, con. tota ſubſtantia quoad omnes formalitates, neg. min. & conſ. Concilium nomine Subſtantiæ intelligit Eſſentiam, quæ tota communicatur Filio, excepta paternitate, *præter eſſe Patrem*, inquit; ergo diſtinguit paternitatem ab illa Subſtantia tota.

Objic. 1. con. 1. par. SS. Pates præter relationes agnoſcunt aliquid abſolutum in Perſonis, quaſi fundamentum, & terminum illarum; ergo per illud primò conſtituuntur. Quod enim prius eſt in re, prius rem conſtituit. Prob. ant. *Omne relativum eſt aliquid excepta relatione*, ait Auguſt. [1] *Si pater non eſt aliquid ad ſe, non eſt, quod referatur*, ſcilicet relatio refert aliquid ad aliud; ergo præter relationem paternitatis eſt aliquid abſolutum in Patre quaſi fundamentum ejus, & quod per illam refertur ad Filium; ergo per illud primò conſtituitur.

Reſp. diſt. ant. & prob. Abſolutum, ſcilicet eſſentiale, con. diſtinctum ab eſſentialibus, neg. ant. utrunque. Nam quælibet Perſona conſtat Eſſentia, & relatione, per quam Eſſentia ſe reſpicit in Perſonis. Unde totum ſuppoſitum eſt relatum, & relativum. Et hoc ſenſu loquitur Aug.

Inſt. Fundamentum, ſeu quod refertur per relationem, eſt prius ipſa; ergo per ipſam non poteſt primò conſtitui. Prob. ant. quia fundamentum illud eſt etiam ſubjectum relationis; ergo & prius relatione.

Reſpond. neg. ant. vel ſic diſt. Eſt prius in creatis, con. in Deo, neg. ant. & prob. In creatis relationes ſunt accidentia, & dependent à ſubjectis, in Divinis verò conſtituunt Perſonas, & ſunt ſubſtantiales.

Inſt. 2. Omnis relatio realis ſupponit extrema realia; ſed iſtæ ſunt reales; ergo ſupponunt extrema abſoluta, quæ per illas ſe reſpiciant; ergo illa primò conſtituunt Perſonas, non iſta.

Reſp. ut ſup. neg. ant. & diſt. maj. In creatis, con. in Divinis, neg. maj. In creatis id accidit, quia relationes creatæ exiſtunt per reſultantiam, & ideò ſupponunt extrema, in Deo autem non reſultant, ſed conſtituunt Perſonas.

[1] 7. *Tr.* 2. & 3.

Objic.

Objic. 2. Scriptura quærit in Perſonis Divinis alia nomina præter relativa; ergo ſupponit, eas non conſtitui per relationes, ſed per alia abſoluta. Prob. ant. [1] *Quod eſt nomen ejus* (ſcilicet Patris) & *quod nomen Filii ejus*; ergo licèt cognoſcat illas Perſonas ſub nominibus Patris, & Filii, quærit alia magis propria.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam licèt illa nomina ſint illis Perſonis propriiſſima, non tamen ſatis clarè explicant naturam Patris, & Verbi. *Generationem ejus quis enarrabit?*

Objic. 3. Si 1. & 2. Perſona primò conſtituerentur per relationes paternitatis, & filiationis, relatio terminaretur ad ſuam correlationem, non verò ad abſolutam; ſed conſ. eſt contra nos, in Metaphyſica, ergo & ant.

Reſp. neg. min. Nam, ut diximus ibi, non eſt eadem ratio de creatis, & de Deo. Hic enim relationes perſonales nihil prius ſe ipſis ſupponunt in Perſonis, nec exiſtunt per puram reſultantiam, ut creatæ, quæ ideò ſupponunt extrema abſoluta, ad quæ terminentur.

Objic. 4. Prius eſt eſſe in ſe, quàm operari; ergo Pater priùs eſt conſtitutus in ſuo eſſe abſoluto, quàm generet, & quàm ſit Pater; ergo non conſtituitur per paternitatem.

Reſp. diſt. ant. In creatis, ſeu in iis, quibus ipſum operari non eſt ipſum eſſe, con. in Divinis, & iis, quibus idem eſt eſſe, & operari, neg. ant. & conſ. Nam in Patre idem eſſe, & generare, & per ipſum generare exiſtit.

Inſt. Actiones ſunt ſuppoſitorum; ergo actio generativa ſupponit 1. Perſonam in eſſe ſuppoſiti conſtitutam.

Reſp. diſt. conſ. Si ipſamet non illud conſtituat, con. ſi conſtituat, neg. conſ. Actio autem generativa conſtituit primam Perſonam; ita eſt de generatione paſſiva reſpectu Filii. Prætereà diximus in Philoſophia circa illud axioma, quod non eſt verum elicitivè, quaſi verò actiones ſint elicitę à ſuppoſitalitate, ſed tantùm denominativè, quatenus natura non agit niſi ſit ultimò terminata, & completa.

CON-

[1] Prov. 20.

## CONCLUSIO II.

R*Elationes originis conſtituunt Perſonas Divinas ſecundum ſuum eſſe Ad, ſeu ſecundum ſuum eſſe formale relativum*. Ita Scotiſtæ contra Thomiſtas, qui volunt, paternitatem conſtituere primam Perſonam, ſi conſideretur ut proprietas, non verò formaliter, ut eſt relatio, quia inquiunt, ut proprietas præcedit generationem, & ſic conſtituit Suppoſitum, ut relatio autem ſequitur generationem, & quaſi reſultat ex illa.

Prob. 1. ex Scoto, (1) quia quærit, *an 1. Perſona conſtituatur in eſſe perſonali aliqua relatione poſitiva ad 2. Perſonam?* Et ſic arguit pro affirmativa, *Prima perſona non conſtituitur in eſſe Perſonæ Deitate, quia hæc non eſt incommunicabilis, nec ſpiratione activa, quia communis eſt ſibi, ac Filio, nec innaſcibilitate, ex quæſt. 1. præced.* ergo aliqua relatione ad 2. Perſonam. Et *proprietas*, ut proprietas, eſt aliqua entitas, alioqui non conſtitueret aliquod ens; aut igitur *eſt entitas ad ſe*, (ſeu abſoluta) *aut ad alterum* (ſeu relativa) *aut neutrum*. 1. non neutra. Non enim datur medium inter abſolutum, & relativum. 2. non abſoluta, quia conſtitueret Perſonam abſolutam contra adverſarios; ergo ad alterum, ſeu relativa. Et alibi docet, (2) relationem concipi non poſſe *ſine eſſe ad aliud, quia quidditas relationis non poteſt eſſe ſine eſſe ad aliud, alioqui intelligeretur non ut relatio, ſed ut abſolutum*.

Prob. 2. ex Concil. & PP. cit. in præc. quia dum explicant Perſonas, ut relativas, non diſtinguunt de *eſſe in*, quod non convenit relationi formaliter, & ut relatio eſt, ſed materialiter, ut eſt accidens. Imò Toletanum dicit, quòd *hoc ſolo numerum inſinuant, quòd ad invicem ſunt*. Et Florent. quòd *non alia ratione, quàm vi relationis Pater à Filio differt*, &c. Sed ſi paternitas conſtitueret 1. Perſonam ſecundum *eſſe in*, non conſtitueret ex vi relationis, nec prout ad invicem eſt cum Filio, ſed tantùm ſecundum quod eſt *in ſe*, & *ad ſe*; ergo, &c. Et Patres dicunt, *In Divinis non eſt diſtinctio, niſi ubi obviat relationis oppoſitio*, ſed relationes Divinæ non opponuntur ad invicem, ſed potius conveniunt ſecundum *eſſe in*; ergo non conſtituunt, nec



[1] 1.*d*.21.*q*.3.*n*.3.& 2.*A*. [2] *d*.11.*q*.2.*E*.*n*.18.

nec diſtinguuntur, niſi ſecundum *eſſe ad*.

Prob. 3. Quia relatio formaliter dicitur id, cujus totum eſſe eſt ad aliud; ergo cùm Concilia, & Patres, & Theologi dicunt, Perſonas conſtitui per relationes, non aliud intelligunt, quàm formale relationis.

Objic. 1. ex Aug. Pater ad ſe dicitur Perſona, non ad Filium; ergo prima Perſona non conſtituitur paternitate, ut relatio eſt, & ut ad Filium, ſed ut eſt ad ſe.

Reſp. neg. conſ. Nam Aug. vult tantùm ibi, quòd relationes Divinæ non ſunt accidentales, ut creatæ, nec ſunt in Perſonis velut accidentia illis inhærentia, ſed ſunt ſubſtantiales, & conſtituentes Perſonas.

Objic. 2. Si relationes conſtituerent Perſonas ſecundum eſſe formale relationum, id facerent præcisè, ut relationes, vel ut Divinę, ſed neutrum dici poteſt; ergo nec illud. Prob. 1. Non ut relationes, nam id commune eſt omni relationi etiam creatæ, & ſic non diſtinguerent Perſonas, 2. non ut Divinæ, alioqui omnis relatio Divina id haberet, in hoc enim conveniunt omnes, quòd Divinæ ſunt; & præterea ſpiratio activa non conſtituit, nec diſtinguit Patrem, & Filium.

Reſp. neg. maj. Id enim non habent ex alterutra ratione, ſed quia inter ſe opponuntur relativè, & ad invicem ſunt, ut loquuntur Patres, & non ſupponunt Perſonas conſtitutas.

Fateor, Scotum tenuiſſe communem opinionem de conſtitutivo per relationes propter auctoritatem, & quia videtur conformior verbis Scripturæ. Eccleſia. n. ante tempora Scoti non tam clarè explicaverat vim illarum relationum. Et ideò quantum ad rationes non cenſuit improbabilem opinionem de conſtitutivo per abſoluta, ut patet in textu, & apud inſignes Scotiſtas.

## QUÆSTIO X.

*Quot ſint Subſiſtentiæ in Deo. An præter Subſiſtentias relativas, & perſonales admittenda ſit una abſoluta ex parte Eſſentiæ.*

Ex dictis ſuprà, & in Metaph. (1) patet, quòd ſubſiſtere ſignificat 1. exiſtere independenter ab omni alio quomodocumque, 2. exiſtere independenter ab alio,

[1] *Diſſ. 6. q. 11.*

alio, ut ſubjecto inhæſionis, quod eſt proprium omnis ſubſtantiæ, & perſeitatis, ut diſtinguitur ab accidente, 3. exiſtere in ſe, & independenter ab omni alio realiter diſtincto, à quo perficiatur. Et ſic ſubſiſtere eſt habere à ſe, & in ſe, unde exiſtat, nec indigere alio ullo diſtincto, cui innitatur, aut cujus ſit, ſive ad eſſe, ſive ad operari. Et ſubſiſtentia eſt ea formalitas, à qua aliquid habet eſſe in ſe, & independenter ab alio, in quo ſuſtentetur, aut perficiatur. Hoc patet ex contrariis, 1. de accidente, quod pendet à ſubſtantia, velut à ſubjecto, cui inhæreat. 2. de materia, & forma phyſica, quæ licèt non dependeant à ſubjecto inhæſionis, quia ſunt ſubſtantiales, tamen non ſunt ſine ſe invicem, nec operantur, ſed à ſe invicem dependent in ordine ad totum, in quo ſubſiſtunt. Quæritur, an tales Subſiſtentiæ ſint plures in Deo, & an Eſſentia Dei prout diſtinguitur à tribus Perſonis, dici poſſit ſubſiſtere per ſubſiſtentiam abſolutam, & communem, an verò tantùm ſubſiſtat per tres illa ſubſiſtentias, ſeu Perſonalitates relativas.

## CONCLUSIO I.

IN *Deo admittendæ ſunt tres Subſtantiæ relativæ, & una abſoluta*. Eſt de fide quoad 1. p. & Scotiſtarum, & aliorum quoad 2.

Prob. 1. ex Scoto maximè quoad 2. quia Dei *Eſſentia per ſe exiſtens nullum eſſe habet à Perſona, ſed eſt prius naturaliter in ſe, quàm ſit in Perſona, & ita dat eſſe Perſonæ. Eſt enim natura de ſe hæc, & per ſe ſubſiſtens, licèt non communicabiliter*; ergo Eſſentia Dei præcisè à ſubſiſtentiis relativis eſt ſubſiſtens, & quidem abſolutè.

Prob. 2. quoad p. 1. ex iiſdem Scripturis, Conciliis, & Patribus, quibus probatum eſt, eſſe in Deo tres perſonas, & præcipuè, & expreſsè in VI. Synodo. *Sanctiſſima Trinitas numerabilis facta eſt Subſiſtentiis perſonalibus*. Et S. Ambroſ. (1) *Catholicum eſt, ut unum Deum ſecundum unitatem ſubſtantiæ fateamur, & Patrem, & Filium in ſua quemque ſubſiſtentia*, &c. Et S. Athanaſ. (2) *Unum Deum in tribus Subſiſtentiis prædicamus*. Et Cyrill. Alexand. *Omnis fidei noſtræ ſer-*

D 2 mo

(1) *Ad.* 11. *Symb. Apoſt.* (2) *ſer. de Deip. Dial. Trin.*

Digitized by Google

*eo huc tendit, ut unam videamus Deitatis naturam, quæ in tribus Subſiſtentiis propriè ſubſiſtit;* &c. ergo in Deo ſunt tres Subſiſtentiæ relativæ in ſenſu, quo hic loquitur de ſubſiſtentia.

Prob. 3. Nam Subſiſtentiæ relativæ in Deo ſunt realiter idem cum relationibus conſtitutivis Perſonarum: ſed iſtæ ſunt tres, ut dictum eſt; ergo & illæ. Prob. maj. Ratio formalis conſtitutiva Perſonarum in Deo eſt ratio ſubſiſtendi incommunicabiliter, & independenter; ergo nihil eſt diſtinctum à Subſiſtentiis.

Prob. 4. ex Myſterio Incarnationis. Nam de fide eſt, humanitatem Chriſti ſubſiſtere per Subſiſtentiam Verbi ſic propriam, ut non poſſit dici ſubſiſtere per Subſiſtentiam Patris, nec Spiritus Sancti; ergo Verbum in Deo habet propriam Subſiſtentiam diſtinctam à Subſiſtentiis Patris, & Spiritus Sancti; ergo ſicut in Deo ſunt tres perſonæ, ita & tres Subſiſtentiæ relativæ.

Prob. 2. p. quæ magis eſt controverſa, tùm ex Scoto citato, tùm ex Conciliis. Nam ex Epiſt. Agathonis, (1) quæ habetur in VI. Synodo, *confitemur Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum, non tres Deos, ſed unum Deum, non trium nominum Subſiſtentiam, ſed trium Perſonarum unam Subſtantiam*. Hunc textum ſic legunt Patres Baro, & Fraſſen. Ego verò paulò aliter in editione Pariſienſi an. 1524. & Colonienſi an. 1551. ſcilicet, *confitentes ſanctam, & inſeparabilem Trinitatem, idest Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unius eſſe Deitatis, unius Naturæ, & Subſtantiæ, ſive Eſſentiæ*. Conqueritur autem Baro pro, *Subſiſtentiæ*, poſitum eſſe nomen *Subſtantiæ*. Sed de hoc non diſputo. Nam etiã illa una Subſtantia non eſt ſine Subſiſtentia.

Prob. 2. ex Patribus. Nam Auguſt. ſæpè docet, Naturam Divinam ad ſe ſubſiſtere. (2) *Omnis ſubſtantia ad ſe ſubſiſtit, quanto magis Deus?* Et Hieron. (3) *Illa eſt Natura perfecta, & in tribus perſonis una ſubſiſtit, & id, quod ſubſiſtit, non habet aliunde*(quod ſubſiſtat) *ſed ſuum eſt*. Et Cyrill. Alex. (4) *Quid eſt eſſentia?* loquitur de divina, *res, quæ per ſe eſt, neque altero*

[1] *Apol.* 14. *ac.* 5. *n.* 3. [2] 7. *de Tr.* [3] *Ep.* 57. *ad Dã.* [4] 7. *Tr.* 4.

*altero indiget, ut per ſe ſubſiſtat*. Et S. Hilar. [1] dicit, quòd Perſonæ Divinæ *inſunt ſibi invicem, & ſubſiſtentis Naturæ habent perfectam unitatem*. Et Paſchaſ. Diaconus, *Ad ſubſtantiam pertinet, quod ſubſiſtit*; ergo Patres ubique tribuunt Eſſentiæ, ſeu Subſtantiæ Divinæ propriam Subſiſtentiam.

Prob. 3. Per ſubſiſtentiam abſolutam Eſſentiæ nihil aliud intelligimus, quàm illam perſeitatem, quæ per ſe exiſtit, non ſolùm independenter ab omni ſubjecto inhæſionis, aut informationis, ſed etiam ab omni complemento ſubſtantiali, vel accidentali realiter diſtincto; ſed certum eſt, Deitatem præcisè à Subſiſtentiis relativis ſic exiſtere per ſe; ergo ſubſiſtit per ſubſiſtentiam propriam abſolutam.

Prob. 4. Deus præcisè à ſubſiſtentiis relativis eſt ens ſubſtantialiter completum, & infinitum continens omnem perfectionem poſſibilem, & fons omnis perfectionis; ergo eſt per ſe ſubſiſtens. Prob. conſeq. Per ſe ſubſiſtere, de quo loquimur, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex excludens maximam imperfectionem, qualis eſt dependentia ab alio in eſſe, & operari; ergo qui dicit ens infinitum, dicit ens per ſe ſubſiſtens.

Objic. 1. cont. 1. p. Proprietates relativæ non dicunt perfectionem; ſed Subſiſtentia per nos dicit perfectionem; ergo non dantur proprietates, ſeu ſubſiſtentiæ relativæ in Deo.

Reſp. diſt. min. Subſiſtentia abſoluta, conc. relativa, neg. min. Nam ſubſiſtentia abſoluta eſt ultimum eſſentiæ complementum in ſuo eſſe eſſentiali: relativæ autem ſunt quædam emanationes ejus conſtitutæ in ſuo eſſe completo, & emanantes ex ejus fœcunditate, non ex indigentia.

Inſt. Subſiſtentia abſoluta eſſentiæ dicit perfectionem; ergo & relativæ. Prob. conſ. Nam relativæ dicunt etiam aliquid abſolutum, ergo & aliquid perfectionis. Prob. ant. ex Aug. citato, *Omnis res ſubſiſtit ad ſe*, ergo habet aliquid abſoluti.

Reſp. neg. ant. 1. & 2. argum. & conſeq. 3. Nam Auguſtinus ibi loquitur de Deo quoad Eſſentiam, quæ ſubſiſtit abſolutè, non de Perſonis, quæ ſubſiſtunt relativè.

D 3 Ob-

[1] 3. *de Spir. ſanct.*

Objic. 2. Eſſentia Dei ſubſiſtit ſubſiſtentia abſoluta, ergo non ſubſiſtit tribus Subſiſtentiis relativis. Prob. conſeq. Quod ſemel eſt ultimò terminatum, non poteſt ulteriùs terminari: ſed Eſſentia Dei eſt ultimò terminata per ſubſiſtentiam abſolutam; ergo non poteſt terminari ulteriùs per tres relativas.

Reſpond. neg. conſeq. & diſt. maj. Quod eſt ultimò terminatum perſonaliter, ſeu incommunicabiliter, conc. maj. & neg. min. terminatum, ſeu completum ſubſtantialiter in eſſe naturæ communicabilis, neg. maj. & conſeq. quia Natura Divina per Subſiſtentiam abſolutam non terminatur ultimò in eſſe perſonali, ſeu incommunicabili, quod notandum eſt pro dicendis ad ſequentes objectiones.

Objic. 1. contra 2. partem. Subſiſtentia ſecundum omnes eſt *naturæ ſingularis incommunicabilis exiſtentia:* ſed Natura Divina præciſè à Subſiſtentiis relativis non exiſtit incommunicabiliter; ergo nec ſubſiſtit. Prob. min. Eſſentia cum illa Subſiſtentia abſoluta communicatur tribus Perſonis, ergo &c. Probatur conſeq. Nam humanitas Chriſti, licèt completiſſima, non tamen dicitur ſubſiſtens propria ſubſiſtentia, quia unitur Verbo, & per illud ſubſiſtit; ergo communicabilitas naturæ impedit ſubſiſtentiam propriam, etiam in Deo.

Reſp. diſt. maj. Incommunicabilis alicui, à quo perficiatur, conc. maj. & neg. min. alicui, quod perficiat, & ſuſtentet, neg. maj. & conſeq. Et diſt. pariter antec. Eſſentia communicatur Perſonis per emanationem illarum ab ea ex fœcunditate ejus, non verò ex indigentia, & ſine perfectibilitate, vel dependentia ab eis, conc. ex indigentia, & perfectibilitate, neg. antec. & conſeq. prob. Nam humanitas Chriſti ſic unitur Verbo, ut ab eo perficiatur, & per illud ſubſiſtat cum dependentia; non ita eſt de Deitate reſpectu Perſonarum, quas emanat, & potiùs ſuſtentat.

Inſt. Natura creata non habet ſubſiſtentiam poſitivam, nec abſolutam; ergo nec Divina.

Reſp. neg. conſeq. Et diſparitas eſt, quia natura creata eſt finita in ſe, & ſeparabilis à ſua ſubſiſtentia, ut patet in Chriſto, non ita eſt de Divina.

Inſt.

Inſt. 2. Deitas præciſè à ſubſiſtentiis relativis non eſt perſonata; ergo nec ſubſiſtens. Nam Subſiſtentia facit Perſonam in natura intellectuali.

Reſp. neg. conſ. & diſt. rationem ejus. Subſiſtentia relativa facit perſonam in Deo, con. abſoluta, & communicabilis, neg. ant. Nam Subſiſtentia abſoluta relinquit Naturam Divinam communicabilem tribus Suppoſitis, quibus ultimò terminatur perſonaliter, & incommunicabiliter.

Objic. 2. Diceretur etiam, quòd humanitas Chriſti ſubſiſteret abſolutè per illam abſolutam Subſiſtentiam; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant. prob. maj. quia non poteſt dari ratio, cur non ſubſiſtat ſic abſolutè. Nam mediante Perſona Verbi verè unitur illi Subſiſtentiæ.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. Nam licèt uniatur illi Subſiſtentiæ, ſicut & Naturæ Divinæ, tamen non perſonatur, ſeu non terminatur, nec ſubſiſtit ultimatè, & incommunicabiliter, niſi per Subſiſtentiam Verbi, quæ eſt perſonalis.

Inſt. Humanitas Chriſti priùs unitur Subſiſtentiæ abſolutæ, quàm perſonali; ergo priùs eſt unita tribus perſonis, quàm Verbo. Prob. ant. Nam eſſentialia ſunt priora notionalibus, & prius eſt ſubſiſtere abſolutè, quam relativè; ergo &c.

Reſpond. neg. ant. & prob. ejus, quia unio hypoſtatica non eſt neceſſaria, ſed libera, & contingens, & in ea Deus non alligatur ordini naturali, & metaphyſico Perſonarum, vel proprietatum, ſicut nos; ergo humanitas non priùs unitur Naturæ Divinæ, quàm Verbo, ita nec prius unitur Subſiſtentiæ abſolutæ, & communi, quàm perſonali, quia ſic placet Deo.

Objic. 3. ex Conciliis, & Patribus. Nomen Subſiſtentiæ in Deo ſemper ſupponit pro Perſona, ſed Deitas præciſè à Subſiſtentiis relativis non eſt Perſona; ergo nec ſubſiſtens abſolutè. Prob. ant. ex VI. Synodo, (1) ubi Patres credunt *unitatem Eſſentiæ, Trinitatem verò Perſonarum, ſive Subſiſtentiarum*; ergo ſi admittatur Subſiſtentia abſoluta, ita & Perſona; quod eſt contra ſenſum communem Patrum; ſaltem hæc locutio non congruit ſenſui Eccleſiæ.

D 4 Reſp.

[1] *Act.* 17.

Objic. 2. Scriptura quærit in Perſonis Divinis alia nomina præter relativa; ergo ſupponit, eas non conſtitui per relationes, ſed per alia abſoluta. Prob. ant. [1] *Quod eſt nomen ejus* (ſcilicet Patris) & *quod nomen Filii ejus*; ergo licèt cognoſcat illas Perſonas ſub nominibus Patris, & Filii, quærit alia magis propria.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam licèt illa nomina ſint illis Perſonis propriiſſima, non tamen ſatis clarè explicant naturam Patris, & Verbi. *Generationem ejus quis enarrabit?*

Objic. 3. Si 1. & 2. Perſona primò conſtituerentur per relationes paternitatis, & filiationis, relatio terminaretur ad ſuam correlationem, non verò ad abſolutam; ſed conſ. eſt contra nos, in Metaphyſica, ergo & ant.

Reſp. neg. min. Nam, ut diximus ibi, non eſt eadem ratio de creatis, & de Deo. Hic enim relationes perſonales nihil prius ſe ipſis ſupponunt in Perſonis, nec exiſtunt per puram reſultantiam, ut creatæ, quæ ideò ſupponunt extrema abſoluta, ad quæ terminentur.

Objic. 4. Prius eſt eſſe in ſe, quàm operari; ergo Pater priùs eſt conſtitutus in ſuo eſſe abſoluto, quàm generet, & quàm ſit Pater; ergo non conſtituitur per paternitatem.

Reſp. diſt. ant. In creatis, ſeu in iis, quibus ipſum operari non eſt ipſum eſſe, con. in Divinis, & iis, quibus idem eſt eſſe, & operari, neg. ant. & conſ. Nam in Patre idem eſſe, & generare, & per ipſum generare exiſtit.

Inſt. Actiones ſunt ſuppoſitorum; ergo actio generativa ſupponit 1. Perſonam in eſſe ſuppoſiti conſtitutam.

Reſp. diſt. conſ. Si ipſamet non illud conſtituat, con. ſi conſtituat, neg. conſ. Actio autem generativa conſtituit primam Perſonam; ita eſt de generatione paſſiva reſpectu Filii. Præterea diximus in Philoſophia circa illud axioma, quod non eſt verum elicitivè, quaſi verò actiones ſint elicitę à ſuppoſitalitate, ſed tantùm denominativè, quatenus natura non agit, niſi ſit ultimò terminata, & completa.

CON-

[1] *Prov.* 20.

## CONCLUSIO II.

Relationes originis conſtituunt Perſonas Divinas ſecundum ſuum eſſe Ad, ſeu ſecundum ſuum eſſe formale relativum. Ita Scotiſtæ contra Thomiſtas, qui volunt, paternitatem conſtituere primam Perſonam, ſi conſideretur ut proprietas, non verò formaliter, ut eſt relatio, quia inquiunt, ut proprietas præcedit generationem, & ſic conſtituit Suppoſitum, ut relatio autem ſequitur generationem, & quaſi reſultat ex illa.

Prob. 1. ex Scoto, (1) quia quærit, *an 1. Perſona conſtituatur in eſſe perſonali aliqua relatione poſitiva ad 2. Perſonam?* Et ſic arguit pro affirmativa, *Prima perſona non conſtituitur in eſſe Perſonæ Deitate, quia hæc non eſt incommunicabilis, nec ſpiratione activa, quia communis eſt ſibi, ac Filio, nec innaſcibilitate, ex quæſt. 1. præced.* ergo aliqua relatione ad 2. Perſonam. Et *proprietas*, ut proprietas, eſt aliqua entitas, alioqui non conſtitueret aliquod ens; aut igitur *eſt entitas ad ſe*, (ſeu abſoluta) *aut ad alterum* (ſeu relativa) *aut neutrum*. 1. non neutra. Non enim datur medium inter abſolutum, & relativum. 2. non abſoluta, quia conſtitueret Perſonam abſolutam contra adverſarios; ergo ad alterum, ſeu relativa. Et alibi docet, (2) relationem concipi non poſſe *ſine eſſe ad aliud, quia quidditas relationis non poteſt eſſe ſine eſſe ad aliud, alioqui intelligeretur non ut relatio, ſed ut abſolutum*.

Prob. 2. ex Concil. & PP. cit. in præc. quia dum explicant Perſonas, ut relativas, non diſtinguunt de *eſſe in*, quod non convenit relationi formaliter, & ut relatio eſt, ſed materialiter, ut eſt accidens. Imò Toletanum dicit, quòd *hoc ſolo numerum inſinuant, quòd ad invicem ſunt*. Et Florent. quòd *non alia ratione, quàm vi relationis Pater à Filio differt*, &c. Sed ſi paternitas conſtitueret 1. Perſonam ſecundum *eſſe in*, non conſtitueret ex vi relationis, nec prout ad invicem eſt cum Filio, ſed tantùm ſecundum quod eſt *in ſe*, & *ad ſe*; ergo, &c. Et Patres dicunt, *In Divinis non eſt diſtinctio, niſi ubi obviat relationis oppoſitio*, ſed relationes Divinæ non opponuntur ad invicem, ſed potius conveniunt ſecundum *eſſe in*; ergo non conſtituunt, nec



[1] 1. *d.* 21. *q.* 3. *n.* 3. & 2. *A.* [2] *d.* 11. *q.* 2. *E. n.* 18.

nec diſtinguuntur, niſi ſecundum *eſſe ad*.

Prob. 3. Quia relatio formaliter dicitur id, cujus totum eſſe eſt ad aliud; ergo cùm Concilia, & Patres, & Theologi dicunt, Perſonas conſtitui per relationes, non aliud intelligunt, quàm formale relationis.

Objic. 1. ex Aug. Pater ad ſe dicitur Perſona, non ad Filium; ergo prima Perſona non conſtituitur paternitate, ut relatio eſt, & ut ad Filium, ſed ut eſt ad ſe.

Reſp. neg. conſ. Nam Aug. vult tantùm ibi, quòd relationes Divinæ non ſunt accidentales, ut creatæ, nec ſunt in Perſonis velut accidentia illis inhærentia, ſed ſunt ſubſtantiales, & conſtituentes Perſonas.

Objic. 2. Si relationes conſtituerent Perſonas ſecundum eſſe formale relationum, id facerent præcisè, ut relationes, vel ut Divinæ, ſed neutrum dici poteſt; ergo nec illud. Prob. 1. Non ut relationes, nam id commune eſt omni relationi etiam creatæ, & ſic non diſtinguerent Perſonas, 2. non ut Divinæ, alioqui omnis relatio Divina id haberet, in hoc enim conveniunt omnes, quòd Divinæ ſunt; & præterea ſpiratio activa non conſtituit, nec diſtinguit Patrem, & Filium.

Reſp. neg. maj. Id enim non habent ex alterutra ratione, ſed quia inter ſe opponuntur relativè, & ad invicem ſunt, ut loquuntur Patres, & non ſupponunt Perſonas conſtitutas.

Fateor, Scotum tenuiſſe communem opinionem de conſtitutivo per relationes propter auctoritatem, & quia videtur conformior verbis Scripturæ. Eccleſia n. ante tempora Scoti non tam clarè explicaverat vim illarum relationum. Et ideò quantum ad rationes non cenſuit improbabilem opinionem de conſtitutivo per abſoluta, ut patet in textu, & apud inſignes Scotiſtas.

## QUÆSTIO X.

*Quot ſint Subſiſtentiæ in Deo. An præter Subſiſtentias relativas, & perſonales admittenda ſit una abſoluta ex parte Eſſentiæ.*

EX dictis ſuprà, & in Metaph. (1) patet, quòd ſubſiſtere ſignificat 1. exiſtere independenter ab omni alio quocumque, 2. exiſtere independenter ab ali,

[1] *Diſp.6.q.11.*

alio, ut ſubjecto inhæſionis, quod eſt proprium omnis ſubſtantiæ, & perſeitatis, ut diſtinguitur ab accidente, 3. exiſtere in ſe, & independenter ab omni alio realiter diſtincto, à quo perficiatur. Et ſic ſubſiſtere eſt habere à ſe, & in ſe, unde exiſtat, nec indigere alio ullo diſtincto, cui innitatur, aut cujus ſit, ſive ad eſſe, ſive ad operari. Et ſubſiſtentia eſt ea formalitas, à qua aliquid habet eſſe in ſe, & independenter ab alio, in quo ſubſtentetur, aut perficiatur. Hoc patet ex contrariis, 1. de accidente, quod pendet à ſubſtantia, velut à ſubjecto, cui inhæreat. 2. de materia, & forma phyſica, quæ licèt non dependeant à ſubjecto inhæſionis, quia ſunt ſubſtantiales, tamen non ſunt ſine ſe invicem, nec operantur, ſed à ſe invicem dependent in ordine ad totum, in quo ſubſiſtunt. Quæritur, an tales Subſiſtentiæ ſint plures in Deo, & an Eſſentia Dei prout diſtinguitur à tribus Perſonis, dici poſſit ſubſiſtere per ſubſiſtentiam abſolutam, & communem, an verò tantùm ſubſiſtat per tres illa ſubſiſtentias, ſeu Perſonalitates relativas.

## CONCLUSIO I.

IN *Deo admittendæ ſunt tres Subſtantiæ relativæ, & una abſoluta*. Eſt de fide quoad 1. p. & Scotiſtarum, & aliorum quoad 2.

Prob. 1. ex Scoto maximè quoad 2. quia Dei *Eſſentia per ſe exiſtens nullum eſſe habet à Perſona, ſed eſt prius naturaliter in ſe, quàm ſit in Perſona, & ita dat eſſe Perſonæ. Eſt enim natura de ſe hæc, & per ſe ſubſiſtens, licèt non communicabiliter*; ergo Eſſentia Dei præciſè à ſubſiſtentiis relativis eſt ſubſiſtens, & quidem abſolutè.

Prob. 2. quoad p. 1. ex iiſdem Scripturis, Conciliis, & Patribus, quibus probatum eſt, eſſe in Deo tres perſonas, & præcipuè, & expreſsè in VI. Synodo. *Sanctiſſima Trinitas numerabilis facta eſt Subſiſtentiis perſonalibus*. Et S. Ambroſ. (1) *Catholicum eſt, ut unum Deum ſecundum unitatem ſubſtantiæ fateamur, & Patrem, & Filium in ſua quemque ſubſiſtentia*, &c. Et S. Athanaſ. (2) *Unum Deum in tribus Subſiſtentiis prædicamus*. Et Cyrill. Alexand. *Omnis fidei noſtræ ſer-*



(1) *Ad. 11. Symb. Apoſt.* (2) *ſer. de Deip. Dial. Tri.*

*in hoc tendit, ut unam videamus Deitatis naturam, quæ in tribus Subſiſtentiis propriè ſubſiſtit*; &c. ergo in Deo ſunt tres Subſiſtentiæ relativæ in ſenſu, quo hic loquitur de ſubſiſtentia.

Prob. 3. Nam Subſiſtentiæ relativæ in Deo ſunt realiter idem cum relationibus conſtitutivis Perſonarum: ſed iſtæ ſunt tres, ut dictum eſt; ergo & illæ. Prob. maj. Ratio formalis conſtitutiva Perſonarum in Deo eſt ratio ſubſiſtendi incommunicabiliter, & independenter; ergo nihil eſt diſtinctum à Subſiſtentiis.

Prob. 4. ex Myſterio Incarnationis. Nam de fide eſt, humanitatem Chriſti ſubſiſtere per Subſiſtentiam Verbi ſic propriam, ut non poſſit dici ſubſiſtere per Subſiſtentiam Patris, nec Spiritus Sancti; ergo Verbum in Deo habet propriam Subſiſtentiam diſtinctam à Subſiſtentiis Patris, & Spiritus Sancti; ergo ſicut in Deo ſunt tres perſonæ, ita & tres Subſiſtentiæ relativæ.

Prob. 2. p. quæ magis eſt controverſa, tùm ex Scoto citato, tùm ex Conciliis. Nam ex Epiſt. Agathonis, (1) quæ habetur in VI. Synodo, *confitemur Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum, non tres Deos, ſed unum Deum, non trium nominum Subſiſtentiam, ſed trium Perſonarum unam Subſtantiam*. Hunc textum ſic legunt Patres Baro, & Fraſſen. Ego verò paulò aliter in editione Pariſienſi an. 1524. & Colonienſi an. 1551. ſcilicet, *confitentes ſanctam, & inſeparabilem Trinitatem, id eſt Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unius eſſe Deitatis, unius Naturæ, & Subſtantiæ, ſive Eſſentiæ*. Conqueritur autem Baro pro, *Subſiſtentiæ*, poſitum eſſe nomen *Subſtantiæ*. Sed de hoc non diſputo. Nam etiã illa una Subſtantia non eſt ſine Subſiſtentia.

Prob. 2. ex Patribus. Nam Auguſt. ſæpè docet, Naturam Divinam ad ſe ſubſiſtere. (2) *Omnis ſubſtantia ad ſe ſubſiſtit, quanto magis Deus?* Et Hieron. (3) *Illa eſt Natura perfecta, & in tribus perſonis una ſubſiſtit, & id, quod ſubſiſtit, non habet aliunde* (quod ſubſiſtat) *ſed ſuum eſt*. Et Cyrill. Alex. (4) *Quid eſt eſſentia?* (loquitur de divina, *res, quæ per ſe eſt, neque*

*altero*

[1] *Apol. 14. ac. 5. n. 3.* [2] *7. de Tr.* [3] *Ep. 57. ad Dã.*
[4] *7. Tr. 4.*

*altero indiget, ut per ſe ſubſiſtat*. Et S. Hilar. [1] dicit, quòd Perſonæ Divinæ *inſunt ſibi invicem, & ſubſiſtentis Naturæ habent perfectam unitatem*. Et Paſchaſ. Diaconus, *Ad ſubſtantiam pertinet, quod ſubſiſtit*; ergo Patres ubique tribuunt Eſſentiæ, ſeu Subſtantiæ Divinæ propriam Subſiſtentiam.

Prob. 3. Per ſubſiſtentiam abſolutam Eſſentiæ nihil aliud intelligimus, quàm illam perſeitatem, qua per ſe exiſtit, non ſolùm independenter ab omni ſubjecto inhæſionis, aut informationis, ſed etiam ab omni complemento ſubſtantiali, vel accidentali realiter diſtincto; ſed certum eſt, Deitatem præcisè à Subſiſtentiis relativis ſic exiſtere per ſe; ergo ſubſiſtit per ſubſiſtentiam propriam abſolutam.

Prob. 4. Deus præcisè à ſubſiſtentiis relativis eſt ens ſubſtantialiter completum, & infinitum continens omnem perfectionem poſſibilem, & fons omnis perfectionis; ergo eſt per ſe ſubſiſtens. Prob. conſeq. Per ſe ſubſiſtere, de quo loquimur, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex excludens maximam imperfectionem, qualis eſt dependentia ab alio in eſſe, & operari; ergo qui dicit ens infinitum, dicit ens per ſe ſubſiſtens.

Objic. 1. cont. 1. p. Proprietates relativæ non dicunt perfectionem; ſed Subſiſtentia per nos dicit perfectionem; ergo non dantur proprietates, ſeu ſubſiſtentiæ relativæ in Deo.

Reſp. diſt. min. Subſiſtentia abſoluta, conc. relativa, neg. min. Nam ſubſiſtentia abſoluta eſt ultimum eſſentiæ complementum in ſuo eſſe eſſentiali: relativæ autem ſunt quædam emanationes ejus conſtitutæ in ſuo eſſe completo, & emanantes ex ejus fœcunditate, non ex indigentia.

Inſt. Subſiſtentia abſoluta eſſentiæ dicit perfectionem; ergo & relativæ. Prob. conſ. Nam relativæ dicunt etiam aliquid abſolutum, ergo & aliquid perfectionis. Prob. ant. ex Aug. citato, *Omnis res ſubſiſtit ad ſe*, ergo habet aliquid abſoluti.

Reſp. neg. ant. 1. & 2. argum. & conſeq. 3. Nam Auguſtinus ibi loquitur de Deo quoad Eſſentiam, quæ ſubſiſtit abſolutè, non de Perſonis, quæ ſubſiſtunt relativè.



[1] 3. *de Spir. ſanct.*

Objic. 2. Eſſentia Dei ſubſiſtit ſubſiſtentia abſoluta, ergo non ſubſiſtit tribus Subſiſtentiis relativis. Prob. conſeq. Quod ſemel eſt ultimò terminatum, non poteſt ulteriùs terminari: ſed Eſſentia Dei eſt ultimò terminata per ſubſiſtentiam abſolutam; ergo non poteſt terminari ulteriùs per tres relativas.

Reſpond. neg. conſeq. & diſt. maj. Quod eſt ultimò terminatum perſonaliter, ſeu incommunicabiliter, conc. maj. & neg. min. terminatum, ſeu completum ſubſtantialiter in eſſe naturæ communicabilis, neg. maj. & conſeq. quia Natura Divina per Subſiſtentiam abſolutam non terminatur ultimò in eſſe perſonali, ſeu incommunicabili, quod notandum eſt pro dicendis ad ſequentes objectiones.

Objic. 1. contra 2. partem. Subſiſtentia ſecundum omnes eſt *naturæ ſingularis incommunicabilis exiſtentia*: ſed Natura Divina præciſè à Subſiſtentiis relativis non exiſtit incommunicabiliter; ergo nec ſubſiſtit. Prob. min. Eſſentia cum illa Subſiſtentia abſoluta communicatur tribus Perſonis, ergo &c. Probatur conſeq. Nam humanitas Chriſti, licèt completiſſima, non tamen dicitur ſubſiſtens propria ſubſiſtentia, quia unitur Verbo, & per illud ſubſiſtit; ergo communicabilitas naturæ impedit ſubſiſtentiam propriam, etiam in Deo.

Reſp. diſt. maj. Incommunicabilis alicui, à quo perficiatur, conc. maj. & neg. min. alicui, quod perficiat, & ſuſtentet, neg. maj. & conſeq. Et diſt. pariter antec. Eſſentia communicatur Perſonis per emanationem illarum ab ea ex fœcunditate ejus, non verò ex indigentia, & ſine perfectibilitate, vel dependentia ab eis, conc. ex indigentia, & perfectibilitate, neg. antec. & conſeq. prob. Nam humanitas Chriſti ſic unitur Verbo, ut ab eo perficiatur, & per illud ſubſiſtat cum dependentia; non ita eſt de Deitate reſpectu Perſonarum, quas emanat, & potiùs ſuſtentat.

Inſt. Natura creata non habet ſubſiſtentiam poſitivam, nec abſolutam; ergo nec Divina.

Reſp. neg. conſeq. Et diſparitas eſt, quia natura creata eſt finita in ſe, & ſeparabilis à ſua ſubſiſtentia, ut patet in Chriſto, non ita eſt de Divina.

Inſt.

Inſt. 2. Deitas præcisè à ſubſiſtentiis relativis non eſt perſonata; ergo nec ſubſiſtens. Nam Subſiſtentia facit Perſonam in natura intellectuali.

Reſp. neg. conſ. & diſt. rationem ejus. Subſiſtentia relativa facit perſonam in Deo, con. abſoluta, & communicabilis, neg. ant. Nam Subſiſtentia abſoluta relinquit Naturam Divinam communicabilem tribus Suppoſitis, quibus ultimò terminatur perſonaliter, & incommunicabiliter.

Objic. 2. Diceretur etiam, quòd humanitas Chriſti ſubſiſteret abſolutè per illam abſolutam Subſiſtentiam; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant. prob. maj. quia non poteſt dari ratio, cur non ſubſiſtat ſic abſolutè. Nam mediante Perſona Verbi verè unitur illi Subſiſtentiæ.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. Nam licèt uniatur illi Subſiſtentiæ, ſicut & Naturæ Divinæ, tamen non perſonatur, ſeu non terminatur, nec ſubſiſtit ultimatè, & incommunicabiliter, niſi per Subſiſtentiam Verbi, quæ eſt perſonalis.

Inſt. Humanitas Chriſti priùs unitur Subſiſtentiæ abſolutæ, quàm perſonali; ergo priùs eſt unita tribus perſonis, quàm Verbo. Prob. ant. Nam eſſentialia ſunt priora notionalibus, & prius eſt ſubſiſtere abſolutè, quam relativè; ergo &c.

Reſpond. neg. ant. & prob. ejus, quia unio hypoſtatica non eſt neceſſaria, ſed libera, & contingens, & in ea Deus non alligatur ordini naturali, & metaphyſico Perſonarum, vel proprietatum, ſicut nos; ergo humanitas non priùs unitur Naturæ Divinæ, quàm Verbo, ita nec prius unitur Subſiſtentiæ abſolutæ, & communi, quàm perſonali, quia ſic placet Deo.

Objic. 3. ex Conciliis, & Patribus. Nomen Subſiſtentiæ in Deo ſemper ſupponit pro Perſona, ſed Deitas præcisè à Subſiſtentiis relativis non eſt Perſona; ergo nec ſubſiſtens abſolutè. Prob. ant. ex VI. Synodo, (1) ubi Patres credunt *unitatem Eſſentiæ, Trinitatem verò Perſonarum, ſive Subſiſtentiarum*; ergo ſi admittatur Subſiſtentia abſoluta, ita & Perſona, quod eſt contra ſenſum communem Patrum; ſaltem hæc locutio non congruit ſenſui Eccleſiæ.



[1] *Act.* 17.

Reſp. neg. maj. ut patet ex probationibus con. Addo, quòd licèt noſtra opinio non concordaret Patrum locutioni quoad vocem *Subſiſtentiæ*, ſufficeret, quòd concordet in ſenſu. *Licèt nomen Subſiſtentiæ in Scriptura veteris, vel novi Teſtamenti, vel in definitionibus Conciliorum non inveniatur dictum de Deo, tamen id, quod nomen ſignificat, multipliciter invenitur aſſertum*, inquit S. Thom. (1) at oſtendimus, SS. Patres uti voce ipſa ſubſiſtendi in ſenſu noſtro.

Objic. 4. Si eſſet in Deo ſubſiſtentia abſoluta, non eſſent tres relativæ; ſed conſ. contra nos; ergo & ant. prob. maj. Hoc ipſo, quòd eſt in Deo aliquod attributum abſolutum, v. gr. ſapientia, non dantur tres relativæ; ſed ſingulæ Perſonæ ſunt ſapientes per ſapientiam abſolutam, & communem; ergo ſi admittitur una Subſiſtentia abſoluta, excludũtur tres relativę, & ſingulæ Perſonæ ſubſiſtunt illa communi.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. Nam per unum attributum abſolutum, & commune ſingulæ Perſonæ habent ſufficiens principium eſſendi, & operandi, ſed poſita unica Subſiſtentia abſoluta, minimè, quia ab illa habent tantùm completam rationem eſſendi in ſe ſub ſtantialiter, & communicabiliter, non autem ad ſe invicem peſonaliter, & incommunicabiliter. Iſtud enim habent à relativis.

Quæres, *an, ſicut damus in Deo Subſiſtentias relativas, & unam abſolutam, idem dici poſſit de Exiſtentiis.*

Reſp. affirmativè, quod probabitur in ſequenti.

## DISPUTATIO III.

### *De Relationibus Divinis.*

Huc uſque ſæpiùs mentionem fecimus de relationibus in Deo, aut illas ſuppoſuimus, & quidem de internis. Jam propiùs examinandum, quid, & quales, & quot ſint.

QUÆ-

[1] 1. p. q. 26. a. 3.

## QUÆSTIO I.

*An, & quid ſint relationes in Deo.*

JAm diximus alibi, non dari in Deo relationes reales ad extra, ſeu ad creaturas, & ſæpè ſuppoſuimus internas, maximè cùm aſſeruimus, Perſonas per relationes conſtitui. Reſtat expreſſius examinare, an verè dentur in Deo, & quales illæ ſint, an tranſcendentales, & ſecundum dici, an prædicamentales, an ſint reales, ſecundum quod reſpiciunt terminum, ſeu ſecundum *eſſe ad*, an ſecundum quod ſunt in Deo, ſeu ſecundum *eſſe in*, quod eſt abſolutum.

Porrò aliæ ſunt *communes*, quæ fundantur in unitate *ſubſtantiæ*, ut identitas, vel *quantitatis*, non quidem *molis*, ſed *virtutis*, ut æqualitas, & inæqualitas, vel *qualitatis*, ut ſimilitudo, & diſſimilitudo, aliæ ſunt *propriæ*, ſeu *originis*, quia per eas conſtituuntur, & diſtinguuntur Perſonæ inter ſe, & ſignificant proceſſiones activas, & paſſivas earum ab invicem, ut *paternitas*, *filiatio*, & *ſpiratio* tùm activa, tùm paſſiva. De communibus dicemus poſtea, de propriis hìc agitur.

## CONCLUSIO I.

D*Antur in Deo relationes propriæ, & reales*. Eſt de fide contra Arrium, (1) qui negaſſe in Deo veras relationes dicitur ab Epiphanio, Gilbertum Porretanum, qui fertur dixiſſe illas relationes eſſe extrinſecas, & aſſiſtentes Deo, & Guillelmum Pariſ. qui putavit eas eſſe rationis.

Prob. 1. ex Scoto, (2) qui docuit Perſonas conſtitui per relationes originis, ſecundum quod ſunt in re, *& ex natura rei, alioqui non conſtituerent Perſonas reales, quia reale non conſtituitur, niſi per illud, quod eſt in re, & ex natura rei*, &c. & quòd [3] *Relationes producentis, & producti ſunt compoſſibiles in natura illimitata*, ut eſt Divina, & (3) eas eſſe reales,



[1] *Hæreſ.*69. [2] 1.*d*.2.*q*.7. *H. r.* 7.
[3] *Quodl.*4.*F.n.*13. [4] *Quodl.*3.*C.Matth.ult.*

quia *habitudo conſequens extrema realia realiter diſtincta, & hoc ex natura rei, eſt realis*, &c.

Prob.2.ex Script. Conciliis, & Patribus citatis pro conſtitutivo Perſonarum Divinarum, quatenus appellant nominibus relativis Patris, Filii, & Spiritus Sanct. quorum textus non repeto. Addo Concil. Tolet. XI.(1) *In relatione Perſonarum numerus cernitur. Et Pater ad Filium, & Filius ad Patrem, & Spiritus S. ad utrumque refertur*. Et Florent.(2) dicit ex Patrum Græcorum, & Latinorum conſenſu, quòd *ſola relatio proceſſione Divina Perſonas multiplicat*; ſed illa diſtinctio, & multiplicatio Perſonarum eſt realis; ergo & relationes, per quas ſic diſtinguuntur, & multiplicantur. *Subſtantia præbet unitatem*, inquit Boet. *relatio multiplicat Trinitatem*. Et Cyrillus docet, *non niſi per relationes Perſonas diſtingui*. Et Anſel. *Non ſic Pater, & Filius ſunt duæ res, ut in his duabus rebus intelligatur eorum Subſtantia, ſed eorum relationes*. Et ſic de aliis Patribus.

Prob. 3. In Deo ſunt Perſonæ reales, Pater, Filius, & Spiritus Sanct. ergo & relationes reales paternitatis, filiationis, & ſpirationis. ant. patet ex Script. & PP. cit. prob. conſ. Ad relationem realem requiritur, & ſufficit, ut habeat 1. fundamentum reale, 2. ut extrema ejus ſint realia, & diſtincta, & 3. quòd inſit fundamento à parte rei; ſed hæc reperiuntur in relationibus illis; ergo verè ſunt reales. Prob. min. 1. Fundantur in origine activa, & paſſiva Perſonarum ab invicem, quæ origo eſt realiſſima, nàm Pater verè, & realiter generat Filium, & iſte verè, & realiter ab eo generatur. 2. Generans, & Genitus realiter inter ſe diſtinguuntur, ut Producens, & Productum, & 3. nullo intellectu cogitante Perſonæ illæ ſeſe mutuò reſpiciunt per filiationem, paternitatem, & ſpirationem; ergo &c.

Prob. 4. Illæ omnes formalitates ſunt reales, quæ conſtituunt, & diſtinguunt entia realia; ſed tales ſunt iſtæ relationes; ergo &c. Prob. maj. Effectus realis, qualis eſt conſtitutio, & diſtinctio illa Perſonarum Divinarum, non poteſt eſſe à cauſa non reali, quia non entis non ſunt qualitates, nec veri effectus; ergo &c.

Objic.

[1] *Cap.1.SS.18.de Trin.* [2] *De Tri.3.*

Objic. 1. ex Boetio. (1) Non debet aſſeri relatio in Deo; *nam ad aliquid omnino non poteſt prædicari*, alia prædicamenta utcunque ibi patitur, ſed non iſtud; ergo in Deo non eſt relatio ulla realis.

Reſp. neg. ant. Nec enim is eſt ſenſus Boetii, ſed tantùm, quòd relatio in Deo non eſt prædicamentalis, ſeu accidens inhærens ſubjecto, nec propriè *ad aliud*, quia una Perſona reſpectu alterius, quam reſpicit, ut producens, vel producta, non eſt abſolutè, & verè *aliud*. Nam filius eſt quidem *alius*, ſed non *aliud* à patre, ſed idem in Natura.

Inſt. 1. Dicit Boetius, (2) quòd *ſimilis eſt relatio Patris ad Filium, & utriuſque ad Spiritum Sanct. ut ejus, quod eſt idem, ad id, quod eſt idem*; ſed inter *idem* & *idem* non eſt relatio realis, ſed rationis, ergo ex Boetio non eſt relatio realis in Deo.

Reſp. diſt. min. Inter idem in natura, & perſona, con. inter idem in natura, & non idem, ſed diſtinctum in perſona, neg. min. Nam Boetius non intendit excludere inter Patrem, & Filium quamlibet relationem, ſed tantùm prædicamentalem, quæ ſit accidens, & ad aliud in ſenſu prædicto, quales ſunt relationes creatæ, & quæ arguunt diſtinctionem naturæ æquè, ac perſonæ. Relationes Divinæ non fundantur, nec terminantur immediatè in Natura, ſed in Perſonis, quæ per illas habent eſſe; creatæ verò reſultant inter naturas, & perſonas in ſuo eſſe conſtitutas. Hoc videtur inſinuare Boetius dicens, (3) *Intelligimus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanct. non de ipſa divinitate ſubſtantialiter dici, ſed alio quodam modo*.

Inſt. 2. ex Damaſceno. Omnis diſtinctio in Divinis venit ab intellectu. *In ſuperſubſtantiali Trinitate commune quidem, & unum re conſiderat, cogitatione verò, & intellectu eſt quid diverſum, vel diſtinctum*; ergo in Deo non ſunt relationes reales, ſed rationis.

Reſp. neg. conſ. Nam Damaſc. ibi non loquitur de diſtinctione relationum originis, & Perſonarum inter ſe, ſed de diſtinctione relationum, & attributorum ab Eſſentia, alioqui non eſſet vera Trinitas in Deo, & ita ſibi contradiceret.

Objic. 2. Tam verè Deus eſt creator, & Dominus re-



(1) 1. Tr. 6. (2) Ib. d. (3) Ibid.

reſpectu noſtri, quàm Pater reſpectu Verbi; ſed nomina creatoris, & verbi non notant relationes reales in Deo reſpectu noſtri; ergo neque nomen Patris reſpectu Verbi.

Reſp. diſt. maj. Tam verè, & extrinſecè, con. intrinſecè, neg. maj. & conſ. Nam nomen creatoris notat dependentiam noſtram ad Deum in eſſe, & conſervari, & in illa dependentia fundatur illa denominatio, & terminatur ad Deum, qui non accipit quidquam novi à nobis, dum creat, ſed paternitas conſtituit primam Perſonam, & filiatio 2. & ſpiratio paſſiva 3. Sic denominatio Domini notat ſubjectionem noſtram, quæ eſt quidem realis in nobis, & intrinſeca, ſed eſt purè extrinſeca Deo, ſic filiatio in Verbo eſt intrinſeca, & realis, & paternitas in Patre, &c.

Objic. 3. Omnis imperfectio, & dependentia repugnat Deo; ſed illæ relationes dicunt imperfectionem, & dependentiam in Deo; ergo ibi repugnant. Prob. min. Relatio eſt accidens, & minimæ entitatis, & reſultat inter res exiſtentes, & in ſuo eſſe conſtitutas, & correlativa dependent à ſe invicem; ſed hæc dicunt imperſectionem, & dependentiam; ergo.

Reſp. neg. min. & diſt. maj. prob. Relatio creata, & prædicamentalis, con. increata, neg. maj. & conſ. Nam iſtæ ſunt ſubſtantiales, & conſtitutivæ Perſonarum, & realiter identificatæ in Eſſentia, ſicut & ipſæ Perſonæ, quas conſtituunt; ideò non ſubjacent illis defectibus. Pater per hoc ipſum eſt, quòd reſpicit, & generat Filium, & ſic Filius ad Patrem, ſed ſine dependentia unius ab alio, imò cum ſumma æqualitate, quia ſunt ſummè unum in Natura.

Inſt. Correlativa ſunt ſimul natura, & cognitione; ſed non ita eſt de Deo Patre, & Filio; ergo non ſunt verè correlativi, ſeu paternitas, & filiatio in Deo non ſunt correlationes veræ, & reales. Prob. min. Nam Pater eſt prior Filio, ſaltem natura, ſeu origine, nam prius eſt patrem eſſe, quàm generare filium, actiones enim ſunt ſuppoſitorum, & Eſſentia eſt in Patre ut prima Perſona, & primo fonte, à quo eſt Filius; ergo &c.

Reſpon. neg. min. & diſt. ant. prob. Pater eſt prior

Fi-

Filio prioritate *à quo*, ſeu *originis*, con. prioritatè *in quo*, ſeu *naturæ*, neg. ant. & conſ. Non agnoſcimus prioritatem inter Perſonas Divinas, niſi originis, ſeu *à quo*, quatenùs una procedit ab alia ſine ulla dependentia. Paternitas juxta modum noſtrum concipiendi habet duo munia (ita eſt de aliis) 1. eſt conſtituere primam illam Perſonam in ratione ſuppoſiti, 2. eſt referre ad Filium: ſed utrunque indiviſibiliter præſtat unica, & formalis paternitas.

## CONCLUSIO II.

R*Elationes originis ſunt reales etiam ſecundum eſſe ad, quo ſeſe invicem reſpiciunt, non tamen prædicamentales, nec purè tranſcendentales, ſed de utriſque participant*. Eſt communis quoad 1. p. contra Henricum, & quoſdam Thomiſtas, qui docent, Perſonas conſtitui per relationes, ut tranſcendentales, & prout dicunt potentiam productivam, & *eſſe in*, quod eſt quaſi abſolutum, licèt ſecundum dici ſit quid relativum.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Relatio non conſtituit Perſonam, niſi ſecundum quod eſt in re, & ex natura rei, alioqui non conſtitueret Perſonam realem, quia reale non conſtituitur niſi per id, quod eſt in re ex natura rei; ſed iſta relatio primæ Perſonæ non eſt in re, & ex natura rei, niſi in ratione actualiſſima ſibi poſſibili*, (ſc. prout reſpicit Filium, & in ratione vera paternitatis, ſeu generationis) *ergo quantumcumque poſſit conſiderari per intellectum ſub ratione aptitudinis* (ſeu potentiæ) *vel actualitatis... non conſtituit* (primam Perſonam) *niſi ſub ratione actualiſſima Patris, ſeu generantis.. quia etſi intellectus poſſit conſiderare circa paternitatem rationem proprietatis* (v. gr. generativitatem, ſeu aptitudinem generandi, quæ eſt quaſi abſoluta) *& rationem relationis* (ſeu generationis actualis) *non tamen ipſa eſt in re, niſi ſub unica ratione reali* (relationis, ſeu generationis actualis, & in eſſe ad); *ergo ſub iſta conſtituet, & ſub illa non poteſt eſſe ad ſe; ergo relatio eſt non niſi relatio correſpondens ſecundæ Perſonæ* (& ut eam reſpiciens) Alios textus adduxi ſupra de conſtitutivo Perſonarum per rela-

[1] *Quodl.* 4. F. *n.* 13.

relationes formaliter, & quoad *eſſe ad*.

Prob.2.quoad 1.p.ex Script.& PP.& Conciliis citatis tàm pro conſtitutivo Perſonarum per relationes, quàm pro præcedenti concluſione. Nam conſtituunt Perſonas ſecundum propriam rationem relationum realium; ſed propria ratio iſta eſt ad aliud ſe habere; ergo relationes Divinæ conſtituunt Perſonas ſecundum *eſse ad*.

Confir. 1. ex Concilio VVormatienſi dicente, quòd *Pater non eſt ad ſè, ſed ad Filium eſt, & quòd Filius non eſt ad ſe, ſed ad Patrem*; ergo &c.

Confir. 2. Nam Pater eatenus eſt in Deo, quatenus eſt ad Filium, (ex Concilio cit.) & Filius, quatenus eſt ad Patrem, ſeu à Patre, (ita eſt de Spiritu S.) ergo vel relatio actualis in Patre ad Filium eſt realis, vel Pater non eſt verè, & realiter in Deo, ſed per rationem, ſi relatio illa eſt tantùm rationis quoad eſſe ad Filium.

Confir. 3. Paternitas eſt in Deo ſecundum veram, & propriam rationem ſuam, ſed ſecundum illam rationem eſt realis, & ad Filium; ergo eſt realis ſecundum eſſe ad. Maj. conſtat ex Scriptura, & Concil. cit. Min. prob. ex receptiſſima definitione relationis, *cujus totum eſse eſt ad aliud ſe habere*; ergo vel paternitas non eſt in Deo ſub ratione vera, & formali paternitatis, & relationis, vel ibi eſt à parte rei quoad eſſe ad Filium, & ita eſt de aliis.

Confir. 4. & prob. Nam, inquit Cyrill. (1) *magis propriè convenit Deo nomen Patris, quam Dei ... Nam qui Deum dicit, univerſorum dominum indicat, qui autem nominat Patrem*, &c. Et alibi, [2] *Cùm dicitur Deus, ad ea comparatur, quæ ſunt ſervilis conditionis, & creata natura conſtant, Pater verò ad Filium refertur .... eſt autem multò præſtabilius, patrem eſse germinis, ac tantò quidem, quantò filius opere eſt præſtantior*. Et S. Bernardus, *Non quòd ad ſe, ſed quòd ad Filium eſt*. Ergo veriùs, & realiùs relatio, qua Pater Filium reſpicit, eſt in illo, quàm nomen *Dei*, vel *Domini*, quod relationem rationis ad creaturas indicat.

Denique Concil. Florent. definit, quòd *Pater omnia*,

[1] 15. *in Jo.* 7.
[2] 5. *T. Eſh.* 192. *Litt. unic.*

*omnia, quæ Patris ſunt, dedit Filio, præter eſse Patrem*, ergo aliquid eſt realiter, & verè in Patre, quod non eſt in Filio, & illud eſt ſola relatio paternitatis; ergo hæc verè, & realiter eſt in Deo ſecundum eſſe ad. Ita eſt de filiatione, & ſpiratione paſſiva.

Prob. 2. p. 1. ex dictis in Philoſophia. Nam omne ens propriè prædicamentale eſt limitatum, & relatio prædicamentalis eſt accidens aptum inhærere, & advenit rebus in ſe conſtitutis, & per nos diſtinguitur realiter ab extremis; ſed hæc omnia repugnant in Deo; ergo relationes Divinæ in ſenſu ſtricto, & Philoſophico non ſunt verè prędicamentales. Prob. min. Nam paternitas Divina v. g. non eſt accidens, nec poſitivè finita, nec reſultat in prima Perſona in ſuo eſſe conſtituta, ſed verè conſtituit, ut probatum eſt; ergo illi relationi Divinæ repugnant illæ conditiones relationis prædicamentalis.

Prob. 3. p. ex eadem Philoſophia. Nam relatio purè tranſcendentalis in ſua entitate, & à parte rei eſt quid abſolutum, nec eſt aliter relativum, niſi quatenus concipitur per ordinem ad aliud, & ideò vocatur relatio *ſecundum dici*; ſed relationes originis ſunt veræ, & formales relationes, ut probatum eſt; ergo non ſunt purè tranſcendentales.

Confir. Nam ipſa Eſſentia Dei poſſet dici relativa *ſecundum dici*, & tranſcendentaliter, ſeu virtualiter. Nam ipſa continet radicaliter, & virtualiter, & identicè iſtas relationes, & iſtę ab ea manant, licèt alioqui illa ſit ens abſolutiſſimum in ſe. Sic omnis facultas, & potentia eſt relativa ad ſuos effectus; ergo, &c.

Prob. 4. p. Nam 1. paternitas in Deo formaliter reſpicit Filium, & per hanc reſpicientiam conſtituit primam Perſonam, & producit ſecundam, & quoad hoc participat aliquid de relatione prædicamentali, ſecluſis imperfectionibus. 2. realiter identificatur Eſſentiæ, & conſtituit Perſonam Patris, & quoad hoc, quod identificatur entitati abſolutæ Deitatis, convenit cum relatione tranſcendentali, imò & quatenus conſtituit Perſonam, quæ eſt Deus.

Quæres, *an ſicut iſtæ relationes dicuntur reales, dici etiam poſſint res.*

Reſp. ex Doctore, [1] eas poſſe dici res, non ſolum

[1] *Quodl. 3. C. n. 3.*

ſum prout nomen rei convenit alicui, quod non repugnat concipi, & ſic opponitur puro nihil, & convenit enti reali, & rationis, ſed etiam prout ſignificat aliquid exiſtens independenter ab opere intellectus. *Quod autem relatio ſit res, prob.* inquit. *Habitudo conſequens extrema realia, & realiter diſtincta, hoc eſt, ex natura rei, eſt realis, quia entitas ejus non eſt in anima* ( fingente, vel comparante ); *ergo ſecundum entitatem propriam eſt res ſuo modo*. Sed habitudo Patris ad Filium eſt talis, ut probatum eſt; ergo & ſuo modo eſt res. Et ita de filiatione, & ſpiratione.

Non tamen ſunt res propriè, & ſtrictè, ſumpto nomine rei pro aliquo abſoluto, & per ſe exiſtente, ut diximus de diſtinctione attributorum in Metaphyſica, diſtinctione reali, & formali. Nam relationes Divinæ non habent exiſtentias reales, & per ſe diſtinctas ab exiſtentia abſoluta Eſſentiæ.

## QUÆSTIO II.

*Quot, & quæ ſint relationes in Deo, an præter relationes originis dentur in Deo aliæ, v. g. ſimilitudinis, æqualitatis, &c.*

JAm monuimus, in Deo ſupponi relationes aliquas *proprias*, diſtinctivas, & conſtitutivas Perſonarum, quæ dicuntur originis, quia ſignificant proceſſiones earum ab invicem, & tales ſunt *paternitas, filiatio, ſpiratio activa, & ſpiratio paſſiva*. Aliæ ſunt *communes*, quæ fundantur in virtute ſubſtantiæ, perfectionis, & qualitatum, & tales ſunt relationes identitatis, ſimilitudinis, æqualitatis, &c. De iſtis quærimus, an ſint reales inter Perſonas Divinas, de prioribus verò quærimus, quot ſint.

## CONCLUSIO I.

QUatuor ſunt relationes originis in Deo, *paternitas, filiatio, ſpiratio activa, & ſpiratio paſſiva, & non plures, nec pauciores*. Eſt communis, & dicitur de fide à P. Vulpio, & aliis. Nobis ſufficiat, quod ſit apertiſſima.

Prob.

Prob. 1. ex Scoto, qui probat, duas eſſe in Deo, & non plures Productiones, & perſonas productas, & quòd inter producentes, & productas dentur relationes reales producentis, & producti. Unde concludit, quatuor ibi eſſe relationes, nec plures eſſe neceſſarias. *Concedo*, inquit, *quòd relationibus ex parte producentium correſpondent relationes ex parte productorum, & tot*, &c.

Prob. 2. ex Concil. Tolet. II. & PP. cit. qui omnes agnoſcunt has relationes originis, & non plures. [1] *In Perſonis Divinis* ( confitemur ) *cerni numerum, quatenus ad invicem referuntur*; Sed Perſonæ illæ non referuntur realiter, niſi per illas quatuor relationes; ergo ſunt illæ quatuor, & non plures.

Prob. 3. Tot ſunt in Deo relationes originis, quot origines, ſeu proceſſiones reales; ſed iſtæ ſunt quatuor, ſc. duæ activæ, generatio activa, & ſpiratio activa, & duæ paſſivæ, filiatio, & ſpiratio paſſiva; ergo &c.

Confir. Nam ex ſingulis proceſſionibus reſultant ſingulæ relationes, ſc. ex generatione activa venit paternitas in Patre, & generatione paſſiva filiatio in Filio, ex productione activa Spiritus Sancti venit relatio ſpirationis activæ in Patre, & Filio, & ex proceſſione paſſiva venit ſpiratio paſſiva in Spiritu Sancto; ergo tot ſunt, & non plures relationes originis. *Eſt tribus commune habere relationem ad duos*, inquit Anſel. [2] *Pater enim ad Filium, & Spiritum Sanctum refertur, ſicut ad illos, qui de ſe ſunt, Filius ad Patrem, quia eſt de Patre, & Spiritum Sanctum, qui eſt de illo, & Spiritus ſanctus ad Patrem, & Filium, quia eſt de utroque*; ergo ex proceſſionibus activis, & paſſivis numerantur relationes originis.

Objicies 1. Tot ſunt relationes originis, quot Perſonæ; ſed iſtæ ſunt tres tantùm; ergo & illæ. Prob. maj. Tot ſunt formalitates conſtituentes, quot Perſonæ conſtitutæ; ſed relationes originis ſunt formalitates conſtituentes Perſonas; ergo ſicut iſtæ ſunt tres, ita & illæ.

Reſp.

[1] *Confeſſ. fid.*
[2] *de proceſſ. Spir. Sanct. c. penul.*

Reſpondeo neg. utranque maj. Nam licet Perſonæ conſtituantur per relationes, non ſequitur, quòd omnes relationes conſtituant, ſed illæ tantùm conſtituunt, quæ ſunt primæ in Perſonis, & habet inter ſe oppoſitionem relativam in eodem ſuppoſito. Spiratio autem activa non ſic opponitur paternitati, & filiationi, & non eſt prima in illis, & ſic non eas conſtituit, quia invenit conſtitutas.

Objicies 2. Si eſſent in Deo quatuor relationes reales, eſſent & quatuor *res*, quia fatemur eas dici *res*; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant. Prob. min. ex definitionibus Eccleſiæ, quæ in Concilio Lateran. damnat *ponentes quaternitatem rerum in Divinis*.

Reſpondeo neg. maj. abſolutè, & rationem ejus. Nam admittimus tantum reales dici res cum limitatione. Ideò diſt. min. & ant. prob. Sumpto nomine rei propriè, & rigoroſè pro ente per ſe exiſtente, con. largè, & pro eo, quod eſt à parte rei, & verè, neg. min. Nec enim id falſum eſt, neque damnatum in Eccleſia, imò aſſertum. Concilium nomine quatuor rerum intelligit quatuor ſuppoſita, ideo adducit textum Scripturæ, *Tres ſunt* ( Perſonæ ) *qui teſtimonium dant in cœlo*, &c.

Inſt. Concilia nihil dicunt de ſpiratione activa, nec eam numerant inter relationes originis; ergo non cenſent, eam realem eſſe, neque numerandam. Prob. ant. In Florent. [1] dicitur, Patrem, & Filium una ſpiratione producere Spiritum Sanct. ſcilicet non admittunt duplicem ſpirationem, unam activam, & unam paſſivam, & dicit, illam ſpirationem eſſe originem, ſeu actum notionalem, non autem relationem. Idem colligitur ex Toletano cit. quod nihil dicit de relatione activa Patris, & Filii ad Spiritum Sanctum; ergo ſpiratio activa non eſt realis.

Reſp. neg. conſ. utranque, tùm quia ab argumento negativo nihil rectè concluditur, tùm quia Patres ibi tantùm faciunt mentionem de relationibus conſtitutivis, qualis non èſt ſpiratio activa, quæ eſt in Patre,

[1] *Seſſ.* 24.

Patre, & Filio jam conſtitutis.

Inſt. 2. Eſſent quinque relationes reales; Sed hoc eſt contra nos; ergo & illa reſponſio. Prob. maj. Spiratio activa tàm eſſet in Filio, quàm in Patre, & ſunt duo ſpirantes; ergo & duæ ſpirationes activæ; ergo & quinque relationes originis. Reſpondeo neg. maj. & conſ. prob. Nam ſicut ambo ſpirant per unum, idemque principium, ſcilicet per eandem voluntatem, & fœcunditatem, ita & una ſpiratione. *Non tanquam ex duobus principiis, ſed tanquam ex uno principio, non duabus ſpirationibus, ſed unica ſpiratione procedit*, inquiunt PP. Concil. Lugdunenſis ſub Gregorio X. Idem docet Florent. [1] *A Patre, & Filio tamquam ab uno principio, & unica ſpiratione*.

Objicies 3. Filius procedit, ut *Verbum*, & *Imago*, & Spiritus Sanct. ut *Donum*; ergo præter relationes filiationis, & ſpirationis, dicunt relationes *Verbi*, & *Imaginis* ad Patrem loquentem, & exprimentem, & *Doni* ad utrunque dantem; ergo ſunt plus quàm quatuor relationes reales.

Reſp. neg. conſ. Nam ſicut ratio Verbi, & Imaginis non differt à ratione Filii, ſicut nec *Doni* à ratione Spiritus Sancti, ita nec illæ relationes differunt, niſi quoad voces. *Verbum, mox ut conſideratur, ſe prolem ejus eſſe, à quo eſt, evidentiſſimè probat, promptam præferendo Patris imaginem*, inquit Anſelmus. [2] Eſt ergo eadem relatio ſub diverſis nominibus.

## CONCLUSIO III.

D*Antur in Deo relationes identitatis, æqualitatis & ſimilitudinis veræ, & reales*. Ita Scotiſtæ, & alii contra Thomiſtas, & alios, qui fatentur quidem, Perſonas Divinas eſſe verè, & realiter æquales. Et ideò *Negans æqualitatem, hæreticus eſt*, inquit S. Thom. (3) *Quamvis æqualitas non ſit relatio realis, tamen id, ratione cujus tribuitur æqualitas, realiter eſt in Deo*.

Prob. 1. ex Scot. (4) quia ibi adſunt conditiones relationis realis. *Ad relationem realem tria ſufficiunt*. 1. *quòd*

[1] *Litt.unic.* [2] *de proceſſ.*34. & 40.
[3] 1.*d.*31.*a.*4. (4) 1.*d.*3.*A.n.*4.

1. *quòd fundamentum ſit reale, & terminus realis*, 2. *quòd extremorum diſtinctio ſit realis*, 3. *quòd ex natura extremorum, ſc. fundamenti, & termini ſequatur ipſa talis relatio abſque ope alterius potentiæ comparantis unum extremum alteri*. Et probat has conditiones eſſe in Deo tùm ibi, tùm in toto quodlibeto 6.

Prob.2.ex Script. Conciliis,& PP. Nam 1. dicitur de unitate, quòd [1] *tres unum ſunt*, ſcilicet in Subſtantia, ſeu Eſſentia: unitas autem ſubſtantiæ fundat identitatem. Quod etiam definiunt Concilia contra Arrianos, ſcilicet *conſubſtantialitatem* Filii cum Patre, quæ eſt identitas Subſtantiæ. *Conſubſtantialem Patri*, ut in Symbolo Nicæno, & in Symbolo Athanaſii, *Unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate*. &c. Et ubique idem docent Patres. Niſi enim adſit ſumma unitas, & identitas inter Perſonas Divinas, non erunt unus Deus.

2. De æqualitate. Dicitur de Verbo incarnato, [2] *Non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo*. Et in Symbol. Athan. cit. *Totæ tres Perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales*. Et Concil. Tolet. VI. *In hac Trinitate tanta eſt unitas Subſtantiæ, ut pluralitate careat, & æqualitatem teneat*. Et ſanct. Hilarius, *In his nemo alium præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut ſuperat poteſtate*; ergo ſunt æquales.

3. De ſimilitudine non naturæ, quam malè volebat Arrius, ſed Attributorum, proprietatum, & qualitatum omnium, quæ naturam quaſi exornant. *Qualis Pater, talis Filius*, &c. inquit Athanaſ. Et cùm legitur in Geneſi, *Faciamus hominem ad ſimilitudinem*, &c. *Oſtendit*, inquit Hilar. *Invicem ſui eſſe ſimiles, in eo, quòd ſimilitudinem noſtram dicat*, ſcilicet ibi inducuntur tres Perſonæ Divinæ loquentes de ſe pluraliter.

Prob. 2. Nam, ut dicebamus ex Scoto, identitas, æqualitas, & ſimilitudo ſunt verè inter Perſonas Divinas, ut fides docet; ſed illæ habent conditiones veræ relationis realis; ergo ſunt verè reales. Prob. min. 1. fundamentum, & termini ſunt realia, nempè Eſſentia, Attributa, & Perſonæ, 2. termini ſunt etiam realiter diſtincti inter ſe, ſcilicet Perſonæ, & 3. nullo intellectu cogitante, aut comparante, verum eſt,

[1] 1. *Jo.* 5. [2] *Philip. profeſſ. fid.*

eſt, illas Perſonas eſſe idem in Eſſentia, æquales in duratione, & in omni perfectione, v. g. in potentia, ſapientia, ſanctitate, &c. & ſimiles in iiſdem virtutibus, ſeu qualitatibus; ergo, &c.

Dices. Ad relationem veram, & realem requiritur, ut fundamentum *quo*, ſeu ratio fundandi multiplicetur in extremis, quod non accidit in Deo. Nam ibi Subſtantia, & Attributa ſunt uniſſima, ſeu identiſſima.

Contra. Nam 1. ſuppoſitum eſt unum in Chriſto, & tamen fundat duas relationes ad Patrem, ſcilicet æqualitatis, & minoritatis, ratione diverſarum naturarum: ergo ita erit de Natura Divina in diſtinctis Suppoſitis. 2. Per adverſarios actio, & paſſio in creatis non diſtinguuntur; ergo nec generatio activa, & paſſiva, & tamen fundant in Deo diſtinctas, & realiſſimas relationes paternitatis, & filiationis inter Genitorem, & Genitum in eadem prorſus Eſſentia. 3. Si eadem numero albedo poneretur in duobus parietibus, non minùs eſſent duo alba, & ſimilia, quàm ſi eſſent duæ albedines. 4. Licèt Pater, & Filius una indiviſibili actione ſpirent, tamen rectè dicuntur duo ſpirantes. 5. Unica eſt æternitas, & tamen dicuntur *coæterni*, *& coæquales*, & hoc tam verè à parte rei, quàm *unus æternus*; ergo non requiritur pluralitas fundamenti *quoad* pluralitatem relationum realium.

Confirm. Nam cùm illæ relationes affirmentur in Scripturis, & Patribus, & cùm nihil obſtet, quin capiantur in ſenſu reali, ut patebit ſolutione objectionum, debent dici reales.

Objicies 1. Si relationes illæ eſſent veræ, & reales, eſſent innumeræ; ſed conſ. eſt falſum, & contra nos; ergo, &c. Prob. maj. Tot eſſent relationes identitatis, ſimilitudinis, & æqualitatis, quot ſunt perfectiones, & attributa; ſed hæc ſunt innumera; ergo, &c.

Reſp. neg. min. Quæ enim in hoc abſurditas, quòd in Deo ſint tot formalitates relativæ, quot abſolutæ? Nec id opponitur doctrinæ communi de quatuor relationibus originis, quæ ſunt particulares, ſicut illæ ſunt communes.

Inſt. Nulla eſt neceſſitas ſic multiplicandi relationes in Deo. Nam ſufficienter Perſonæ illæ dicuntur ſimiles, & æquales ſeipſis ſine relatione media, & rea-

li,

li, aut per puram negationem inæqualitatis, & diſſimilitudinis; ergo non debent aſſeri tales relationes.

Reſp. neg. ant. & prob. ejus. Nam ſicut in creatis Thomiſtæ admittunt ſimilitudinem realem, qua duo alba dicuntur ſimilia, ita debent admittere inter Patrem, & Filium Dei relationem ſimilitudinis propter unitatem ſapientiæ, & æqualitatis propter unitatem virtutis, & magnitudinis, ſicut & admittunt eos dici ſpirantes propter unitatem ſpirationis activæ.

Objic. 2. Ad multiplicationem relationum realium debet multiplicari ratio fundandi; ſed hæc ratio non multiplicatur in Perſonis Divinis, non enim multiplicatur ſapientia, nec juſtitia, quæ eſt ratio fundandi ſimilitudinem ſapientiæ, &c. ergo illæ relationes non ſunt reales. Prob. maj. Niſi illa ratio multiplicetur, idem refertur ad ſe ipſum; Sed id non fit per relationem realem; ergo, &c.

Reſp. neg. maj. utramque. Nam ratio fundandi non eſt id, *quod* refertur, ſed id, *quo* extrema, ſeu Perſonæ Divinæ ad ſe referuntur.

Objic. 3. Relationes ſimilitudinis, & æqualitatis fundantur in unitate qualitatum, & quantitatum; ſed in Deo non ſunt qualitates, nec quantitates; ergo nec tales relationes.

Reſp. diſt. maj. In unitate qualitatum, & quantitatum metaphyſicalium, ſeu naturæ, & perfectionum ſubſtantialium, con. qualitatum phyſicarum, & accidentalium tantùm, neg. maj. Attributa Divina ſunt qualitates metaphyſicæ, & ſubſtantiales, non phyſicæ, & accidentales; ſunt quantitates virtutis, & perfectionis infinitæ, non autem molis corporeæ, aut materialis.

Objicies 4. Si relationes illæ eſſent reales, darentur in Deo plura prædicata realia ſolo numero diſtincta; ſed. conſ. eſt falſum; ergo &c. Maj. patet. Nam æqualitas, quæ eſt in Patre, diſtingueretur ab illa, quæ eſt in Filio, & quidem ſolo numero. Prob. min. tum quia diſtinctio numerica petitur à ſola materia, quæ non eſt in Deo, tùm quia talis diſtinctio eſt realis, & inducit compoſitionem ex actu, & potentia, tùm quia innuit limitationem, ſeu finitatem in rebus diſtinctis; ergo, &c.

Reſp. neg. min. & ant. probationis. Nam ſicut admit-

mittitur aliqualis numerus in Perſonis Divinis, & relationibus originis, ita nihil prohibet aliqualem admittere in relationibus communibus. Dico *aliqualem*. Nam videbimus infrà, quo ſenſu admitti poſſit numerus in illa ſumma unitate. Quod autem dicitur de principio diſtinctionis numericæ, patet ex Philoſophia, gratis dici. Et idem eſt de compoſitione, & limitatione.

## QUÆSTIO III.

*An, & quomodò relationes originis diſtinguantur inter ſe, & ab eſſentia.*

RElationes originis comparari poſſunt, 1. vel inter ſe, ut paternitas cum filiatione, & prout conſtituunt diverſas Perſonas, 2. vel inter ſe in eadem Perſona, ut paternitas cum ſpiratione activa in Patre, & filiatio cum ſpiratione activa in Verbo, vel 3. cum ipſa Eſſentia, & 4. vel relationes ipſæ originis cum ipſis originibus, v. g. paternitas cum generatione activa, & filiatio cum generatione paſſiva, an ſit idem formaliter primam Perſonam generare, & eſſe Patrem, & ſimiliter an ſit idem formaliter, Verbum generari, & eſſe Filium, &c. Et quæritur, an, & quomodò relationes illæ diſtinguantur ſecundum diverſos illos reſpectus.

## CONCLUSIO I.

R*Elationes originis diſtinguuntur tantum formaliter ex natura rei ab Eſſentia Divina, relationes vero, quæ habent ad ſe invicem oppoſitionem relativam, ut paternitas, & filiatio, & ſpiratio activa cum paſſiva, diſtinguuntur realiter ab invicem*. Ita Scotiſtæ quoad 1. p. & omnes Theologi quoad 2.

Prob. 1. p. 1. ex Scoto. [1] *Relatio, ut comparatur ad Eſſentiam, eſt res*, quia cum Eſſentia conſtituit Perſonam, *& quia quælibet relatio, ſaltem perſonalis, ſe ipſa perſonaliter eſt formaliter incommunicabilis*; ergo ſe ipſa diſtinguitur formaliter à quocunq; communicabili; ergo & ab eſſentia, quæ eſt communicabilis.

Prob.

[1] *quodl. 3. D. n. 4. & 6.*

Prob. 2. cum eodem ex dictis [1] de diſtinctione Attributorum ab Eſſentia. Nam eadem eſt ratio, & quidem à fortiori de his relationibus, quia de illis propriè verificantur contradictoria; quippè Eſſentia communicatur à parte rei tribus Perſonis, & paternitas non communicatur, ſicut nec filiatio, nec ſpiratio paſſiva; ergo iſtæ relationes non ſunt formaliter, & à parte rei idem cum Eſſentia. Alias probationes vide tr. 1. de diſtinctione attributorum.

Prob. 3. cum eodem ex Auguſtino. [2] *Omnis eſſentia, quæ relativè dicitur, eſt etiam aliquid excepto relativo....* Et, *ſi Pater eſt aliquid ad ſe* (abſolutum, & quoad Eſſentiam) *non eſt omninò qui relativè dicatur ad aliquid:* & de Filio, *Non eo Verbum, quo ſapientia, quia Verbum non ad ſe dicitur, ſed tantum relativè ad eum, cujus Verbum dicitur, ſicut Filius ad Patrem, ſapientia verò eo, quo eſſentia;* ergo ex Auguſtino relationes, quibus Perſonæ Divinæ conſtituuntur, non ſunt idem, ſed diſtinguuntur ab Eſſentia, & quidem à parte rei. *Eſt igitur*, ſecundum Auguſtinum, *talis non identitas relationis ad abſolutum*, ſcilicet ad Eſſentiam.

Prob. 2. p. Nam de fide eſt, tres Perſonas realiter inter ſe diſtingui; ſed ſic diſtinguuntur per relationes paternitatis, filiationis, & ſpirationis; ergo & ipſæ relationes ſic diſtinguuntur ad invicem.

Dixi autem, *formaliter tantùm*, non autem realiter, ut volebat Abbas Joachim, alioqui eſſet quaternitas in Deo. Concilium Lateranenſe docet, quòd Trinitas non eſt quaternitas, quia quælibet trium Perſonarum eſt illa res, ſcilicet Eſſentia, ſeu Deitas; ergo relationes illæ non diſtinguuntur realiter ab Eſſentia.

Objectiones præcipuè contra 1. p. habes, ubi de diſtinctione Attributorum.

Objic. prætereà auctoritates Canonum, & Patrum, quibus excluditur omnis diſtinctio realis inter Eſſentiam, & Perſonas. Nam in Concilio Lateran. [3] Id, *quod eſt Pater, & Filius, & Spiritus S. eſt idem omninò.* Et in Flor. *Ne ipſam eandem Subſtantiam re,*

*non*

[1] 1. *d.* 2. *q.* 7. *FF. n.* 41.
[2] 7. *Tr.* 1. [3] *Ibid.*

*non autem ſola ratione ab Hypoſtaſibus & Perſonis differre credere videamur* . Et in Concil. Rhemenſi, (1) *Deus, & Perſonæ Divinæ ſunt ens ſummè ſimplex*; ergo relationes conſtitutivæ Perſonarum non à parte rei, ſed ſola ratione diſtinguuntur ab Eſſentia.

Idem docent SS.PP. ut S.Athanaſ. (2) *Neque Deus hoc dicitur per compoſitionem, ſed ex diverſis conſiderationibus*, ſcilicet per intellectum. Et Damaſc.(3) *Tres Perſonas ſecundum omnia idem eſſe excepta oppoſitione relationum .... Et Perſonæ ſunt divinitus*, ſcilicet Eſſentia prædicatur in abſtracto de Perſonis; ergo non diſtinguuntur formaliter à parte rei, ſed ſe includunt. Et Dionyſ. (4) dicit, *unitatem Perſonarum in Eſſentia eſſe ſummam, & ſuperare omnem conjunctionem corporalem, & ſpiritualem*; ergo eſt ſine omni diſtinctione, ſaltem à parte rei. Et Bernard. (5) dicit, *Perſonarum proprietates non aliud eſſe, quàm Perſonas, & Perſonas ipſas non aliud, quàm unam Eſſentiam*; ergo non diſtinguuntur formaliter à parte rei ex Patribus, & Conciliis.

Reſp. diſt. con. A parte rei diſtinctione reali, propria, & ſtricta inter rem, & rem, con. formali, qualis inter formalitates, & entitates, ſeu realitates, neg. con. Iſtam diſtinctionem aſſerimus, non illam. Et iſtam vocant Patres aliquo ſenſu diſtinctionem rationis, non quòd ſit ab intellectu, ſed quia eſt inter quidditates, quæ ſunt rationes formales, ſecundum quas objecta ſunt conceptibilia ſeorſim. *Sed nunquid hæc diſtinctio dicatur realis?* inquit Scotus, (6) *Non propriè realis actualis intelligendo, ſicut communiter realis actualis illa, quæ eſt differentia rerum, & in actu .... poteſt autem vocari differentia rationis, non quod ratio accipiatur pro differentia formata ab intellectu, ſed ut ratio accipitur pro quidditate, ſecundum quod quidditas eſt objectum intellectus*. Hæc autem diſtinctio formalis non impedit ſummam Dei ſimplicitatem, & ſic illam non impugnant Concilia, nec Patres.

Inſt. Concilia, & Patres aſſerunt omnimodam identitatem realem; ergo excludunt omnimodam diſtinctionem à parte rei. Prob. ant. Nam Concil. Lateran.



[1] *C.firmiſs.*23. [2] *Dial.*1.
[3] 1.*fid.c.*9. & 10. [4] *Div. nom.* 2.
[5] 5. *con. fide*. (6) *Ibid. GG.*

ran. (1) *Licet alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanct. non tamen aliud, ſed id, quod eſt Pater, eſt Filius*, &c. ſcilicet idem omninò. Et Auguſt. (2) *Non aliud eſt Deo eſſe, aliud Perſonam eſſe*; ergo nulla ibi diſtinctio inter Perſonam, & Deitatem a parte rei.

Reſp. diſt.conſ. Nulla diſtinctio propriè realis, con. nulla diſtinctio formalis, in ſenſu allato, neg. con. Quod patet ex dictis.

Inſt. 2. Joannes Theologus Latinus in Concil. Florent. (3) expreſsè dicebat, quòd *Divina Subſtantia, & Perſona re quidem ſunt idem, ſecundum autem modum intellectionis noſtræ differunt*, quod Græci Doctores conceſſerunt, præcipuè Marcus, & Andreas; ergo ex mente illius Concilii nulla ibi eſt diſtinctio niſi rationis.

Reſp.diſt.conſ. Niſi rationis, id eſt quidditatis præſcindentis objectivè, con. niſi rationis præſcindentis formaliter, & activè, neg. conſ. Diſtinctio noſtra hęc dicitur *rationis*, non ut formata ab intellectu, ſed ut ratio accipitur pro quidditate objectivè præſcindente.

Objic. 2. Ideò dicimus, paternitatem diſtingui à parte rei ab Eſſentia, quia à parte rei paternitas non communicatur Filio, & Eſſentia communicatur; ſed hæc ratio nulla eſt; ergo &c. Prob. min. Si ratio illa valeret, ſequeretur diſtinctio realis, & entitativa; ſed hoc eſt contra nos, & contra fidem; ergo &c. Prob. maj. Eſſentia communicatur entitativè, & paternitas non communicatur entitativè; ergo ſi ex illa communicatione, & non communicatione ſequitur diſtinctio inter Eſſentiam, & Paternitatem, illa erit diſtinctio realis, & entitativa.

Reſp. neg. min. 1. argum. & maj. 2. & ant. 3. Vel illud ſic diſt. Paternitas non communicatur entitativè, id eſt ſecundum formalitatem paternitatis præcisè, & ſecundum id, quod ſuperaddit Eſſentiæ, con. id eſt ſecundum entitatem, ſeu rem abſolutam, quam importat realiter, neg. ant. & conſ. Nam ibi eſt æquivocatio, cum dicitur, Eſſentia communicatur entitativè, ly *entitativè* ſupponit pro ipſa reali Subſtantia Deitatis, & cùm dicitur, Paternitas non communicatur entitativè, ſupponit tàm pro ipſa relatione

[1] *Ibid.* [2] 6. [3] *Seſſ.* 8.

tione paternitatis formaliter, quàm pro ipſo Patris ſuppoſito cum Eſſentia, quam importat per identitatem realem. Si autem nihil aliud velit, niſi quod formalitas paternitatis præcisè ab entitate Eſſentiæ non communicatur, nihil eſt verius: ſed conſ. eſt falſiſſima.

Objectiones con. 2. partem habes ſuprà, ubi de numero, unitate, & diſtinctione Perſonarum, & proceſſionum, & explicatur, quomodo illa identitas realis relationum cum Eſsentia non impediat diſtinctionem earum inter ſe, ob illud axioma, *Quæ ſunt eadem uni tertio*, &c.

## CONCLUSIO II.

R*Elatio ſpirationis activæ in Patre, & Filio non diſtinguuntur realiter à paternitate, & filiatione, ſed formaliter à parte rei*. Eſt communis quoad 1. par. non ita quoad 2. ſed eſt Scotiſtarum.

Prob. 1. ex Scoto (1) docente, quòd plures relationes originis ſunt realiter diſtinctæ, ſed non omnes; quod dicit propter ſpirationem activam. Et inferius ait, quòd iſtæ propoſitiones ſunt veræ in concreto, *Pater eſt ſpirans*, non autem in abſtracto, *Paternitas eſt ſpiratio*, quod indicat paternitatem, & ſpirationem identificari quidem realiter, non autem formaliter.

Prob. ex Concil. Lateran. cit. in quo damnatur Abbas Joachim, qui diſtinguebat realiter Eſſentiam à Perſonis, quia hoc eſſet ponere *quaternitatem in Trinitate*; ergo idem ſequeretur, ſi ſpiratio activa diſtingueretur realiter à paternitate, & filiatione. Nam ſpiratio illa deberet conſtituere unam Perſonam cum Eſſentia, æquè ac paternitas, ſeu generatio activa. Spirans enim eſſet ſubſiſtens æquè, ac generans.

Prob. 3. ex Anſelmo docente, quòd *in Deo omnia ſunt unum, ubi non obviat relationis oppoſitio*, relativa, qualis eſt inter producẽs, & productũ, vel diſparata, ut inter duo ſuppoſita, v.g. genitum, & ſpiratum; ſed ſpiratio activa neutrã oppoſitionẽ habet cũ paternitate, & filiatione; ergo ab illis non diſtinguitur realiter.



[1] *Quodl. 5. F. & Q.*

Confir. Nam de facto in Deo nulla eſt oppoſitio realis, niſi inter ea, quæ ſe habent ad invicem ut producens, & productum: ſed ſpiratio, ſeu ſpirans neutro modo ſe habet cum genitore, & genito, aut cum paternitate, & filiatione; ergo &c.

Dico, *de facto*: Nam de poſſibili poſſet non requiri talis reſpectus, ſeu oppoſitio relativa, ut dicemus de Spiritu Sanct. ſi non procederet à Filio.

Prob. 2. par. Nam ſpiratio activa ſeorſim conceptibilis eſt à paternitate, & filiatione, & hæc utraq; ſine illa diverſas habent definitiones, diverſa principia, & terminos; ergo diſtinguuntur ſaltem formaliter ex natura rei. Nam hæc ſufficiunt ad talem diſtinctionem. Prob. ant. Paternitas habet intellectum, ut principium *quo*, & Filium pro termino, & eſt generatio activa, ſpiratio verò eſt per viam voluntatis, & terminatur ad Spiritum Sanct. & non eſt vera generatio, & non opponitur relativè, niſi ſpirationi paſſivæ, non autem generationi activæ, nec paſſivæ niſi diſparatæ; ergo &c.

Prob. 2. Nam ſi à parte rei formaliter ſpiratio activa eſſet idem cum paternitate, & filiatione, idem eſſet formaliter in Deo generare, & generari, & ſpirare; ſed conſ. eſt abſurdum, & periculoſum in fide; ergo diſtinguuntur formaliter à parte rei.

Certum igitur eſt de fide, Patrem, & Filium una productione ſpirare Spiritum Sanctum, & hunc cum Filio eſſe duas Perſonas realiter diſtinctas per duas productiones paſſivas etiam realiter diſtinctas. Ideò ſolæ tres iſtæ relationes ſunt conſtitutivæ trium Perſonarum, & realiter diſtinguuntur inter ſe, paternitas, & filiatio, & ſpiratio paſſiva; non ita eſt de activa, quæ ſupponit Patrem, & Filium, in quibus eſt indiviſibiliter, conſtitutos, & cum paternitate, & filiatione eſt realiter identificata, nec ab eis diſtinguitur, niſi formaliter, ſicut & ab Eſſentia.

Objic. 1. con. 1. par. Eadem relatio non poteſt reſpicere duos terminos realiter diſtinctos; ſed illi faceret paternitas, ſi eſſet realiter idem cum ſpiratione activa, nam reſpiceret Filium, & Spiritum Sanctum; ergo ſpiratio activa, & Paternitas diſtinguuntur realiter. Prob. maj. Nam relationes

ſpe-

ſpecificantur à terminis; ergo & numerantur ab illis; ergo quæ habent diverſos realiter terminos, etiam diſtinguuntur realiter. Confir. ex Scoto, (1) qui ex diſtinctione Dei Patris, & Mariæ ſuſtinet duas filiationes reales in Chriſto.

Reſp. diſt.maj.Si non habet fundamentum reale infinitum, con. ſi habeat tale fundamentum, neg. maj. & conſ. prob. Nam Pater, & Filius ſunt in Eſſentia infinita, cui realiter identificantur omnia, quæ in eis ſunt, & in quo ſunt unum, quæcumque illi inſunt,& agunt. Non ita eſt in creatis, nec in Chriſto,in quo relatio ad Matrem fundatur proximè in ejus humanitate per illam producta.

Inſt. Generari, & ſpirare non minùs debent diſtingui, quam generari, & generare; ſed iſta diſtinguuntur realiter, licèt ſint in eodem fundamento infinito; ergo & illa, nec id impedit infinitas fundamenti.

Reſp. neg. maj. Nam generari, & generare opponuntur relativè, & ideò repugnant in eodem ſuppoſito, non autem generari, & ſpirare.

Inſt. 2. ex Scoto. Ad diſtinctionem realem ſufficit oppoſitio diſparata relationum; ideò ſpiratio paſſiva, & generatio paſſiva ſufficerent ad diſtinctionem Filii à Spiritu Sancto, &, ſi iſte non procederet ab illo, adhuc diſtinguerentur; ſed ſpirare, & generari opponuntur diſparatè; ergo realiter diſtinguuntur in Filio. Idem eſt de ſpiratione, & generatione activa.

Reſp. diſt. maj. Sufficit oppoſitio diſparata relationum conſtitutivarum ſuppoſiti, con. non conſtitutivarum, neg. maj. Et ſic diſt. min. Nam ſpirare, & generari opponuntur quidem diſparatè, ſed ambæ non ſunt primæ in ſuppoſito, nec illud conſtituunt, ſicut nec generatio, & ſpiratio activa in Patre.

Objic. 2. Spiratio activa, & paſſiva non minus ſunt reales, & diſtinctæ realiter, quàm generatio activa, & paſſiva; ergo ſpiratio activa tam diſtinguitur in Patre, & Filio à paternitate, & filiatione, quàm Paternitas, & ſpiratio paſſiva. Ant. patet ex dictis. Prob. conſ. Nam diſtinctio inter rem, & rem



[1] *d.* 8. *q.* 1.

& rem eſt realis; ergo qualis eſt inter paternitatem, & ſpirationem paſſivam, talis eſt inter paternitatem, & ſpirationem activam, quia eodem modo ſunt reales.

Reſp. neg. utranque conſ. Et diſparitas eſt, quia ſpirare, & ſpirari; & generari, & ſpirari repugnant eidem Suppoſito propter oppoſitionem relativam: non autem generare, & ſpirare, nec generari, & ſpirare, quæ cùm ſint in fundamento infinito identificante ſibi omnia compoſſibilia, etiam identificantur.

Inſt. Quæ ſunt realiter idem poſſunt de ſe invicem prædicari in abſtracto, ſaltem identicè; ſed paternitas, & ſpiratio activa non poſſunt ſic prædicari; ergo non ſunt realiter idem, ne quidem ratione fundamenti infiniti. Min. patet. Non enim dici poteſt, *Paternitas eſt ſpiratio activa*, nec, *Filiatio eſt ſpiratio activa*. Prob. maj. Nam hæc propoſitio, *Paternitas eſt ſpiratio*, in ſenſu identico ſignificaret tantum, quod illa duo idem ſunt realiter in Patre.

Reſp. diſt. maj. ex Scoto: (1) Si referantur ad tertium, quod ſit infinitum, aut ſi ambo, vel unum illorum ſit infinitum, conc. ſin minùs, neg. maj. & conſ. prob. Nam in illa propoſitione, *Paternitas eſt ſpiratio activa*, duæ illæ relationes abſtrahuntur a fundamento infinito, quod eſt Eſſentia, in qua ſunt idem, & nihil retinent præter ſuas nudas quidditates, & rationes formales, per quas diſtinguuntur. Non ita eſt de iſta propoſitione, *Sapientia eſt bonitas*: Nam licet hæ duæ formalitates, & virtutes Divinæ ſic abſtrahantur ab Eſſentia, adhuc retinent propriam infinitatem, ratione cujus inter ſe adhuc identificantur; & ideò verè ſic prædicantur.

Objic. 1. con. 2. par. Quæ diſtinguuntur formaliter ex natura rei, diſtinguuntur ut res, & res; ergo ex hac diſtinctione tam ſequitur quaternitas in Deo, quam ex alia reali. Prob. ant. ex dictis, quod ſcilicet relationes ſunt res, & quia ſpiratio activa tàm eſt realis, & tã habet propriam exiſtentiam à parte rei, quàm paternitas, vel filiatio: ergo tàm eſt res, & realis.

Reſp. ut jam ſæpe. Ut res, & res, id eſt ut for-

[1] 1. *d.* 8. *q.* 4. 44. *n.* 16.

formalitates verè, & à parte rei exiſtentes independenter ab intellectu, con. ut res in proprio, & rigoroſo ſenſu habentes propriam exiſtentiam diſtinctam, aut ſeparabilem, oppoſitam relativè, neg. maj. & conſ. Nam aliud eſt, quòd ſpiratio activa verè ſit in Deo æquè, ac paternitas, & hoc admittimus, & aliud, quòd ibi habeat propriam exiſtentiam aliquo ex illis modis; quod negamus.

## CONCLUSIO III.

R*Elationes originis non diſtinguuntur ullo modo à parte rei ab ipſis originibus*, v. g. *Paternitas non diſtinguitur ab ipſa generatione activa à parte rei, ſed ſola ratione ratiocinata*, ſeu idem prorſus eſt à parte rei, eſſe Patrem, & generare, & eſſe Filium, & generari, & eſſe Spiritum Sanctum, & ſpirari. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto, (1) qui ponit duas iſtas concluſiones. 1. *Unica, & ſola omninò eſt relatio originis inter 1. Perſonam, & 2. ita quòd nulla eſt diſtinctio, realis relationis qualitercunque in re ante meram conſiderationem intellectus*; ergo inter generationem activam, & paternitatem nulla eſt diſtinctio à parte rei. 2. eſt, quòd *illa relatio, quæ omninò unica eſt, ſit in re, poteſt ratione diſtingui, ſive diverſis rationibus conſiderari*; ergo illæmet relationes diſtinguuntur ratione cum aliquali fundamento.

Prob. 2. quia nulla eſt neceſſitas diſtinguendi in prima perſona *generationem actualem*, ſeu *generare*, imò nec *generativitatem*, ſeu *potentiam generandi* à paternitate; ergo non diſtinguuntur à parte rei. Non enim ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate. Prob. ant. A parte rei ratio *generativi*, ſeu *potentis generare*, nec generantis non eſt prior ipſa paternitate; ergo &c.

Prob. 1. ex eodem. Si generatio activa, & paternitas diſtinguerentur formaliter à parte rei, illa non poſſet prædicari de iſta, nec iſta de illa, hæ propoſitiones non eſſent veræ, *Paternitas eſt generatio activa*. Et, *generatio activa eſt paternitas*, ſicut iſtæ non ſunt veræ formaliter, nec identicè, *Paternitas eſt ſpira-*

E 4

[1] *Quod*. 4. *M*. *n*. 21. & 22.

*ſpiratio activa*, *ſpiratio activa eſt paternitas*: ſed conſ. eſt falſum; ergo illæ ſunt omninò idem.

Prob. denique ex eodem. Unius Perſonæ ad alteram, v. g. producentis ad productum, unica eſt origo, relatio, & ita eſt de producta ad producentem; ſed hoc non eſſet verum, ſi origines, v. g. generare, aut generativitas diſtinguerentur inter ſe, vel à paternitate, & ſi generabilitas, vel generari diſtinguerentur a filiatione; ergo non diſtinguuntur à parte rei. Prob. ant. Idem generans non poteſt duabus perfectis originibus reſpicere genitum, nec iſte generantem; ergo unius ad alium una eſt origo, & relatio originis. Prob. ant. Si eſſent duæ, vel præciſa una intelligeretur manere altera, vel non manere, ſi maneret alia; ergo illa alia eſſet ſuperflua, & ſic non eſſet perfecta originatio, ſi non intelligeretur manere alia; ergo neutra eſſet perfecta, ſed ambæ eſſent imperfectæ, & partiales. Dicendum ergo, quòd *generativitas*, & *generare*, & *paternitas* in 1. Perſona Divina, *generari*, *naſci*, & *naſcibilitas*, ſeu *generabilitas*, & *filiatio* in 2. & *ſpirari*, & *ſpirabilitas*, & *ſpiratio* paſſiva in 3. non diſtinguuntur, niſi per actum intellectus, quo inadæquatè, & præciſivè intelliguntur quaſi diſtincta, ſeu diſtinctis actibus, quæ ſunt in ſe idem.

Dixi, *ratione ratiocinata*, ſeu *cum aliquo fundamento*, quatenus ex limitatione noſtra, & ſecundum modum noſtrum concipiendi ex creaturis ea, quæ ſunt Dei, priùs concipimus in Deo fœcunditatem, ſeu potentiam generandi, aut ſpirandi, quàm actum ipſum generandi, aut ſpirandi, ſeu quàm generantem, aut ſpirantem, & priùs actum generandi, quàm relationem paternitatis, quæ in creatis reſultat ex generatione actuali, ſeu in facto eſſe, ſcilicet quando actu exiſtit filius, quamvis in Deo formaliter, & à parte rei idem ſint poſſe, & eſſe de facto, nec diſtinguuntur actus, & potentia, cùm ſit actus puriſſimus.

Objic. 1. con. 1. p. Relationes 2. generis fundantur in actione, & paſſione, cùm actio, & paſſio diſtinguantur ab illis relationibus; ſed paternitas, & filiatio ſunt relationes 2. generis; ergo generare, & generari ſunt fundamenta paternitatis, & filiationis; er-

go paternitas, & filiatio diſtinguuntur à parte rei à generatione activa, & paſſiva, ſeu à generare, & generari. Nam relatio eſt poſterior fundamento, & ab eo diſtinguitur. Confirm. ex Sancto Hilario. (1) *Exitio verbi à Deo eſt abſoluta nativitas, quam paterni nominis ſequitur, & conſecuta eſt confeſſio*, ſcilicet paternitas ſequitur nativitatem Filii; ergo & ſequitur actionem generativam.

Reſpondeo diſt. ant. In creatis fundantur in actione, & paſſione, con. in Divinis, neg. ant. Nam in creatis propter imperfectionem eorum in agendo, prius eſt, ſaltem natura, generare, & emittere ſemen ad generationem tanquam diſpoſitionem, & materiam, & non dicitur quis pater, niſi quando exiſtit filius: at in Deo, agente perfectiſſimo, idem eſt poſſe, & agere, & eſſe, & generare, & adeſſe genitum, licèt ex imperfectione noſtra intelligendi concipiamus illa quaſi ſucceſſiva. Et hoc ſenſu loquitur Hilarius, ſcilicet humano ſenſu.

Objic. 2. Actio non eſt pura relatio, ſed quid abſolutum; ſed generare eſt actio; ergo diſtinguitur à paternitate, quæ eſt relatio. Prob. mai. Agens non agit relatione, ſed actione; ergo actio non eſt pura relatio.

Reſpondeo ex Logica, neg. maj. Nam totum eſſe actionis eſt in agente ad aliud ſe habere, ſcilicet ad paſſum, vel effectum, & diſt. ant. prob. Agens non agit relatione, ſed actione fundamentaliter ſumpta, & in actu primo, con. actione formaliter, & in actu 2. neg. ant. Actio fundamentaliter, & in actu 1. eſt ipſa virtus agentis; in actu autem 2. & formaliter eſt pura relatio, qua agens reſpicit paſſum.

Inſt. Si productio eſſet pura relatio producentis ad productum, agere, generare, & producere nihil eſſet, niſi referri, ſed conſ. eſt abſurdum; ergo & ant.

Reſpondeo neg. mai. Nam ibi eſt fallacia figuræ dictionis, & argumentum ab abſtractis ad concreta. Generatio eſt abſtractum dicens puram habitudinem producentis ad productum: generare autem eſt con-

E 5 cre-

[1] 9. *Tr.* 15.

cretum, quod præter habitudinem illam, connotat naturam, & eſſe communicatum cum principio communicativo, ſupra quod fundatur illa relatio.

## QUÆSTIO IV.

*An relationes originis in ſe præciſè, & formaliter dicant perfectionem.*

DIco, *in ſe præciſè, & formaliter*. Nam certum eſt, quòd ſumptæ realiter, & identicè, ſeu ſimul cum Eſſentia, cum qua realiter idem ſunt, habent perfectionem infinitam, ſcilicet perfectionem totam Eſſentiæ. Sed loquimur de illis, prout ab Eſſentia diſtinguuntur, & præſcindunt, & quærimus, an ſub illo conceptu formali, & præciſo paternitatis, filiationis, & ſpirationis paſſivæ, importent aliquam perfectionem poſitivam præter perfectionem abſolutam Eſſentiæ, cui realiter ſunt idem, ita ut ſint tres perfectiones quaſi ſuperadditæ perfectioni communi, ſeu eſſentiali Deitatis.

Porrò diximus tr. ſuperiori, quòd *perfectio*, ſeu *bonitas*, alia eſt moralis, quæ conſiſtit in conformitate voluntatis ad bonum rationi conſonum, & in fuga mali oppoſiti. Et de iſta non agimus. Alia eſt *bonitas entis*, *Phyſica*, aut *Metaphyſica*, & *tranſcendentalis*, quæ conſiſtit in integritate cujuſque rei, cui nihil deeſt eorum, quæ ad ejus conſtitutionem Phyſicam, aut Metaphyſicam, integralem, aut eſſentialem ſpectant. Hoc ſenſu rem eſſe perfectam, & bonam, nihil eſt aliud, quàm nihil ei deeſſe eorum, quæ ad eſſentialem, vel integralem ejus conſtitutionem ſpectant. Illud bonum definit Ariſtot. *id, extra quod, nihil eorum, quæ ſunt ipſius, accipi poteſt*. De hac etiam perfectione hic non diſputamus. Nulli enim dubium eſt, quin relationes Divinæ habeant in ſe illam bonitatem entis in ſuo genere. 3. Alia eſt *bonitas ſimpliciter*, ſeu *dignitatis*, ſeu *magnitudinis*, aut *excellentiæ*, qua res conſtituitur ſimpliciter æſtimabilis, & pretio digna. Dicitur etiam *perfectio virtutis*, & *qualificativa*, aut *quantitativa*.

Rurſus hæc ultima eſt vel *finita*, & *ſecundum quid*, ut eſt omnis perfectio creata, vel *infinita*, ſeu *abſolu-*

*ſolutiſſima*, qualis eſt in ſolo Deo. Et de iſta hic agimus. Nam in Deo nulla poteſt eſſe alia, quàm infinita, poſitivè ſaltem. Alii diſtinguunt perfectionem in *poſitivam*, quæ includit tales perfectiones, dignitatem, & virtutes, ſeu qualitates dignificantes; & *negativam*, quæ non includit quidem qualitates illas, ſed neque etiam includit defectum ullum poſitivum; & dicitur *non imperfecta*, ſeu *non quanta*, ſeu *perfecta negativè*. Ens autem, ex Scoto, dividitur 1. in ens *quantum*, ſeu *poſitivè perfectum*, & *non quantum*, ſeu *perfectum negativè* tantùm, id eſt non dicens nec perfectionem, nec defectum poſitivum. Hinc quærimus, an illæ relationes Divinæ ſint *quantæ*, vel non quantæ.

Suppono autem 1. tres Perſonas Divinas ſimul non eſſe quid majus, quàm ſingulas ſeorſim, quia, inquit Anſelmus, (1) *Quod eſt ſingulus quiſque, hoc eſt tota Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, quoniam ſingulus quiſque non eſt aliud, quàm ſummè ſimplex unitas*. Et Sanctus Auguſtinus, (2) *Nec, quoniam Trinitas eſt, ideò triplex putandus eſt, alioqui minor erit Pater ſolus, aut Filius ſolus, quàm ſimul Pater, & Filius*. Et Concil. Tolet. (3) IV. *Trinitas nec minor eſt in ſingulis, quàm in omnibus; nec major in omnibus, quàm in ſingulis Perſonis manet*. Et Tolet. XI. (4) *Nec minoratur in ſingulis, nec augetur in omnibus*. Et Athanaſ. (5) *In hac Trinitate nihil majus, aut minus*. Et ita tenent communiter Patres, & Theologi.

Iſta æqualitas etiam reſpectiva eſt inter Perſonas, ut ne quidem nomen Patris ſignificet præſtantiam, vel eminentiam ullam, ut non benè voluit Calvinus, & inter Catholicos Clictoneus, dicens, quòd *principalior eſt exiſtendi modus Patris, qui de nullo eſt, quàm cæterorum duorum, qui ab eo ſumunt originem; principalior item modus ſubſiſtendi Filii, & ratione ordinis perfectior, quam Spiritus Sanct. ab eo procedentis*, &c. Nam, ut dicebat Sanctus Cyrillus, (7) *In ſancta Trinitate Patris, & Filii, & Spiritus*

E 6 *Sanct*.

[1] *Proſol*. 23. [2] *6. Tr. 7.*
[3] *profeſſ. fid.* [4] *Ibid.*
[5] *ſymbo.* [6] *In Damaſ. l. 1. fi l. 11.*
[7] *Ep. Dialog.*

*Sancti nomina non ſignificant prærogativam aliquam*, &c.

Suppono 2. quòd omnis perfectio poſitiva, quæ eſt in Deo, eſt perfectio *ſimpliciter ſimplex*, quæ nullum patitur defectum, & per conſequens eſt infinita. Nam bonitas eſt paſſio entis, & ſic, quia Deus eſt ens ſimpliciter, & infinitum; ita & omnis proprietas ejus abſoluta, ut diximus tr. præcedenti. Perfectio autem ſimpliciter ſimplex ea eſt, *quam melius eſt ineſſe, quàm non ineſſe*, ſeu *melior eſt ipſa, quàm non ipſa*, inquit Anſelmus, uno verbo; *quæ eſt ſine defectu*. Ideò non poteſt opponi ulli perfectioni; alioqui eſſet limitata per aliam perfectionem, quæ ipſi deeſſet, & illi opponeretur. Ideò inquit Scotus, (1) *Nulla perfectio ſimpliciter eſt formaliter incommunicabilis*, & per conſequens *nulla proprietas perſonalis eſt infinita*, (poſitivè) *quia nulla eſt incommunicabilis*. His poſitis, ſit

## CONCLUSIO I.

R*Elationes originis præcisè ab Eſſentia, & ſecundum ſe non ſunt quantæ*, ſeu *non dicunt perfectionem poſitivam*. Ita Scotiſtæ ferè omnes, & plures Thomiſtæ.

Prob. 1. ex Scoto, (2) *Eſſentialia ſunt perfectiones ſimpliciter, notionalia non*, quod probat ex Anſelmo, (3) quia *eſſentiale in quolibet melius eſt ipſum, quàm non ipſum*. Notionale non eſt hujuſmodi, quia cum quælibet *Perſona careat aliquo notionali, quod eſſet melius ipſum, quàm non ipſum, ita quælibet Perſona non eſſet perfecta ſimpliciter, quod eſſet inconveniens*; ergo relationes, quæ ſunt notiones ipſæ, non dicunt perfectionem poſitivam ſecundum ſe, & præcisè ab Eſſentia.

Prob. 2. ex Conciliis, & Patribus. Nam *in Divinis omnia ſunt unum, ubi non obviat relationis oppoſitio*, ait Anſelmus. (4) Et Concil. Tolet. XI. (5) *Hoc ſolo numerum inſinuant, quòd ad ſe ſunt, & in hoc numero carent, quòd in ſe ſunt.* Et Concil. Flor. *Non alia ratio-*

[1] *Quodl.* 5. *M. n.* 13. [2] *Quodl.* 1. *A. n.* 2.
[3] *Monol. c.* 5. [4] *Ibid.*
[5] *profeſſ. fid. ſ.* 18.

*ratione, quàm vi relationis una Perſona ab alia differt.* Sed relatio, ut relatio, formaliter non eſt perfectio poſitiva; ergo relationes Divinæ non ſunt quantæ. Maj. patet ex Conciliis, Patribus cit. & ex dictis de conſtitutivis Perſonarum. Prob. min. Perfectio formaliter afficit ſubjectum ſuum in ſe, & ad ſe; ſed forma, prout afficit ſubjectum ſuum in ſe, & ad ſe, non eſt relatio, nec relativa, nam relatio ordinat ſubjectum ſuum ad aliud; ergo eſt perfectio, prout eſt relatio formaliter. Hoc argumentum petitur ex ratione formali, & communi relationum.

Confirm. Perſonæ Divinæ non opponuntur inter ſe quoad perfectiones, v. g. quoad ſapientiam, potentiam, juſtitiam, &c. ſed conſtituuntur, & diſtinguuntur, & opponuntur per relationes; ergo relationes præcisè, & formaliter non ſunt perfectiones.

Prob. 3. Si relationes originis formaliter dicerent perfectionem, Perſonæ Divinæ non eſſent æquales, una eſſet perfectior alia, & duæ eſſent perfectiores, quàm unica; ſed conſ. eſt falſum, ut patet ex dictis; ergo & ant. Prob. maj. Nam in Patre, & Filio eſſent duæ relationes, & perfectiones, ſc. generatio activa in Patre, & paſſiva in Filio, & ſpiratio activa in utroque, & tres illæ in duobus, & in Spiritu Sanct. non eſſet niſi unica, ſcilicet ſpiratio paſſiva; ergo eſſent plures perfectiones in una, quàm in alia. Item paternitas adderet aliquam perfectionem Deitati, & filiatio alteram, & ſpiratio tertiam, quæ eſſent totidem perfectiones, ſeu bonitates.

Dices, ſufficere, quòd ſint æquales in Eſſentia, quæ continet realiter, & radicaliter relationes, ſicut & attributa.

Contra. Nam ſi in Filio, vel Spiritu Sanct. non eſſet illa ſapientia, vel potentia, quæ eſt in Patre, Filius non eſſet per omnia æqualis Patri, licèt uniretur in Eſſentia, quia deeſſent ei illæ virtutes; ergo idem eſſet de iſtis relationibus, v. g. paternitatis, & filiationis, quæ deeſſent Spiritui Sanct. ſi illæ eſſent perfectiones in ſe.

Confir. 1. Non obſtante continentia radicali, & identica paternitatis, & filiationis in Eſſentia, non poteſt dici, *Paternitas eſt filiatio*, nec, *Filiatio eſt po-*

*paternitas*, ſicut dicitur identicè, *Sapientia eſt Deitas*, *Potentia eſt Sapientia*, *Juſtitia eſt bonitas*, &c. ergo, ut Perſonæ dicantur æquales, non ſufficit identitas relationum in Eſſentia, ſi illæ dicant ſecundum ſe præcisè perfectionem poſitivam, alioqui prædicarentur de ſe invicem in abſtracto, ſicut illa attributa.

Confirm. 2. Quod habet de facto, & formaliter plures perfectiones ſibi realiter identificatas, eſt perfectius, quàm ſi haberet pauciores; ſed ſi paternitas, & filiatio, & ſpiratio eſſent perfectiones, Eſſentia haberet in eis plures perfectiones reales, quàm ſi non eas haberet, aut unam, vel alteram tantum; ergo eſſet perfectior cum tribus Perſonis, quàm ſine illis, aut cum una tantùm.

Prob. 4. Si perſonalitas Divina diceret perfectionem poſitivam, & ſimpliciter, non excluderet aliam æqualem ab eodem Suppoſito; ſed conſ. eſt falſum in Suppoſitis Divinis, nam paternitas excludit filiationem in prima Perſona; ergo paternitas, nec filiatio non ſunt perfectiones poſitivæ, & ſimpliciter. Prob. maj. tùm quia perfectio non opponitur perfectioni, & maximè perfectio ſimpliciter, ut diximus, tùm quia ſi paternitas, v. g. quæ eſſet infinita, identificaret ſibi omnem perfectionem ſimpliciter, æquè identificaret ſibi filiationem, & ſpirationem paſſivam, ac aliam quamlibet, v. g. æquè ac ſapientiam, aut juſtitiam, ergo ſi paternitas eſſet de ſe præcisè perfectio ſimpliciter, & poſitivè, non excluderet aliam æqualem ab eodem ſuppoſito, verbi gratia, filiationem à Patre.

Confir. Quia non poſſunt dari plura infinita realiter diſtincta, & in eo, in quo, vel per quod realiter diſtinguuntur realiter per relationes paternitatis, filiationis, & ſpirationis paſſivæ; ergo illæ non poſſunt eſſe infinitæ ſecundum ſe præcisè. Prob. maj. De ratione infiniti eſt, ut contineat omnem perfectionem poſſibilem, alioqui eſſet limitatum ex ea parte, qua illi deeſſet aliqua. Sic bonitas, ſapientia, juſtitia, & alia attributa, licèt ſingula ſuam habeant infinitatem in ſuo genere, tamen realiter inter ſe identificantur, & de ſe invicem prædicantur etiam in abſtracto, prædicatione identica, ut dictum eſt. Unde

de inquit Scotus, [1] *ens infinitum intenſivè eſt unicum, impluriſicabile, & non arctatum, ſed communicabile, & cuicunque componibile.*

Prob. denique. Si paternitas, v. g. eſſet perfectio poſitivè, eſſet perfectio vel Eſſentiæ, vel ipſius Patris, vel Filii; ſed nullum horum dici poteſt; ergo non eſt perfectio. Prob. min. 1. non Eſſentiæ, tùm quia communicaretur cum Eſſentia, tùm quia Eſſentia eſſet relativa, ſicut paternitas eſt relatio. 2. non ipſius Patris, nam quod eſt perfectio in aliquo, debet eſſe ad ipſum, non autem ad aliud. *Bonitatem, & magnitudinem perfectionis in Divinis non relativè, ſed ad ſe dici*, monet Auguſtinus. [2] 3. non denique Filii, quia perfectio debet prædicari de illo, cujus eſt perfectio; ſed paternitas non dicitur de Filio; ergo nullius.

Objic. 1. Ex Conciliis, Perſonæ Divinæ dicuntur perfectæ, & continere perfectionem; ſed relationes conſtituunt illas Perſonas; ergo dicunt perfectionem. Prob. maj. Nam in VI. Syn. [3] *Credimus .... Trinitatem propter Subſiſtentiarum perfectionem; Trinitas ſimplex tribus perfectis Perſonis*, &c. Et PP. Concilii Nicæni, [4] *Una eſt Divinitas ſanct. Trinitatis, quæ in tribus Subſiſtentiis perfectis, & æqualibus conſideratur.* Et paulò ante dicebant, *Verbum eſſe Perſonam perfectam ex perfecto, & Filium perfectum, ſicut Patrem.* Et in I. Syn. Conſtantinop. & in Rom. *Credimus æqualem honorem, ac dignitatem in tribus perfectiſſimis Subſtantiis, ſeu tribus perfectis Perſonis.* ergo Concilia agnoſcunt perfectionem in relationibus Divinis.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. 1. quia Patres ibi vocant Subſiſtentias, & Perſonas *perfectas* perfectione entis, & in ratione Perſonæ, ac Subſiſtentiæ, non perfectione virtutis, ſeu quantitativa. 2. quia ſi de hac perfectione illa velis intelligi, loquuntur de Perſonis concretivè ſimul cum Eſſentia, non præcisè, ſeu abſtractivè, & ſeorſim ab Eſſentia. Nam apud Græcos ſubſiſtentia, & Subſtantia confundebantur ſæpiùs, & Hypoſtaſis ſumebatur etiam pro tota Perſona, & ſuppoſito. 4. ſi attentè legatur 1. textus, verba

[1] *Quodl. cit.* [2] 2. *Tr.* 1. [3] *act.* 18.
[4] *L.* 2. *de actis Concil.*

ba ſunt Conſtantini Imperatoris, non Patrum Concilii, & ſic vim non habent definitionis. Alii verò textus loquuntur de *perfecto* adjectivè. Ideò æqualitas fundatur in Eſsentiæ, & Attributorum quantitate, ſeu perfectione. Et ſicut non dicitur, quòd ſint tres veri, nec tres luces, licèt Filius dicatur *Deus verus de Deo vero*, *& lumen de lumine*; ita neque tres perfectiones, nec tria perfecta, licèt Filius dicatur *perfectus de perfecto*.

Objic. 2. ex Patribus, qui eodem modo loquuntur. Nam Sophronius in Epiſt. quæ legitur in VI. Synodo, (1) dicit, *Subſiſtentiis, & proprietatibus intellectualibus perfectis numerari Trinitatem*. Et Baſil. (2) *Filius ex Patre perfecto perfectus reſplendens*... Et, [3] *Quando ſanctam Triada conjungimus, trium perfectorum, & incorporalium inſeparabilem conjunctionem intellige*. Et, [4] *Verbum vivens eſt perfecta Perſona, & ſimiliter Spiritus Sanctus*. Et Epiphan. (5) *Tria perfecta, una Deitas* .... *Dico perfecta, Pater, & Filius* ...... Et, *Cùm tres ſint perfectæ Hypoſtaſes, una verò Deitas*. ergo ex Patribus ſingulæ Perſonæ ſunt perfectæ ſecundum Subſiſtentias relativas, & perſonales. Prob. conſ. Si enim perfectio caderet in Eſſentiam, non dicerent eſſe *tria perfecta*, ſicut non dicunt tres Deos; ergo Trinitas perfectorum cadit in Perſonas ratione perſonalitatum.

Reſp. neg. conſ. Nam Patres in his, & ſimilibus, ut jam notavi, non loquuntur de perfectione virtutis, ac dignitatis, quam ſuſtinent eſſe unicam, & ab Eſſentia, ſed de perfectione entis, & quaſi tranſcendentali, & Phyſica, aut metaphyſica entis habentis omnia requiſita ad ſui in ſuo genere, vel ſpecie conſtitutionem. Scribunt contra Arrianos, qui negabant unitatem, & æqualitatem Eſſentiæ, & contra Sabellianos, qui negabant tres Perſonas veras, & ſubſiſtentes. Si verò aſſererent tres perfectiones diſtinctas, faverent primis, & derogarent æqualitati earum in Eſſentialibus. Tres verò Perſonas aſſerunt perfectas, ideſt veras, reales, & completas contra Sabellium. Nam quælibet eſt perfecta in eſſe perſonali, non autem perfectione dignitatis, & æſtimabi-

[1] *act.* 12. [2] *Expoſit. fid. hom.* 25. [3] *con. Sabel.* [4] *con. excom.* (5) *Hær.* 69.

bilitatis, aut magnitudinis, niſi per Eſſentiam, in qua habent talem perfectionem infinitam; quo ſenſu habent unicam bonitatem, unam virtutem, voluntatem, &c.

Inſt. Imò Patres docent peculiarem perfectionem, & dignitatem unius Perſonæ præ alia; ergo à fortiori agnoſcunt perfectiones abſolutas, & æquales. Prob. ant. Nam Dionyſius Papa (1) Patrem appellat *verticem, & principem, in quem conſummatur Trinitas*. Et Hilar. (2) *paternitatem auctoritatem, & innaſcibilitatem auctoritatem*. Et Auguſtinus: (3) *In eo, qui mittitur, mittentis auctoritas commendatur*. Ideò Pater *differt* (à Filio miſſo) *in cauſalitatis gradu, quia omnis potentia à Patre in Filio eſt, & in Subſtantia non eſt minor Filius; auctoritate tamen major eſt Pater, ipſo Domino atteſtante, Pater major me eſt*. Majoritas, catena auctoritatis in Perſona Divina ſuper aliam, eſt ſine dubio infinita dignitas. Et Nazianzenus: (4) *Deo quidnam majus, aut præſtabilius erit quàm Filii Patrem eſſe? quod quidem gloriæ acceſſio eſt, non deceſſio, ſicut & Spiritus productorem eſſe*; ergo Paternitatis, & ſpirationis activæ relationes dicunt perfectionem dignitatis, ex Patribus.

Reſp. diſt. ant. præcellentiam puræ originis, quatenus Pater eſt origo Filii, & Spiritus Sanct. ſine alia ulla præcellentia majoritatis, aut ſuperioritatis, quæ arguat inæqualitatem ullam, conc. ant. præcellentiam majoritatis, neg. ant. & conſ. prob. Nec enim ibi, & in ſimilibus locis prætendunt Patres aliam præcellentiam, quam puræ originis, quæ nullam infert inferioritatem in originatis, aut ſuperioritatem veram in producentibus; alioqui ſibi contradicerent Patres. Nam inquit Athanaſ. *In hac* Trinitate *nihil majus, aut minus*, &c.

Conſtat hoc ex Epiſt. Synodica Concilii Sardicenſis apud Theodoretum: (5) *Nemo negat, Patrem Filio majorem eſſe non ob aliam Hypoſtaſin, nec ob aliam differentiam, ſed quia nomen Patris ipſum majus eſt nomine Filii*. Vides, totam majoritatem eſſe in

[1] *S. Athan. Ep. de Nic. Syn.*
[2] *T. 4. & 9.* [3] *Tr. 59. in Jo.*
[4] *qq. vet. teſt. q. 12 L. Orat. 13.*
[5] *L. 2. c. 8.*

in nomine, quod originem notat Filii à Patre. Ideò dicit Cyrillus, (1) *Patris vocabulum non eſſe dignitatis, aut excellentiæ nomen*, quia, ut dixerat paulò antè, *communia ambobus ſunt ornamenta gloriæ, & excellentiæ*. Et alibi, (2) *In ſancta Trinitate, Patris, & Filii nomina, nec non Spiritus Sanct. nullam prærogativam ſignificant, ſed potiùs, quòd ſit unuſquiſque, demonſtrant*; ergo SS. PP. nullam prætendunt in perſonalitatibus, præcisè ab eſſentia, dignitatem, quæ inæqualitatem inter Perſonas arguat.

Objic. 3. ex Script. Ipſe Filius agnoſcit majoritatem in Patre; ergo paternitas eſt dignitas, & perfectio. Prob. ant. (3) *Pater major me eſt*, ſcilicet ob paternitatem. Nam ait Alex. Epiſc. apud Theodoretum, *Filium Patri ſimilem eſſe didicimus, ſolo ingenito inferiorem illo*, ſcilicet Pater per innaſcibilitatem eſt ſuperior Filio. *Ideò ingenito Patri propriam dignitatem ſervare oportet, aſſerentes neminem ipſi cauſam exiſtere, ut ſit, &c.... cùm & ipſe Salvator dixerit, Pater major me eſt*. Idem docet Baſil. *Filius ordine quidem ſecundus eſt à Patre, quoniam eſt ab illo, & dignitate, quoniam principium, & cauſa, ut ſit ipſe, Pater eſt*. Et Nazianz. *Major ratio ad cauſam pertinet, æqualis verò ad naturam*, ſcilicet major eſt Pater ratione paternitatis, qua Filium generat, & æqualis Filius eſt quoad naturam. Et Chryſoſt. *Si quis dixerit, majorem eſſe Patrem, quà cauſa eſt Filii, nec in eo contradicemus*; ergo paternitas eſt aliqua perfectio, & dignitas in Patre.

Reſp. neg. ant. de propria majoritate, & præcellentia. Intelligendi enim ſunt illi Patres de majoritate ordinis, & originis, & juxta modum noſtrum concipiendi, quo ſolemus genitores præferre genitis, & quòd nobilius eſt magis dare, quàm accipere. Multi etiam loquuntur de Chriſto Filio, qui ſecundum humanitatem *minor eſt Patre*, aliunde verò æqualis. *Non enim rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo*. Et ut ſequitur Athan. (4) *Æqualis Patri ſecundum Divinitatem, minor Patre ſecundum humanitatem*. Et Aug. (5) *Pater eſt æqualis, & major, æqualis Verbo, major carne*, &c. Nec immorandum eſt in voce cauſæ. Nam apud Græcos ſumitur largè pro quovis prin-

[1] 1. *Tr.* 2. [2] *Epiſt. Dial.* [3] *Jo.* 4. [4] *Symb.* [5] *tr.* 18. *Jo.*

principio, à quo eſt aliquid quomodocunque.

Objic. 4. In Perſonis Divinis multiplicatur bonitas, ergo & perfectio. Nam *unumquodque eſt bonum, quatenus eſt perfectum*, ait S. Thomas. (1) Prob. antec. Multiplicatur in Perſonis realitas, unitas, & entitas; ergo & bonitas, quæ eſt proprietas inſeparabilis ab ente. Prob. ant. Nam ſunt ibi tres Hypoſtaſes, entitates reales, & tres exiſtentiæ relativæ; ergo &c.

Reſp. diſt. antec. 1. 2. & 3. Bonitas tranſcendentalis phyſica, aut metaphyſica, quæ conſiſtit in integritate rei, conc. bonitas gradualis dignitatis, virtutis, æſtimabilitatis, neg. antec. & conſeq. Nam illæ priores bonitates ſequuntur ens, & qua ratione relationes, & ſubſiſtentiæ, illæ ſunt entitates, & qua proportione participant de ente, ita & de bonitate illa entis.

Inſt. 1. Ratio ſubſiſtendi eſt ratio perfectiſſima eſſendi: ſed relationes iſtæ ſunt ſubſiſtentiæ: ergo dicunt perfectiſſimam rationem eſſendi.

Reſp. diſt. maj. Ratio ſubſiſtendi abſolutè, ſimpliciter, conc. ratio ſubſiſtendi incommunicabiliter, & ad alium, ſeu relativè, neg. maj. Iſtæ autem ſubſiſtentiæ, & relationes ſunt ad alium, & relativæ. Ratio verò ſubſiſtendi abſolutè eſt in ſubſiſtentia, ſeu Deitate, & eſt ſumma perfectio, non iſtæ.

Inſt. 2. Relationes iſtæ important adæquationem cum ſuo principio; ergo & omnē ejus perfectionem, quæ eſt infinita. Ant. patet: Nam Filius adæquat, & exhaurit totam fœcunditatem generativam Patris, quæ eſt infinita. Ita eſt de Spiritu Sancto. conſ. evidens eſt.

Reſp. diſt. utrumque ant. Adæquationem proportionalem, & concretivè cum ſuo principio, conc. entitativam, & abſtractivè, ſeu ſeorſim, neg. ant. Paternitas manat ſeipſa ab Eſſentia, filiatio verò per Patrem, & concretivè cum Eſſentia illam adæquant. Singulæ Perſonæ ſunt Deus, & quidem unus ſumma unitate: ſed abſtractivè, & præciſè ab Eſſentia ſunt emanationes ejus. Paternitas eſt paternitas, ſicut petreitas eſt petreitas, & filiatio eſt filiatio, ſed identicè eſt Deus.



[1] 1. p. q. 3. a. 3.

Objic. 5. Relationes Divinæ de ſe præcisè ſunt bonæ, incomprehenſibiles, adorandæ, ſed quod eſt incomprehenſibile, bonum, & adorandum, eſt infinitè perfectum; ergo & illæ relationes. Prob. maj. 1. quia melius eſt eſſe patrem, quàm quodlibet oppoſitum. 2. *Generationem ejus quis enarrabit?* Eſt enim incomprehenſibilis, & ineffabilis.

Reſp. diſt. maj. Concretivè cum Eſſentia, cui identificantur, conc. abſtractivè, & formaliter, & de ſe, neg. maj. & antec. prob. 1. jam oſtenſum eſt, quòd Eſſentiæ nihil accreſcit bonitatis gradualis per paternitatem, & filiationem. 2. incomprehenſibilitas harum relationum poſitiva eſt ab Eſſentia, in illis verò præcisè eſt purè negativa. 3. Idem eſt de adorabilitate, quæ terminatur ad Divinitatem.

Inſt. Perſonalitas Verbi, prout ſuſtentat humanitatem Chriſti, elevat eam ad ſummam dignitatem, & reddit adorandam; ergo & ipſa eſt adoranda, & ſummæ dignitatis. Nam propter quod unumquodque tale, & illud magis. Ant. patet ex doctrina, & praxi Eccleſiæ.

Reſp. Elevat, ut Perſona Divina concretivè, conc. precisè, & abſtractivè ratione ſolius filiationis, neg. ãt. Nam id facit, ut Filius Dei, ſeu ut filiatio Divina, & ut talis reddit humanitatem adorandam.

Objic. denique. Relationes illæ ſecundum ſe, & præcisè ab Eſſentia non ſunt finitæ, nec imperfectæ; ergo ſunt perfectæ. Nam inter finitum, & infinitum, perfectum, & imperfectum non eſt medium.

Reſp. diſt. conſ. Sunt infinitæ, & perfectæ negativè, conc. poſitivè, neg. conſ. & rationem ejus. Nam loquendo de infinitate poſitiva, & perfectione virtutis, datur medium, nempe infinitas, & perfectio negativa, quæ abſtrahit à limitatione poſitiva, & imperfectione, ſicut & ab infinitate, & perfectione item poſitiva. Unde dicitur, quòd relatio Divina non eſt nec finita, nec infinita, ſed non finita. Sicut inter ens *quantum*, finitum, & infinitum datur ens *non quantum*, ex Scoto. (1)

QUÆ-

(1) 1. *d.* 8. *q.* 3. *G. n.* 8.

## QUÆSTIO V.

### *An ſingulæ relationes originis habeant proprias exiſtentias relativas præter exiſtentiam abſolutam Eſſentiæ.*

DIximus, Eſſentiam Dei ſubſiſtere per propriam ſubſiſtentiam abſolutam, & exiſtentiam eſſe de formali conceptu Deitatis, & tres Perſonas, ac relationes originis diſtingui formaliter ex natura rei ab eſſentia, & eſſe res, prout nomen rei ſignificat entitatem realem, id eſt exiſtentem nullo cogitante. Quærimus hic, an eædem relationes formaliter, & de ſe exiſtant per ſibi proprias exiſtentias, quæ dicantur relativæ, & perſonales, An verò unicè, & formaliter per exiſtentiam abſolutam, & communem Deitatis. Dico *formaliter*: Nam certum eſt, quòd realiter, & identicè exiſtunt in Deitate, & per exiſtentiam Patris,

## CONCLUSIO.

P*Ræter exiſtentiam abſolutam Deitatis dantur aliæ tres relativæ ab ea formaliter diſtinctæ, & realiter ab invicem*. Hic non conveniunt Scotiſtæ inſignes, ut Faber, & Vulpes, quoad relativas. Videntur etiam aliqui negaſſe abſolutam.

Prob. 1. ex Scoto diſtinguente in Deo *duplex eſſe*, [1] 1. *eſſe ſimpliciter*, & 2. *eſſe incommunicabile*. *Simpliciter eſſe unicum eſt, ſicut ſæpe dictum eſt per Auguſtinum, ut eſſe Eſſentiæ, eſſe autem incommunicabile, ſive hypoſtaticum eſt ibi aliud, & aliud, ſicut alia, & alia Perſona*, ergo eſſe hypoſtaticum, ſeu relativum diſtinguitur ab eſſe abſoluto Eſſentiæ; ergo ſicut ſunt in Deo tres Perſonæ, & tres relationes earum conſtitutivæ, ita & tres exiſtentiæ relativę præter abſolutam exiſtentiam Deitatis. Et alibi dicit, (2) quòd qua ratione diſtinguuntur quidditates, ita & *eſſe*, ſeu exiſtentiæ. *Quocumque modo manet relatio ſecundum quidditatem, manet ſecundum eſſe, quod eſt eſſe ad aliud*, ergo ſicut dantur tres entitates, & ſub-

[1] *Quodl*. 4. *Y*. *n*. 30. [2] 1. *D*. 11. *q*. 2. *E*. *n*. 10.

ſubſiſtentiæ relativæ,ſeu perſonæ cum ſuis quidditatibus ab Eſſentia formaliter diſtinctæ,ita & tres exiſtentiæ relativæ pariter diſtinctæ ab exiſtentia abſoluta.

Prob. 2. quoad 1. p. ex Scrip.& Patribus. Illa enim tribuit Deo eſſe abſolutum, & ab eo Deus ſumit ſibi nomen, (1) *Ego ſum, qui ſum ... Qui eſt, miſit me ad vos*. Et, (2) *Ipſe ſolus eſt*, ſc. perfectè, abſolutè, & à ſe. Nam, inquit Dionyſ. (3) *Eſt ipſum per ſe eſſe*. Et Nazianz. (4) *Nos naturam ejuſmodi inquirimus, quæ ipſum eſſe per ſe habeat*. Et Damaſc. (5) *Videtur principalius omnium, quæ de Deo dicuntur, nominum, Qui eſt, & eſt totum eſſe, ſeu exiſtere*. Et Hilarius, [6] *Non aliud proprium Deo magis, quàm eſſe intelligitur*, &c.

Prob. 3. Eſſe, ſeu exiſtentia eſt fundamentum aliorum, quæ de Deo dicuntur; ergo eſt quid abſolutum, & eſſentiale,& prius ulla origine, vel relatione. Prob. ant. Hoc ipſo, quod Deus eſt ens a ſe exiſtens, excludit omnem imperfectionem, & includit omnem perfectionem poſſibilem; ergo omnia attributa, & perfectiones Dei tam abſolutæ, quàm relativæ fundantur in illo eſſe à ſe, & abſoluto.

Confirm.Nam æternitas eſt perfectio abſoluta Dei, & præſupponitur generationi,& ſpirationi,& denique myſterio Trinitatis; ergo & exiſtentia. Ant. patet. Nam æternitas, & exiſtentia demonſtratur de Deo lumine naturali; non autem Trinitas. Prob. conſeq. Nam æternitas nihil eſt aliud,quàm exiſtētia Deitatis tota ſimul, ſine fine, & principio; ergo illa exiſtentia præſupponitur generationi, & ſpirationi.

Prob.4.ex dictis de exiſtentia in Deo,quòd ſc. ſit de formali conceptu Eſſentię, quod non dicitur de perſonalitatibus, quas ab ea dicimus diſtingui formaliter ex natura rei; ergo Deitas non exiſtit exiſtentiis relativis, ſed unica abſoluta.

Prob.2.p.de exiſtentiis relativis,ex Patribus,qui videntur tribuere ſingulis Perſonis ſuam exiſtentiam propriam: Ut Cyrillus de Patre,& Filio dicit (7) *Cùm uterque ſit, ac ſubſiſtat, propriam dicitur habere exiſtentiam*; de nominibus, quibus Chriſtus Dominus appellat tres Perſonas, *Sunt nomina diſtinctiſſimè* con-

[1] *Exo.*3. [2] *Job* 13. [3] *de Div.nom.*3. [4] *Orat.*36. [5] 1. *de fid.* [6] 12. *L.* 3. [7] 1. *Dial. Trin.* 2.

*conſtituentia uniuſcujuſque ſignificati propriam exiſtentiam*, & L. ſequenti: (1) *Manifeſtam, & inconfuſam trium ſubſtantiarum in propriis exiſtentiis proprietatem ſervans*. Sed hæc non poſſunt explicari de exiſtentia communi eſſentiæ; ergo præter illam dantur aliæ tres relativæ, ſeu perſonales, & propriæ.

Prob. 2. ex dictis mox, & aliàs de diſtinctione relationum iſtarum ab Eſſentia. Nam ſicut ab ea diſtinguuntur ex natura rei formaliter, ita & ab ejus exiſtentia, quæ eſt de ejus quidditate.

Confirm. Nam Eſſentia Dei verè, & à parte rei exiſtit communicabiliter, & Perſonæ exiſtunt incommunicabiliter; ergo verè, & à parte rei exiſtũt diverſis exiſtentiis. Nam exiſtentia Eſſentiæ illis communicatur indiviſim, illæ verò non communicantur inter ſe; ergo iſtæ diſtinguuntur ab illa.

Prob. 3. Nam ex terminis, & modo communi loquendi Patrum & Theologorum, exiſtentiæ perſonales exprimuntur pluraliter, non autem exiſtentia eſſentialis: ergo non ſunt formaliter eadem. Prob. ant. Non dicitur, *Tres eſt Perſona*, ſed, *tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo*, nec, *Tres unum eſt, ſed tres unum ſunt*. E contrà, cùm loquitur de Deitate, non dicit, *Qui ſunt*, aut, *qui ſumus*, ſed, *Qui eſt, Ego ſum qui ſum*; ergo exiſtentiæ relativæ diſtinguuntur ab eſſentiali.

Prob. 4. ſpecialiter contra Thomiſtas, qui docent, humanitatem Chriſti exiſtere per exiſtentiam Verbi: ſed exiſtentia hæc Verbi non poteſt dici abſoluta, & communis, alioqui tam dici poſſet exiſtere per exiſtentiam Patris, aut Spiritus Sancti, & a fortiori per exiſtentiam Deitatis, cum illa ſit communis, & eſſentialis; ergo datur in Verbo exiſtentia relativa, & propria, ſicut & ſubſiſtentiæ.

Prob. 5. Omnis actio productiva terminatur ad exiſtentiam aliquam producti; ergo per generationem, & ſpirationem activam datur aliqua exiſtentia Perſonis Filii, & Spiritus Sancti non eſſentialis, & abſoluta, quia hæc non producitur; ergo relativa, quæ terminat generationem, & alia, quæ terminat ſpirationem.

Quòd autem illæ exiſtentiæ relativæ, & perſonales di-

[1] *princ. 3. col. 5.* [2] *1. Jo. 5.*

diſtinguantur realiter à ſe invicem, patet. Nam ipſæ Perſonæ, & relationes diſtinguuntur; ergo & ipſæ earum exiſtentiæ.

Objic. contra 1. p. Non eſt compoſitio in Deo; ergo vel non ſunt ibi tres exiſtentiæ relativæ, vel non eſt una abſoluta. Nam facerent inter ſe compoſitionem ex abſoluta, & relativis, vel aggregationem ex pluribus.

Reſp. neg. conſeq. & rationem ejus. Nam ſicut Perſonæ ipſæ, & relationes cum Eſſentia, nec inter ſe non faciunt compoſitionem, ita nec illarum exiſtentiæ. Quippe tres relationes realiter identificantur cum abſoluta, & illæ inter ſe diſtinguuntur, ut producens, & productæ, non autem uniuntur, ut actus, & potentia.

Objicies contra 2. partem. Eſſe, ſeu exiſtere in Deo eſt abſolutum, & ad ſe, ex Auguſtino, *Aliud eſt Deo eſſe, aliud Patrem eſſe. Quod enim eſt, à ſe dicitur: Pater autem ad Filium dicitur.* In Deo eſt unicum eſſe abſolutum; ergo nulla eſt exiſtentia relativa. 2. ex Hieronymo, (1) *Quiſquis tria eſſe, tres uſias, & tres naturas conatur aſſerere;* ergo exiſtentia, ſeu eſſe dicitur de ſola natura, non de perſonalitatibus. 3. ex Damaſceno (2) dicente, Perſonas non differre penes exiſtentiam, *ſed penes perſonalem perfectionem, hoc eſt exiſtendi modum;* ergo eſt ibi unica exiſtentia.

Reſp. neg. conſeq. Nam Patres illi non loquuntur de eſſe relativo, ſed de abſoluto, & quoties loquuntur de *eſſe*, vel *exiſtere* in Deo ſine addito, intelliguntur de exiſtentia abſoluta, quæ verè unica eſt. Et cùm volumus aſſerere plures, ſemper addenda eſt particula reſtrictiva; dicimus exiſtentias *relativas*, & *perſonales*. Et has vocat Damaſcenus *modos eſſendi* potiùs, quàm exiſtentias; quia in comparatione exiſtentiæ abſolutæ, ſunt modi exiſtendi, ſcilicet relativè, non verò *eſſe* abſolutum. Dicit enim alibi, quòd (3) *Hypoſtaſeos nomen duo ſignificat; ſimpliciter enim dictum ſimpliciter ſignificat ſubſtantiam, ſecundum ſe ipſam autem Hypoſtaſis individuam ſignificat, & determinatam Perſonam*, ſcilicet cum ad-

[1] *Ep. 57. ad Dam.* [2] *de fide 21.*
[3] *Dialect. c. 10.*

addito, & reſtrictione loquendum eſt de iſtis exiſte n-tiis, ut nos loquimur.

Objic. 2. Non ſunt in Deo tres durationes; ergo nec tres exiſtentiæ. Nam duratio non diſtinguitur ab exiſtentia. Prob. ant. In ſymbolo Athan. *Non tres æterni, ſed unus æternus*; ergo non tres æternitates.

Reſp. neg. conſ. & diſt. rationem, ab exiſtentia abſoluta, con. a relativis, neg. Duratio dicitur de tota re, non de formalitatibus ejus, ſaltem abſolutè. Ideò duratio Dei dicitur de exiſtentia abſoluta Deitatis. Quo ſenſu loquitur Athanaſ. & alii Patres.

Objic. 3. In creatis perſonalitates non exiſtunt per eſſe ntias diſtinctas à naturis; ergo multò minùs in De o, ubi perſonalitates non diſtinguuntur realiter ab Eſſentia, ut in creatis.

Reſp. neg. conſ. Et diſparitas eſt, quia perſonalitas creata eſt pura negatio communicabilitatis actualis, & aptitudinalis, in Deo autem eſt quid poſitivum habens veram exiſtentiam ſibi proportionatam.

Objic. 4. Non ſunt in Deo plures eſſentiæ; ergo neque plures exiſtentiæ. Prob. conſ. Nam per nos exiſtentia eſt eſſentialis Deo.

Reſp. diſt. ant. Plures eſſentiæ abſolutæ, & ſimpliciter, ac realiter, con. eſſentiæ relativæ, & formaliter, neg. ant. & conſ. Nam ſingulæ relationes, & perſonalitates habent ſuam quidditatem formaliter diſtinctam ab eſſentia reali, ſeu communi, & abſoluta. Ita eſt de exiſtentiis.

Objicies 5. Una exiſtentia communis, & abſoluta ſufficit; ergo illæ ſuperfluunt. Prob. antec. Abſoluta eſt infinita, & Perſonæ per illam exiſtunt; ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. Quia non ponuntur tres relativæ propter inſufficientiā abſolutæ, & eſſentialis, ſed propter fecunditatem ejus, quæ ſicut emanat plures perſonalitates, ita & plures exiſtentias perſonales, & relativas.

Inſt. Quæ realiter identificantur, exiſtunt una exiſtentia, ſed Perſonæ realiter identificantur Eſſentiæ; ergo exiſtunt eadem exiſtentia.

Reſp. diſt. maj. Ea ratione, qua identificantur, con. ea ratione, qua diſtinguuntur, neg. maj. Et diſt.

conſ. Exiſtunt una exiſtentia abſoluta, & realiter, con. una formaliter, & relativa, neg. conſ. Sicut relationes ſunt una ſubſtantia realiter, & abſolutè, ita & exiſtunt una exiſtentia abſolutè, & realiter, & ſicut formaliter ſunt plures entitates, ita & per plures formaliter exiſtentias exiſtunt.

# DISPUTATIO III.

## *De notionibus Divinis.*

QUia in tota hac materia ſæpiùs occurrit mentio notionum, prædicatorum, & actuum notionalium, & deinceps occurret; ideò, poſtquàm diximus de Perſonis, proceſſionibus, & relationibus Peſonarum conſtitutivis, & diſtinctivis, aliquid dicendum de notionibus, id. de nominibus, & iis, per quæ à nobis ſingulæ Perſonæ ab invicem ſecernuntur.

## QUÆSTIO I.

### *An, & quid ſit notio in Divinis.*

NOtio, ut vox ſonat, dicitur id, *quod eſt propria ratio cognoſcendi Perſonam Divinam*, inquit Sanct. Thom. [1] ſive, ut ait Baſil. [2] eſt *cognoſcibile ſignum, quo unam Perſonam ab alia diſtinctam eſſe cognoſcimus*. Eſt igitur *notio* proprietas, qua una Perſona diſcernitur ab alia, & pertinet ad originem ejus, ut *paternitas* in prima Perſona. Alia eſt *formalis*, nempe formalitas, ſeu entitas, quam per talem actum attingimus, & per quam à parte rei una Perſona eſt diſtincta ab alia, ut *paternitas* in eodem Patre. Agimus præcipuè de *objectiva*. Et quærimus, an tales ſint in Deo, quæ, & quales ſint.

Porrò tres communiter ſunt conditiones notionis. 1. ut ſit propria uni, vel duabus Perſonis tantùm. Nam ſi conveniret totis tribus, eſſet attributum commune, ut perſonalitas. 2. ut ſit ultimus, & quaſi ſpecificus conceptus Perſonæ. Ideò hæ voces, *Perſo-*

[1] 1.p.q.3. [2] *Epiſt.*43.

ſona, producere, & produci, non ſunt veræ notiones. 3. ut exprimantur in abſtracto. Ideò hæ voces non ſunt notiones Perſonarum, ſed ipſæ Perſonæ, *Pater*, *Filius*, *& Spiritus Sanct.* Notio enim propriè eſt forma, qua Perſona una diſcernitur ab alia. Addunt aliqui, ut exprimantur ſic, ut ſignificent origines, non ut in fieri, ut *generare*, vel *generari*, ſed ut in facto eſſe, ut *filiatio*, *paternitas*, &c.

## CONCLUSIO I.

D*Antur in Deo aliquæ notiones Perſonarum*. Eſt communiſſima contra Præpoſitivum.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Ex quo notio ex ratione ſua ſignificat per modum innoteſcendi aliud.... Et accipitur uno modo pro actuali notitia objecti intelligibilis, & de iſta non erit quæſtio. Alio modo, pro ratione innoteſcendi aliud, quod propriè ſignificat illud, quo aliqua Perſona eſt cognoſcibilis ex parte ſua; Et ſic Perſona eſt cognoſcibilis dupliciter: 1. quoad ea quæ conveniunt Perſonæ ex parte Eſſentiæ, ſic omnes perfectiones ſimpliciter poſſunt dici notiones ... 2. quoad ea, quæ illi conveniunt ex parte proprietatis perſonalis*. Et hæ propriè notiones, de quibus agitur, & quas explicat Doctor.

Prob. 2. ex Patribus. Nam inquit Baſil. [2] *Cùm una ſit Deitas, impoſſibile eſt propriam notionem Patris, vel Filii capere, niſi proprietatum acceptione cogitatio noſtra confirmata ſit*. Et alibi, [3] *In hoc adhibentur notiones, non ut naturæ Deitatem inducant, ſed ut impermixtam Patris, & Filii notionem approbent*. Et Nyſſen. *Neceſſarium eſt, ut per proprias quaſdam notiones inconfuſa habeatur in Triade comparatio*, &c.

Prob. 2. Tum quia tales notiones conducunt ad explicandum hoc myſterium, ut patet, tùm quia ſicut dantur notiones formales, quibus concipimus Perſonas illas, ſecundum quod inter ſe conveniunt, & ſecundum quod differunt, & diſtinguuntur, & ſic conceptus veri ſunt; dantur etiam notiones objectivæ, quæ formalibus correſpondent, & quibus iſtæ conveniunt; alioqui iſtæ, ſcilicet formales, non eſſent veræ, nec conformes objectis.

Objic. 1. Notio non eſt Perſona, ſed entitas, ſeu for-

F 2

[1] *Repor. 1. d. 28. q. 4. n. 1* [2] *2. con. Eunõ.*
[3] *de Sp. ſanct. l. 5.*

forma abſtracta Perſonæ, qua hæc dignoſcitur; ſed nulla talis forma eſt poſſibilis, vel neceſſaria in Deo; ergo non ſunt notiones in Deo. Prob. min. Talis forma argueret compoſitionem, & læderet ſummam Dei ſimplicitatem; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. Forma in ſenſu formali, ſeu in modo ſignificandi, con. maj. & neg. min. in ſenſu reali, neg. maj. & conſ. & ant. prob. Nam in ſenſu formali nullo modo repugnant tales conceptus objectivi, nec entitates, quæ ſicut ſunt conſtitutivæ Perſonarum, ita & diſtinctivæ, & ſeorſim conceptibiles conceptibus, qui eis conveniant, nec minuunt Dei ſummam ſimplicitatem, ut ſæpe dictum eſt.

Inſt. Ubi eſt conſtituens, & conſtitutum, ibi eſt vera compoſitio; ſed in Perſonis eſſet conſtituens, & conſtitutum; ergo &c. Prob. maj. Nam conſtitutum ſe habet velut potentia reſpectu formæ conſtituentis, quæ ſe habet ut actus; ergo ibi eſt compoſitio.

Reſp. diſt. maj. Ubi eſt conſtituens, & conſtitutum per modum veri actus, & veræ potentiæ, con. in pura ratione ſubſiſtentis, quaſi forma, & cum ſumma identitate reali, neg. maj. & conſ. ſimiliter diſtincta min. Nam notio objectiva, v. g. paternitas, non ſe habet in conſtitutione Patris, ut vera forma, ſed quaſi formalitas ſubſiſtens in Natura divina.

## QUÆSTIO II.

*Quot, & quæ ſint notiones in Deo.*

PRæter conditiones ſupradictas ad notionem, requirunt aliqui, 1. ut ſit per ſe primò diſtinctiva unius Perſonæ ab alia, ut paternitas. 2. ut per illam per ſe primò dignoſcatur illa diſtinctio, quod additur propter ſpirationem activam in Patre, & Filio, per quam illæ Perſonæ diſcernuntur quidem à tertia, ſed non per ſe primò. Quærimus autem hic, quotnam ſint veræ notiones in Trinitate, & quænam illæ ſint.

CON-

## CONCLUSIO.

IN *Deo ſunt tantùm tres notiones propriæ, & rigoroſæ, paternitas, filiatio, & ſpiratio paſſiva; ex minùs propriis addi poſſunt ſpiratio activa, & innaſcibilitas, quæ eſt notio negativa, imò & fortè inſpirabilitas*. Eſt communis maximè quoad 1. & 2. p.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *A principio fuerunt notæ tantùm tres proprietates notionales*, ſcilicet *paternitas, filiatio, & ſpiratio, & hoc ex verbo Salvatoris in Evangelio, & Joanne in Canonica ſua, tamen poſteà innotuerunt aliæ notiones, & proprietates, quæ priùs erant in ſe, licèt non priùs notæ*. Et quoad inſpirationem, ſeu inſpirabilitatem, *erunt ſex notiones, niſi alia ratio aſſignetur, quarè inſpiratio non ſit notio*. Et in Reportatis [2] idem docet de 5. primis, de ſexta autem dicit, quòd *tenendo ſecundum communem opinionem, quòd tantum ſunt quinque notiones, poteſt dici, quòd inſpirabilitas non eſt notio*; ergo Scotus admittit tres proprias notiones, ſcilicet tres conſtitutivas, ut ſunt paternitas, filiatio, & ſpiratio paſſiva, & duas quaſi adventitias, ut ſunt innaſcibilitas, & ſpiratio activa, quia adveniunt Perſonis jam conſtitutis, & ſextam non reſpuit, ſaltem ex propria mente.

Prob. 2. quoad 1. p. ex Scriptura, quæ non diſcernit tres Perſonas, niſi per tria illa nomina, ſcilicet *Patris, Filii, & Spiritus Sancti*: ut dicebamus ex Scoto; ergo paternitas, filiatio, & ſpiratio paſſiva ſunt tres propriæ notiones illarum Perſonarum. Et idem eſt de Sanctis Patribus, & Conciliis.

Prob. 3. Quia tres illæ ſolæ proprietates habent conditiones veræ, & propriæ notionis, ut diſcurrenti per ſingulas facilè patebit. Nam ut conſtituunt primò Perſonas, ita diſtinguunt eas per intrinſeca, & diſtingui faciunt; ergo in rigore non ſunt, niſi illæ tres notiones. Ant. patet ex dictis de conſtitutivis Perſonarum. Spiratio enim activa non primò conſtituit, ſed quaſi advenit Patri, & Filio jam conſtitutis. Innaſcibilitas etiam ſupponit Patrem jam notum; ergo iſtæ duæ non habent conditiones veræ notionis. Prob. 2. p. quia innaſcibilitas, ſeu improducibilitas

 con-

[1] 1.*d*.28.*q*.2. *G*.*n*.9. [2] *q*.4.*n*.2.*fin*.

convenit ſoli primæ Perſonæ, ſed non primò illam conſtituit, ut mox dicebamus, idem & de ſpiratione, ſeu ſpirativitate, quæ convenit Patri, & Filio jam conſtitutis, & diſtinctis per paternitatem, & filiationem; ergo &c.

Prob. 3. par. eodem modo, quia ſicut ſpirativitas eſt notio Spiritus Sanct. ita inſpirabilitas eſt etiam ſecundaria notio Filii, quatenus non producitur per ſpirationem, & tam benè illum noſco per illam inſpirabilitatem, quàm Patrem per improducibilitatem; ergo tam poteſt dici notio Filii.

Objic. 1. Eſſentia eſt prima ratio intellectui Divino cognoſcendi Perſonas, eſt enim objectum ejus primarium, & motivum; ergo ſaltem pro intellectu Divino Eſſentia erit alia notio intrinſeca, & propria; ergo ſunt ſaltem quatuor notiones propriæ.

Reſp. diſt. ant. Prima ratio communis, con. propria, neg. ant. & conſ. Nam præcipua conditio notionis eſt, ut ſit propria uni, vel duabus Perſonis; Eſſentia verò eſt eadem in tribus. Idem eſt de aliis attributis, v. g. de potentia, quæ dicitur quidem de Patre, ſed per appropriationem, ſicut ſapientia de Filio, & amor de Spiritu Sancto, re vera autem ſunt perfectiones communes tribus.

Objic. 2. Tam ſpiratio activa eſt propria primæ, & 2. Perſonæ, quàm paternitas, & filiatio; ergo tam eſt primaria notio.

Reſp. neg. conſ. Nam præter illam conditionem requiritur, ut primò conſtituat, & diſtinguat, quod non facit ſpiratio activa, quæ ſupponit Patrem, & Filium jam conſtitutos, & notos per paternitatem, & filiationem.

Objic. 3. Innaſcibilitas importat ſolam negationem generabilitatis; ſed negatio pura non eſt vera notio; ergo nec innaſcibilitas. Idem de inſpirabilitate.

Reſp. diſt. maj. Quoad vocem, con. in re, & bono ſenſu, neg. maj. & conſ. Nam in bono ſenſu innaſcibilitas ſignificat aſeitatem in Patre, & inſpirabilitas in Filio naſcitur ex generabilitate, ſeu nativitate.

Inſt. Spiritus Sanctus tam eſt innaſcibilis, quàm Filius inſpirabilis, & verè hoc illi convenit; ergo innaſcibilitas non eſt notio ſolius Patris, ſed etiam Spiritus Sancti.

Reſp.

Reſp. neg. ant. Nam innaſcibilitas iſta, quæ de Patre dicitur, ſignificat quandam aſeitatem, & improducibilitatem, & hoc ſenſu non convenit niſi ſoli Patri, qui à ſe eſt, & non procedit ab alia Perſona.

Objic. con. 3. p. Si inſpirabilitas eſſet notio Filii, ingenerabilitas eſſet notio Spiritus Sancti; & ſic eſſent ſeptem, quia tam verum eſt, Spiritum non generari, quàm Filium non ſpirari: ſed conſeq. eſt contra nos; ergo & antec. Idem eſt de ratione Imaginis, & Verbi reſpectu ejuſdem Filii, & de amore ſpirato, ſeu perſonali pro Spiritu Sancto, & ſic eſſent innumeræ notiones.

Reſp. neg. conſ. Nam illæ ſufficiunt, & aliæ omnes in iſtas coincidunt, licèt aliis verbis enuntientur.

Reſp. 2. neg. min. Nam, ut dicebamus ex Scoto, ſicut ab initio ſufficiebant tres illæ primæ, & tamen ſucceſſione temporis aliæ ſunt inventæ; ita nullum eſt inconveniens, quòd idem cum tempore contingat in aliis. Sed tamen melius eſt ſtare ſententiæ communi, & non multiplicare illas abſque urgenti ratione, & pro ſingulorum arbitrio. Loquendum eſt, & ſapiendum cum multis. Denique lis eſt de vocibus.

Quæres 1. *quid ſit potentia notionalis in Deo.*

Reſp. nihil aliud eſſe, quàm principium formale, quo una Perſona, vel duæ producunt aliam, quodque ita illi, vel illis proprium eſt, ut nullis aliis ita conveniat. Talis eſt potentia generandi in Patre, & ſpirandi in utroque. Dicitur enim *notionalis*, quia eſt propria uni, vel duobus, & per illam Pater aliquo modo noſcitur, & per iſtam Pater, & Filius diſtinguuntur à Spiritu Sancto.

Nomine autem *potentiæ* hìc intelligimus activam, ſeu productivam ſine tranſmutatione, vel dependentia in *potentia paſſiva*, ſeu in producto illi correſpondente. Impropriè verò hæc poſterior dicitur *potentia*. Nam quidquid eſt in Deo, eſt actus puriſſimus. Ideò parcè utendum illa voce potentiæ.

Quæres 3. *quid ſit illa potentia notionalis.*

Reſp. quod in Patre eſt Eſſentia cum intellectu, prout ſubſiſtens in prima Perſona, in Patre autem, & Filio eſt eadèm Eſſentia cum voluntate, prout ſubſiſtens in duabus illis Perſonis.

Quæres 3. *qui ſint actus notionales.*

Reſp. communiter numerari duos iſtos, *generare*, & *ſpirare*, qui terminantur ad duas Perſonas productas, ſc. generatio ad Filium, & ſpiratio ad ſpiratum. Sed de his infrà.

## DISPUTATIO IV.

### *De Perſona Patris.*

POſtquam diſcurrimus de iis, quæ communia ſunt Auguſtiſſimæ Trinitati, deſcendimus ad ſingulas Perſonas in particulari, & proprios ſingularum characteres, & actus inveſtigamus. Incipimus à prima.

## QUÆSTIO I.

### *An, & quomodò nomen Patris conveniat primæ Perſonæ.*

INter nomina, & notiones primæ hujus Perſonæ Divinæ, primum, & præcipuum eſt nomen *Patris*. Dicitur quidem 1. *prima Perſona*, non primitate *dignitatis*, quia ibi, ut præmiſimus, nulla eſt inæqualitas, ſed *originis*, quia ipſe à nullo eſt, & ab ipſo ſunt aliæ duæ Perſonæ. 2. *ingenitus*, ſeu *innaſcibilis*, ob eandem rationem. 3. *principium*, quatenus ab eo procedunt Filius, & Spiritus Sanctus; & 4. *auctor* in eodem ſenſu.

Porro nomen Patris ſumitur etiam in Scriptura, 1. *eſſentialiter*, & reſpectivè ad creaturas, ut cum docemur orare, *Pater noſter, qui es in Cœlis*. 2. *notionaliter*, & propriè, & reſpectivè ad Verbum Divinum, quod realiter gignit ſimile ſibi in naturæ identitate perfecta. 3. *appropriatè*, & per analogiam in ordine ad homines, & Angelos, qui ſunt filii per adoptionem, ut cùm dicit Chriſtus, *Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter Cœleſtis*. Et *Diligite inimicos veſtros, ut ſitis filii Patris veſtri*. Et vel etiam titulo creationis, quia potentia creativa illi appropriatur, licèt adoptio, & creatio ſint à tota Trinitate. Reſtat ergo videndum, an nomen

Pa-

Patris verè & propriè ſoli primę Perſonæ conveniat, velut notio ejus ſingularis, & quo ſenſu.

## CONCLUSIO I.

NOmen Patris in Deo, & ad intra ſoli primæ Perſonæ propriè, & verè convenit. Eſt de fide contra Mahumetanos negantes, Deum habere Filium.

Prob. ex Scoto cit. qui, ut vidimus, aſſerit, paternitatem eſſe propriam notionem Patris, & quòd paternitas conſtituit Patrem, & quòd *prima Perſona conſtituitur relatione poſitiva* ad ſecundam, &c.

Prob. ex Script. & Patribus ſæpe citatis. Semper enim primam Deitatis Perſonam vocant nomine Patris. [1] *Baptizantes eos in nomine Patris*. Et [2] *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater*, &c. [3] *Palàm annuntiabo de Patre meo.* Unde Cyrillus [4] conſiderans verba Chriſti, [5] *Pater manifeſtavi nomen tuum*, ſcribit, *Manifeſtavit nomen Patris Filius, quatenus in eam notionem nos induxit*, ut intelligeremus 1. *non ſolùm illum Deum eſſe revera: ſed hoc inſuper... non ementita appellatione Patrem.... Nomen autem Patris magis proprie Deo convenit, quam Dei*. Et in Symbolis jubemur *credere in Deum Patrem:* Ut patebit, cùm loquemur de Filio. Nam ſi in Deo eſt verè Filius; ergo & *Pater propriè eſt Pater, & Filius verè Filius eſt, in iiſque ſolis hoc conſiſtit, ut & Pater ſemper Pater ſit, & Filius ſit ſemper Filius*, inquit Athanaſius. [6]

Prob. 3. quoad utramque partem. In Deo eſt vera generatio, & vera paternitas; ergo &c. Nam nomine Patris intelligimus Perſonam generantem Filium per veram generationem. Prob. antec. 1. ex innumeris Scripturæ locis, quibus probavimus in Deo veram generationem, 2. quia vera paternitas tres requirit conditiones. 1. ut ſit habitudo realis producentis ad productum. 2. ut ſit producentis naturaliter, 3. ut ſit in ſimilitudinem naturæ intellectualis, adde 4. ut ſignificet habitudinem incommunicabilem, & hæc facit, ut paternitas ſit conſtitutiva hujus



[1] *Matth.* 29. [2] *Jo.* 3. [3] *Jo.* 17. [4] *L.* 1.
[5] *Jo.* 7. [6] *Orat.* 2.

Perſonæ; ſed hæ omnes conditiones reperiuntur in origine 2. Perſonæ à 1. ergo illa origo eſt vera generatio.

Objic. ex Patribus, qui videntur negare nomen Patris, & Filii in Deo. Et Dionyſ. [1] *Ut ſciamus* (in Deo) *nec Filii, nec Patris rationem eſſe, nec aliquid eorum, quæ nobis, aut cuipiam naturæ ſunt cognita.* Et S. Baſil. *Vocabulum Patris,* [2] *ſi cum integra ſignificatione, ſicut apud nos eſt in uſu, accipiamus in Deo, impie facimus,* ergo non eſt verè Pater in Deo.

Reſp. neg. conſeq. Nec enim id ſequitur ex illis textibus, ſed tantùm, quòd non ſit in Deo Pater, ſicut in creaturis, in quibus eſt cum poſteritate, cauſalitate, dependentia, diſtinctione naturæ. *Et paternitatis nomen non habet Deus ex nobis, ſed nos potius ab illo videmur accepiſſe,* inquit Baſil. Nam, inquit Paul. [3] *Ex ipſo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur.*

Objic. 2. cum Mahumeto. In Deo non eſt varietas ſexuum, ergo nec vera generatio, nec paternitas, nec maternitas. Nam, inquit ille, *quomodo Deus habere potuit Filium, ſi non habuit uxorem?* Antec. patet. Nam Deus eſt unus ſimpliciſſimus, & videntur fabulæ, quæ Deorum matrem fingunt, aut Deum Hermaphroditum; & Marcion, qui Deum dicebat *eum voluntate ſua congreſſum.*

Reſpond. neg. conſeq. & rationem ejus, quia non eſt de Deo diſſerendum, ut de creaturis. Ille eſt agens, & fœcundus à ſe, & infinitus. Ideò *Filius a Patre ſolo eſt non factus, nec creatus, ſed genitus,* ait Athanaſius. [4]

Objicies 3. contra 2. partem, ſcilicet quòd ſoli Patri conveniat Paternitas, ſe tenet ex parte Eſſentiæ, & attributorum, v. g. potentiæ, ſapientiæ, &c. ſed hæc ſunt communia toti Trinitati, ergo & paternitas. Prob. maj. ex Script. hoc dicente de Deo reſpectu creaturarum, [5] *Nonne ipſe eſt pater tuus, qui fecit te?* &c. Et in Chriſto, [6] *Clamamus Abba, pater,* &, *Ipſe genuit nos Verbo veritatis;* ergo paternitas convenit toti Trinitati.

Reſp. diſt. maj. Paternitas ad extra, conc. ad intra, neg. maj. & conſeq. Nam hæc, & ſimilia loca intelligun-

[1] *Myſt. Theol. c. 5.* [2] *tr. de ver. fid.* [3] *Eph. 7. 3.* [4] *Symb.* [5] *Deuter. 32.* [6] *Rom. 3.*

guntur de paternitate ad extra, per creationem, adoptionem; ſanctificationem, at & illa eſt impropria, Divina verò eſt propria.

## CONCLUSIO II.

P*Aternitas eſt prima ratio conſtitutiva primæ Perſonæ*. Patet ex dictis de conſtitutivo Perſonarum.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Poteſt dici tenendo 2. viam, ſupponendo ſcilicet perſonas eſſe relativas, & quòd prima Perſona conſtituitur poſitiva relatione ad ſecundam Perſonam*; ergo Scotus ſupponit primam Perſonam conſtitui Paternitate, qua reſpicit Filium.

Prob. 2. ex Scriptura, Conciliis, & Patribus citatis, quia non nominant, nec notificant Perſonam iſtam, niſi per paternitatem, quę non repetemus. Unde notat Cyrillus, Perſonas Divinas nunquam nominibus abſolutis deſignari. [2] *Baptizari juſſit*, (Chriſtus) *in nomine Patris, & Filii ... præ aliis præpoſuit nomina diſtinctiſſimè nobis conſtituentia uniuſcuiuſque ſignificati propriam exiſtentiam*. Et Concil. Florent. ſub Eugenio IV. [3] dicit, quòd *Omnia, quæ Patris ſunt, dedit Filio præter eſſe Patrem*; ergo nihil eſt in prima Perſona, quo diſtinguatur à 2. præter paternitatem. Et Cardinalis Beſſarion ibidem: [4] *Non enim generare, & generari, quod originis eſt, conſtituit principaliter perſonam, ſed paternitas, & filiatio*. Et Baſilius dicit, [5] *Hypoſtaſim cerni in proprietate paternitatis ... Et, Commune eſt Deitas, proprium eſt paternitas*. Et Cyrillus cit. [6] *Nihil eſt, quod filium a patre dividat, præter hoc unum, quod pater eſt*; ergo paternitas eſt prima ratio conſtitutiva primæ Perſonæ, ex Script. PP. & Conciliis.

Prob. denique, quia non poteſt cum fundamento aſſignari aliud conſtitutivum talis perſonæ, quàm paternitas; ergo ita eſt. Antec. patebit tum ex dicendis de aliis notionibus hujus Perſonæ, tum ex objectionibus. Præcipuas autem habes ſuprà [7] de conſtitutivo Perſonarum.

F 6 Ob-

[1] 1.*d*.28.*q*.3.F.*n*.7. [2] *Tr.* 6. [3] *ſeſſ*.8.
[4] *Orat.pro.* [5] *Ep.* 359. et 319. [6] *in Jo l*.11. [7] *q*.5.

Objicies præterea. Nomen *genitoris* priùs convenit illi Perſonæ, quàm Patris; ergo priùs eum conſtituit. Prob. ant. Prius eſt generare, quàm eſſe patrem, paternitas enim fundatur in generatione, & ſuppo-nit actum generandi, imò & potentiam generandi; ergo &c.

Reſpond. neg. conſeq. Nam licèt Genitoris, & Patris nomina idem ſignificent, non tamen eodem modo. Nam *Pater* dicit explicitè perſonam ſubſi-ſtentem, ait Scotus, [1] *Genitor* vero ut agentem, ſeu generantem, prius eſt autem ſubſiſtere, quàm agere, ſaltem prioritate *à quo*, ſeu rationis.

Inſt. 1. Potentia generandi præſupponitur actui generationis: ſed potentia eſt ſuppoſiti; ergo eſt prior non ſolùm generatione, ſed etiam paternitate, & priùs conſtituit primam Perſonam in ratione ſup-poſiti.

Reſp. neg. maj. In Deo. Nam ibi idem eſt eſſe, poſſe, & agere.

Inſt. 2. Relatio fundatur in actione, ergo generare eſt prius relatione paternitatis, & priùs conſti-tuit primam Perſonam. Antec. patet ex Philoſo-pho docente, [2] paterniatem fundari ſupra genera-tionem.

Reſpond. diſt. antec. In creatis, concedo, in Deo, nego antec. Nam in Deo paternitas eſt ipſa formalis generatio propter infinitam virtutem agentis.

Inſt. 3. Pater, ut generans, neceſſariò præcedit genitum, ergo & paternitatem: ſed ut generans eſt Perſona conſtituta; ergo non conſtituitur per paterni-tatem ipſam formaliter.

Reſp. neg. antec. quia non conſtituitur perſona, niſi per formalitatem incommunicabilem; prima au-tem Perſona non fit incommunicabilis Filio, niſi per paternitatem, & generationem activam, quæ eſt formalitas prima incommunicabil s Filio.

[1] *Ibid.* [2] *6. Met.* 20.

## QUÆSTIO II.

### *An, & quomodò ingenitum, ſeu innaſcibilitas conveniat Perſonæ Patris.*

QUia vox *ingeniti* plures habet ſignificationes, ſecundum quas non poteſt dici de Deo, ideo notandum, quòd aliquando Patres eam reſpuebant à ſacris diſputationibus, dicentes, *vanam eſſe inſtitutionem hujus vocis, cùm nihil aliud in ſe contineat, niſi meram præſtigiationem*. Significat 1. id, quod non eſt factum, ſeu productum ullo modo, neque exiſtit, neque exiſtet. Sic triangulus non fit, nec fiet quadrangulus. 2. id, quod nondum exiſtit, ſed poteſt exiſtere, vel exiſtet. Sic Antichriſtus fortè eſt ingenitus. 3. quod factum eſt, ſeu productum, ſed non per veram generationem. Sic Spiritus eſt ingenitus, licèt productus. 4. id, quod exiſtit quidem, ſed ita eſt à ſe, & de ſe, ut à nullo ſit per ullam omninò productionem. Et ſic Pater Deus eſt omninò ingenitus, ſcilicet *à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus, nec procedens*.

## CONCLUSIO.

R*Atio ingeniti in hoc ultimo ſenſu eſt vera proprietas ſolius Patris, non tamen ejus conſtitutiva.* Eſt communis quoad 1. p. non ita quoad 2. Volunt enim, Patrem per illud conſtitui, ut per rationem, quam vocant *fontalis principii*. Eſt autem tota contra Arrianos, qui volebant, *ingenitum* cadere in Deitatem, & ideò negabant Filium eſſe Deum, quia non eſt ingenitus, ſed genitus, quod putant repugnare Deo.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quòd ingenitum ſecundum uſum Sanctorum, prout ſcilicet ſignificat negationem geniti communiſſimè ſumpti, ſcilicet producti, connotando ſubſiſtens in natura Divina, ſoli convenit Patri*. Et pro 2. p. ſic argumentatur. [2] *Prima proprietas incommunicabilis poſitiva eſt proprietas conſtitutiva primæ Perſonæ, talis illa, quæ correſpondes*

[1] 1. d. 28. q. 2. C. n. 5. [2] Quodlib. 24. n. 4.

*det correlativè primæ relationi in perſona producta ..* Sola autem paternitas correſpondet filiationi, quæ eſt prima relatio correlativa in Perſona producta, ſcilicet Filio; ergo ſola paternitas, non autem *innaſcibilitas*, ſeu ratio *ingeniti*, conſtituit primam Perſonam in Deo. Et infrà ſic arguit: (1) *Proprietas conſtitutiva eſt omninò formaliter, & primò incommunicabilis. Ingenitum autem, ut diſtinguitur formaliter ab Eſſentia, & relatione poſitiva ad productum, non dicit, niſi negationem formaliter, quia ſecundum Auguſtinum, (2) cùm ingenitum dicitur, non quid ſit, ſed num ſit, dicitur*. Idem habes in Reportatis; ergo ex Scoto *ingenitum* eſt quidem proprietas ſolius Patris, ſed non eſt ejus conſtitutiva.

Prob. 2. quod 1. p. ex Conciliis, & Patribus. Nam Nicænum docet, credendum, quòd *unus ingenitus Deus, & Pater, unus ex eo genitus ... ſicut non eſt alter Deus cum Deo, & Patre ingenitus*. Idem docent Toletanum VI. & XI. Et ſanctus Athanaſius, (3) *Imprincipiatum eſſe, & ingenitum ſoli Deo Patri Catholica Eccleſia congregata apud Nicæam fideliter attribuit*. Et Nyſſen. (4) *Eximium inſigne, notamque ſolius Patris eſſe, quòd à nulla cauſa ſubſiſtit*. Et Nazianzen. (5) *Patris proprietas hæc eſt, quòd ingenitus ſit*. Et Auguſt. (6) *Pater ſolus non eſt de alio; ideò ſolus vocatur ingenitus, non quidem in Scripturis, ſed in conſuetudine loquentium*.

Prob. 3. Quia ex communi uſu, innaſcibilitas, ſeu ingenitum dicit negationem originis ab alio per veram productionem; ſed hoc verè dicitur de ſola prima Perſona, nam aliæ duæ procedunt ab aliis per veram productionem; ergo in hoc ſenſu eſt vera proprietas ſolius Patris.

Prob. 2. p. Quia ingenitum, ſeu innaſcibilitas eſt pura negatio originis ab alio; ergo non poteſt eſſe primò conſtitutiva primæ Perſonæ, quæ eſt quid poſitivum. Prob. ant. Nam, inquit ſanct. Thomas, (7) *Ingenitum nihil ponit, ſed negativè dicitur*; ergo &c.

Confir. 1. Sicut Filius, & Spiritus Sanct. ad proprias

[1] *D.n.5.ibid.* [2] *5. Trinit.6.* [3] *Ep. ad Serap.* [4] *De nat.Dei.* [5] *Differ. eſſent.ara.23.* [6] *15,Tr.26.* [7] *1.p.q.40.a. 3.ad V.*

prias perſonalitates, ſeu ad rationes ſui conſtitutivas, ita & Pater ad ſuam; ſed illi non conſtituuntur negationibus, ſed relationibus poſitivis filiationis, & ſpirationis paſſivæ; ergo & iſte.

Confir. 2. ex concluſ. præcedenti. Nam ſi primò conſtituitur per relationem poſitivam paternitatis; ergo non per iſtam proprietatem negativam.

Objic. 1. Ingenitum convenit Eſſentiæ, & Spiritui Sanct. Nam illa eſt omninò à ſe, & improducibilis, iſte verò *non eſt genitus, ſed procedens*; ergo non eſt proprietas ſolius Patris.

Reſp. diſt. ant. & rationem ejus. Convenit Eſſentiæ in aliquo ſenſu, & extra genus, & quaſi non genitum, con. ſingulariter, ſeu in genere, & ſenſu, quo dicitur de Patre, neg. ant. Dicitur de Eſſentia, prout ſignificat ſubſtantiam non creatam, factam, vel productam, & de Spiritu Sancto, quatenus non eſt productus per veram generationem, de Patre autem, quatenus eſt Perſona, per quam aliæ producuntur, ipſa verò eſt prorſus improducta, nec ab alio principiatur, ſed ſe ipſa eſt in Deitate.

Objic. 2. ex Auguſtino. Quidquid dicitur abſolutè, & ad ſe, ſeu non relativè, eſt commune tribus; ſed ingenitum non dicitur relativè; ergo non eſt proprietas unius ſolius Perſonæ; ergo nec ſolius Patris. Prob. min. Nam relatio eſt quid poſitivum, ergo non convenit relationi.

Reſp. diſt. maj. Quidquid poſitivum, con. quidquid negativum, neg. maj. & conſ. Nam ingenitum dicitur negativè, ſed fundatur in poſitivo, ſcilicet in relatione paternitatis.

Inſt. 1. Negationes, & privationes dicunt imperfectionem; ergo vel ingenitum non eſt pura negatio, vel non dicitur de Perſona Divina.

Reſp. neg. ant. quoad negationes, non ita eſt de privationibus, ſi removeant perfectionem debitam, non autem ſi removeant indifferentem. Ingenitum autem eſt negatio proceſſionis ab alio, quæ non eſt perfectio debita Patri.

Inſt. 2. Inſpirabilitas tam convenit Patri, & Filio, quàm innaſcibilitas Patri; ſed illa non dicitur proprietas Patris, & Filii; ergo nec iſta erit proprietas Patris ob eandem rationem.

Reſp.

Reſp. diſt min. Non dicitur proprietas diſtincta à Paternitate, & filiatione, con. proprietas incluſa in illis, neg. min. & conſ. Nam innaſcibilitas non ſic continetur in paternitate, ſicut inſpirabilitas, quæ etiam continetur in filiatione, ſeu naſcibilitate, & ſic non proprie diſtinguit eos, ſicut ingenitum diſtinguit Patrem.

Objic. 3. Antiquiores Patres nolebant vocem ingeniti in Deo, ne viderentur favere Hæreticis, & ut inutilem. *Cùm*, inquit Baſil. (1) *Patris vox id poſſet, quod ingeniti*. Et idem dicit Ambroſius; ergo nec nos eam aſſerere debemus.

Reſp. neg. conſ. Nam hoc tempore non eſt periculum, quod timebant illi Patres, & ex uſu Eccleſiæ illa voce utimur in ſenſu prorsùs Catholico. *Genitum, atque ingenitum eſſe ſpecificas quaſdam proprietates Filii, & Patris Divini*, aut Baſilius.

Objic. 1. con. 2. p. ex Auguſtino. Si Pater non genuiſſet, adhuc diceretur ingenitus; ergo ingenitum prius eſt in Patre, quàm paternitas; ergo & priùs eum conſtituit. Prob. ant. [2] *Non hoc dicere ingenitum, quod eſt Patrem dicere, quia etſi Filium non genuiſſet, nihil prohiberet eum dicere ingenitum*; ergo &c.

Reſp. ex Scoto, [3] neg. ant. Nam Auguſt. non dicit hoc *ſecundum propriam ſententiam, ſed recitando dictum Arrianorum dicentium, Filium non eſſe æqualem Patri propter hoc, quod dicitur Pater eſſe ingenitus, & ingenitus dicitur non ad aliud* (non relativè); ergo *ſecundum ſubſtantiam*, (& abſolute) *& Filius non dicitur ingenitus: ex quo concludebant* (Hæretici) *aliam eſſe ſubſtantiam Patris, quàm Filii*, quod Auguſt. impugnat *in ſequenti capit.* negans, quòd *ingenitum* ſignificet ſubſtantiam, nec quid poſitivum, ſed puram negationem.

Reſp. 2. diſt. ant. Quatenus eſſe ingenitum, & eſſe Patrem non ſunt idem formaliter, & in 1. modo perſeitatis, con. quaſi ingenitum non ſit proprietas ſequens paternitatem, ſicut riſibilitas ſequitur rationalitatem, ſcilicet in 2. modo perſeitatis, neg. ant. Et hæc eſt vera mens Auguſtini. Nam paternitas, & inge-

[1] *Tr. con. Euno.* [2] *1. Tr.*
[3] *Repor. 1. d. 28. q. 2. n. 16.*

ingenitum ſunt diverſæ formaliter notiones, & realiter diſtinguuntur in creatis, ubi eadem perſona eſt pater, & genita.

Objic. 2. ex Damaſceno, [1] *Omnia in Deo ſunt unum, præter ingenerationem, generationem, & proceſſionem*; ergo ſicut generatio, & proceſſio paſſiva conſtituunt ſecundam, & tertiam Perſonam, ita ingeneratio conſtituit primam. Et infrà dicit, quòd *Omnia, quæ habet Pater, ſunt Filii, præter ingenerationem*; ergo &c.

Reſp. ex Scoto, [2] neg. conſ. Nam per ingenerationem Damaſcenus non excludit paternitatem, in qua fundatur illa negatio, alioqui ſibi contradiceret; cùm dicit: *In ſolis proprietatibus, paternitate, filiatione, & proceſſione attenditur diſtinctio Perſonarum.* Igitur per ingenerationem intelligit paternitatem, & ſic nihil concludit contra nos, nec loquitur in ſenſu quæſtionis præſentis, in qua non negamus, *ingenitum* eſſe proprietatem, ſed dicimus, non eſſe rationem primò conſtitutivam.

Objic. 3. Prima Perſona priùs concipitur per negationem proceſſionis ab alia, quàm per actionem, qua producit aliam; ergo priùs concipitur, ut ingenita, quàm ut generans, & Pater. Prob. ant. Omne, quod eſt ab alio, priùs natura reſpicit id, à quo eſt, quàm id, quod eſt ab ipſo; ergo viciſſim quod non eſt ab alio, prius eſt in ſe cum negatione eſſendi ab alio, quàm cum relatione ad id, quod eſt ab illo; ergo in Patre prius eſt *ingenitum*, quàm paternitas.

Reſp. neg. 1. ant. & diſt. 2. Si ſit abſolutum, con. ſi ſit relativum, neg. ant. Nam in relativis, ut ſunt Perſonæ Divinæ, totum eſſe illorum eſt ad aliud, & non ad ſe. Ille ordo eſt eſſentialis relativis, ſicut abſolutis eſſentiale eſt, ut ſint ad ſe.

[1] l. 1. c. 2. n. 9. [2] *Ibid.*

QUÆ-

## QUÆSTIO III.

*De aliis prædicatis, & notionibus primæ Perſonæ. An, & quo ſenſu dicatur fons, principium, ſeu initium, auctor, & cauſa Deitatis.*

NOmen *principii* latiùs patet, quàm Cauſæ. Nam illud dicitur de omni eo, à quo eſt aliquid quomodocunque etiam neceſſariò cum independentia, vel æqualitate omnimoda tam durationis, quàm perfectionis, & deſcribitur *id, à quo aliquid fit, generatur, aut communicatur*. *Cauſæ* verò nomen dicitur de eo, à quo eſt aliquid cum dependentia, inferioritate, contingentia, & aliis defectibus. *Neque enim perfecta eſt inter effecta, & cauſas ſimilitudo*, (ait Dionyſ. [1]) *ſed effecta quidem cauſarum, quas poſſunt, præferunt imagines. Cauſæ autem ſecretæ ſunt ab effectis, ſuntque principii ſui ratione ſuperiores*. Omnis ergo cauſa eſt quidem principium, ſed non omne principium eſt propriè cauſa, ſicut non omne animal eſt homo, licet omnis homo ſit animal.

Præterea nomen principii ſumi poteſt, 1. *eſſentialiter*, & ſic deſignat fœcunditatem Eſſentiæ ad extra, & in ordine ad creaturas, convenitque tribus Perſonis. 2. *notionaliter*, & ſignificat fœcunditatem unius, vel alterius Perſonæ ad intra, ſc. convenit Patri ad Filium, & utrique ad Spiritum Sanctum. 3. *principaliter*, & ſignificat eam dignitatem Patris, quatenus ab ipſo aliæ duæ Perſonæ originantur, ipſe verò à nullo, ſed ſe ipſo eſt. Sic Filius eſt tantum principium Spiritus Sanct. Pater verò eſt principaliter principium utriuſque. Nam Filius ab illo habet, quòd ſit principium Spiritus Sanct. [2] *Pater eſt principium non de principio, ſed utrunque ſimul, non duo, ſed unum principium*.

*Authoris* etiam, & *fontis* voces idem ſignificant, quod *principii*, maximè apud Latinos. Sed *author* dicitur propriè de principaliori *principio*, & primario, deſignatque aliquam primitatem *principii* in authore. Idem eſt de *fonte*. Sed quidquid ſit de vocum iſta-

[1] *Div. nom.* 2. [2] *con. Max.* lo. 17.

iſtarum uſu grammaticali, quærimus hic, quo ſenſu poſſint dici de Patre.

## CONCLUSIO I.

P*Ater verè dicitur principium, & fons Divinitatis communicatæ ad intra, non autem cauſa, nec initium*. Videtur de fide ſaltem quoad 1. p.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Non concederetur iſta, Pater eſt principium durationis Filii ſine determinatione, ſed benè concederetur iſta, Pater eſt principium originativum æternitatis Filii*. Et de Spiritu S. [2] dicit, *Planum eſt, quòd Pater, & Filius ſunt unum principium Spiritus S.....* Et de Filio, [3] *Conceditur, Filium eſſe principiatum, & non poſſibilem*. Per 1. locum patet, quòd licèt poſſit in Deo admitti *principium*, non tamen initium, quia ſignificat principium durationis, quod Scotus non admittit ſine addito *originativi*, aut alterius vocis excludentis durationis initium.

Prob. 2. quoad 1. p. ex Patribus, & Conciliis. Nam in Concil. Tolet. VI. & XI. [4] *Confitemur Patrem ingenitum, increatum, fontem, & originem totius Divinitatis*, non quidem ab ipſo productæ, ſed communicatæ. Et in Lugdunenſi ſub Gregorio X. (5) ut habetur c. fideli in 6. *Fideli, ac devota profeſſione fatemur, quòd Spiritus Sanct. æternaliter ex Patre, & Filio, tanquam ex uno principio procedit*. Vides nomen principii in Patre, & Filio. Et Florent. in literis unionis, & VVormatienſe vocant *Patrem principium totius Trinitatis*. Et idem docent communiter SS. Patres. nam Dionyſ. (6) dicit Patrem *fontem Divinitatis*. Sanctus Athanaſius, *fontem Deitatis, radicem, & fontem Filii, & Spiritus Sanct. oſtendens* (inquit Aug.) [7] *quòd totius Divinitatis, vel ſi melius dicitur, Deitatis principium eſt*. Quibus verbis utitur Eugenius IV. [8] *Pater fons, & principium totius Deitatis*. Et Cyrill. Alex. *Alius eſt Pater, & alius eſt principium*, ſcilicet Pater, *& alius ex principio*, ſcilicet Filius.

Prob. 3. quia nomine *principii, & fontis* Divinitatis communicatæ ad intra nihil aliud intelligimus, quàm

[1] 1. *d.* 9. *C. n.* 4. [2] *d.* 12. *q.* 1. *A. n.* 2. [3] *d.* 20. *n.* 9.
[4] *cap.* 3. [5] *de Trin. ſſ. ult.* [6] *de Div. nom.* 2.
[7] 4. *de Trin.* 20. [8] *Litt. unic.*

quam illam Perſonam, per quam aliis communicatur Divinitas, & quæ illam non habet ab alio, & quæ communicatio nullam importat dependentiam, vel inæqualitatem in principiatis; ſed Pater talis eſt reſpectu Filii per generationem, & Spiritus ſanct. per ſpirationem activam ſimul cum Filio; ergo verè dicitur principium, & fons Deitatis communicatæ ad intra.

Prob. 2. p. Nam ex Concil. Florent. cit. Id, quod apud Græcos ſignificat nomen cauſæ in proceſſionibus Divinis, ſecundum Latinos dicitur principium, & Cardinalis Beſſarion in oratione ibidem habita pro unione dicit, quòd *SS. Doctores Orientales in Divinis utuntur nomine cauſæ, & cauſati largo modo, non quidem, ut limitationem, & dependentiam importat, ſed prout productionem, & emanationem à principio ejus, quod eſt à principio, ſignificat*; ergo licèt Patres Græci utantur nomine cauſæ ad ſignificandam proceſſionem activam, tamen Latinis hoc non licet, quia cauſatio ſignificat diſtinctionem realem ſubſtantiæ, & dependentiam in cauſato, & hæc repugnant in Deo, apud Græcos verò principium, & cauſa idem ſunt.

Prob. 2. Nihil poteſt dici de Perſonis Divinis, quod lædat perfectiſſimam earum independentiam, & æqualitatem inter ſe, & quod inducat ullum defectum; ſed vox cauſæ apud nos arguit tales defectus in cauſatis; ergo non debet dici de ulla perſona Divina reſpectu aliarum.

Prob. 3. p. 1. quia, ut dicebam, Scotus non admittit hanc propoſitionem, *Pater eſt principium durationis Filii*, ſine addito, ne derogetur æternitati generationis Filii; ergo multò minus admitteret iſtam: *Pater eſt initium Filii*, quia æternitas vera excludit initium, & finem. *Eccleſia confitetur Filii originem eſſe ab initio*, ait Hilarius, (1) *non ipſum ab initio, ſed ab initiabili*, id. à Patre, à quo ſunt omnia, inquit Magiſter: (2) ergo Pater non debet dici initium Filii, nec Spiritus Sanct. nec Deitatis.

Prob. 2. quia vox *initium* communiter ſumitur pro primo termino *à quo* durationis; ſed nihil in Deo habet talem terminum, nam repugnat æternitati; ergo Pater non poteſt dici initium Filii, nec Spiritus Sancti, aut Deitatis, niſi ad ſummum cum magna li-

mi-

[1] 4. *Tr.* [2] 1. *d.* 20.

mitatione, & ſatius eſt ab ea voce abſtinere.

Objic. 1. Patres negant nomen principii tam de Patre, quàm de aliis; dicunt eos eſſe *principio carentes, & principii expertes*, ait ſanctus Athanaſius; (1) ergo nomen illud non convenit Patri.

Reſp. neg. conſ. Nam Patres negant nomen principii, prout ſignificat vel initium durationis, vel cauſalitatem, vel dependentiam, aut aliam imperfectionem, non autem in ſenſu noſtro. *Quando dicimus Patrem ſine principio*, inquit Nyſſenus, (2) *nihil aliud intelligitur, niſi quòd ex nullo penitus principio habet, ut ſubſiſtat. Cum autem de reliquis principii ſignificationibus inquiſitio fit, quoniam & creationis principium eſt, & temporis, & ordinis, etiam in iis unigenitum Filium omni principio ſuperiorem eſſe teſtamur*. Ecce quo ſenſu Patres negant principii nomen in Perſonis Divinis.

Inſt. In Deo non eſt principiatio, nec principiatum; ergo nec debet admitti ibi principium. Nam Principium, & principiatum ſunt correlativa. Prob. ant. Nam principiatio dicit cauſalitatem, aut initium durationis, quæ repugnant Deo.

Reſp. neg. ant. & prob. ejus. Nam in Deo eſt vera generatio, & ſpiratio, & una Perſona verè generata, & alia verè ſpirata, ſed ſine initio durationis, & ſine dependentia, ſeu cauſalitate. *Quidquid eſt in Perſona Divina, eſt neceſſe à ſe, & hoc excludendo per ly à ſe, aliud in ratione cauſæ, non autem in ratione principii; quia quidquid eſt ibi, eſt incauſatum, licèt poſſet poni ibi aliquid ut principiatum*, ait Doctor. (3) Igitur non omnis principiatio, nec omne principiatum infert cauſalitatem, vel aliam imperfectionem.

Objic. 2. Deitas non principiatur, nec principiat, ergo Pater non poteſt dici principium Divinitatis.

Reſp. diſt. conſ. Deitatis in abſtracto, abſolutè, & ſimpliciter ſine addito, con. cum addito noſtro; neg. conſ. Nam addendo, *Deitatis communicatæ*, & connotando ſuppoſitum velut principium *quod* communicationis Eſſentiæ ad Filium, & Spiritum Sanctum, id verè dicimus.

Objic. 1. con. 2. p. Patres abſolutè dicunt, Patrem eſſe

(1) q. 13. (2) *Con. canon.*
(3) *Quodlib.* 8. 9. u, 20.

eſſe *cauſam* Filii, ergo male id negamus. Prob. Nam inquit Baſil. (1) *Vox Patris quid aliud ſignificat, niſi hoc, quod cauſa eſt, & principium ejus, qui ex ipſo genitus eſt?* Et Auguſt. inter Latinos, (2) *Quæ cauſa illi eſt, ut ſit ſapiens, ipſa illi cauſa eſt, ut ſit.* Et ſic de aliis.

Reſp. neg. conſ. quia illi Patres utuntur nomine cauſæ in ſenſu Græcorum, & largè, prout idem ſignificat, quod principium, *à quo* eſt aliquis ſine imperfectione ulla.

Objic. con. 3. p. Ipſe Filius ſub nomine Sapientiæ tribuit ſibi initium: (3) *Ab initio, & ante ſecula creata ſum*. Et dicitur, (4) quòd *Egreſſus ejus ab initio, a diebus æternitatis*; ergo initii nomen tribuitur Deo Patri.

Reſp. neg. conſ. Nam in illis textibus nomen initii non denotat terminum *à quo* generationis, ſed æternitatem ipſam Verbi Divini, & primitatem proceſſionis ejus. Et Michæas utitur voce *initii*, pro principio, & minus propriè.

## CONCLUSIO II.

Deus Pater dici poteſt aliquo modo author Filii, ſed non propriè. Eſt communis.

Prob. breviter ex Patribus. Nam inquit Aug. (5) *Si propterea Deum Patrem Deo Filio dicis authorem, quia ille genuit, genitus eſt iſte, quia iſte de illo eſt, non ille de iſto, fateor, & concedo: ſi autem per nomen authoris minorem vis facere Filium, Patremque majorem, nec ejuſdem Subſtantiæ Filium, cujus eſt Pater, deteſtabor, & reſpuam.* In 1. illo ſenſu, & non in 2. veteres quidam dixerunt, Patrem in Divinitate majorem eſſe Filio, ſcilicet *authoritate*, ſeu origine, quia ſcilicet Filius ab illo eſt, non ille ab iſto, ut cum Hilar. dicebat, (7) *Cum innaſcibilis Deus ad perfectam beatitudinis nativitatem unigenito Deo author ſit, authorem nativitatis eſſe Sacramentum paternum eſt*, &c. ergo aliquando bono ſenſu Pater dici poteſt author Filii, quandoquidem ſancti Patres ita dixerunt.

At

(1) 1. con. Eunon. (2) 7. Tr. (3) Eccl. 20.
(4) Mich. 3. (5) 3. con. max. 14. (6) 9. Tr.

At in ſenſu proprio, & rigoroſo nominis hujus, ſignificaretur aliqua præeminentia dignitatis ſupra Filium, & ideò ſatius eſt abſtinere à talibus vocibus, niſi adhibeantur reſtrictiones, quibus amoveatur omnis ſuſpicio inæqualitatis intèr Perſonas.

Quares, *an poſſit dici, Solus Pater eſt Deus*.

Reſpondeo, non poſſe. Ita Scotus, (1) & alii communiter.

Ratio eſt, quia vox excluſiva *ſolus* vel excluderet in Deo pluralitatem Perſonarum, ſicut qui diceret, *Solus Petrus eſt domi*, vel excluderet à Deitate omnem aliam Perſonam, & ſic Filius non eſſet Deus, nec Spiritus ſanct. ſed in utroque ſenſu propoſitio eſt falſa, & hæretica; ergo non poteſt dici. Prob. min. ex dictis de unitate Eſſentiæ in tribus Perſonis, *Ego in Patre, & Pater in me eſt*, Et, ut canit Eccleſia, *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater*. Et S. Athan. [2] *Deus Pater, Deus Filius*, &c. *& tamen non tres Dii*. Et in Symbolo Nicæno, *Deus verus de Deo vero*; ergo in utroque ſenſu illa propoſitio eſſet hæretica. Nam in primo negaretur circuminſeſſio, & unitas Perſonarum in Eſſentia, & in ſecundo negaretur Divinitas Filii, & Spiritus ſancti.

## QUÆSTIO IV.

*An, & quid ſit potentia generandi in prima Perſona.*

DOctor Subtilis [1] in hac quæſtione diſtinguit potentiam, 1. *Logicam*, quæ eſt non repugnantia terminorum; & ſic potentia generativa in Patre eſt non repugnantia generandi. 2. *objectivam*, quæ opponitur actui, ſeu exiſtentiæ actuali; & ſic res, quæ non actu exiſtit, ſed poteſt exiſtere, dicitur in *potentia*, 3. *realem*, quæ eſt à parte rei exiſtens in aliquo ordine ad agendum, vel patiendum. De prima certum eſt eſſe in Deo, non enim repugnat illi generatio: 2. verò non eſſe, quia Deus eſt actus puriſſimus, & illi eſt idem eſſe, & poſſe: De 3. eſt quæſtio præſens, & quidem an ſit. Certum eſt, quod Pater eſt, & quòd generat verè, & realiter, ſed quæritur, an illa potentia ſit aliquid abſolutum, vel relativum fun-



[1] 1. *d*.2 1. [2] *Symb*. [3] 1.*d*.7.*k*.*n*.7.

damentaliter, ſeu in quo fundetur relatio generativi, & quodnam ſit illud poſitivum, an Eſſentia, an intellectus, &c.

Rurſus hæc potentia eſt vel *proxima*, vel *remota*, pro quo vide, quæ diximus ſuprà de principiis proceſſionum, de principio *quo*, & *quod*, & *proximo*, vel *remoto*. [1]

## CONCLUSIO.

D*Atur vera, & realis potentia notionalis generativa in Patre, quæ fundatur realiter in entitate abſoluta, nempe memoria fœcunda, ſeu intellectu cum Eſſentia ſibi objectivè præſente in ratione obiecti actu intelligibilis, prout in primo ſuppoſito.* Eſt Scotiſtarum, nec diſcordant Thomiſtæ, niſi fortè in verbis, ut notat P. Macedo. [2]

Prob. ex Scoto cit.(3) probante, quòd *potentia generandi Patris non eſt relatio* (paternitatis) ſed *aliquid abſolutum*. Et in Reportatis (4) dicit, quòd *Eſſentia eſt principium formale ad producendum, & ex ſe ſufficienter determinata, ſed non poteſt exire in actum, niſi concurrente proprietate perſonali*. Et in Collationibus; (5) *Pater habet Eſſentiam præſentem memoriæ, & communicat eam Filio*, &c.

Prob.2. quoad 1. p. Nam Pater verè, & propriè generat; ergo verè, & propriè eſt potens generare. Prob. conſ. tum quia *à facto ad poſſe valet conſequentia*, tum quia ubi eſt verus terminus productus, ibi neceſſe eſt ponere potentiam verè productivam, & ubi eſt verum genitum, ibi debet eſſe verus generans.

Prob. 3. Nam per potentiam intelligimus principium, per quod aliquid producitur; ſed in Deo Patre verè eſt principium generandi, alioqui non verè generaret Filium; ergo & potentia. Et certè Scriptura, Concilia, & Patres non agnoſcerent in Deo Patre veram generationem Filii, niſi in eodem agnoſcerent & potentiam activam talis generationis.

Prob.2.p. de intellectu, & memoria fœcunda ex dictis de principiis proceſſionum. Nam ibi probavimus intel-

[1] *Diſp.1.q.6.* [2] *colla.6.diff.2.*
[3] *M.n.9.* [4] *Ibid.q.1.n.4.*
[5] *coll.32.n.13.*

intellectum eſſe principium proximum formale *quo* generationis, & voluntatem ſpirationis, &c.

Prob. 3. par. *de Eſſentia*. Nam illud eſt principium formale *quo* in omni agente, in quo productum aſſimilatur agenti, & quo agens agit; ſed Verbum productum à Patre aſſimilatur illi in Eſſentia per identitatem ſibi communicatam, & per eandem Pater generat illum; ergo &c.

Prob. 2. quia in creatis homo generat per naturam, non per hypoſtaſim, vel ſingularitatem; ergo in Deo Pater generat per Eſſentiam, & intellectũ, quem illa fœcundat per ſui præſentiam objectivam, non verò per relationem paternitatis, quæ eſt potius ipſa formalis generatio, ut dictum eſt.

Prob. 4. par. *de potentia proxima, & completa, prout eſt in* 1. *ſuppoſito*. Nam, ut diximus in Metaphyſica, ſubſiſtentia non eſt formale principium conſtitutivum agentis, ſed ultimus terminus ejus completivus, & conditio, ſine qua nulla natura poteſt agere; ergo ut Eſſentia Divina cenſeatur poſſe communicari Verbo, debet intelligi ſuppoſitata ſaltem originis, & ordinis prioritate.

Igitur potentia generativa Patris fundatur 1. radicaliter in Eſſentia, velut in principio *quo* remoto, & radicali, prout diſtinguitur formaliter, aut virtualiter ab intellectu, & ab omni ſubſiſtentia relativa. 2. in intellectu divino, velut in principio formali, ſeu *quo* proximiori, qui cum Eſſentia conſtituit formale quo totale, & adæquatum generationis, & Pater ipſe, ut ſuppoſitum ſubſiſtens in Eſſentia, eſt potentia totalis, ſeu principium adæquatum, & *quod* ejuſdem generationis, ita ut ſuppoſitalitas ſit velut ultimus terminus, quaſi complens Eſſentiam cum intellectu, ſine qua terminatione, & quaſi complemento non poſſet ſe communicare Verbo. Nam ad veram productionem requiritur diſtinctio realis inter producens, & productum, inter generantem, & genitum; ſed iſta diſtinctio in Deo non eſt, niſi per paternitatem, ut ſæpe dictum eſt, ſunt enim unum in Eſſentia, intellectu, & aliis omnibus attributis; ergo Eſſentia non eſt potentia completa generationis, niſi ut terminata per ſubſiſtentiam perſonalem, ſeu per paternitatem.

Objic. 1. con. 1. par. Ubi nulla eſt actio elicita, nulla eſt potentia productiva; ſed in Deo nulla eſt productio elicita; ergo nec potentia productiva. Prob. min. Si eſſet ibi actio elicita, maximè generatio, ſeu ipſum generare; ſed hoc dici non poteſt; ergo. Prob. min. Actio generativa eſt ipſa formalis paternitas; ſed formalis paternitas non eſt actio elicita; ergo &c.

Reſp. neg. maj. Nam ad rationem potentiæ productivæ non eſt neceſſe, ut actio productiva eliciatur phyſicè, & diſtinguatur ab eliciente, ut fit in creatis, ſed ſufficit, ut adſit terminus per illam productus, ut reperitur in Deo, ubi ipſum generare manat ſe ipſo ab Eſſentia per viam intellectus, & eſt ipſa formaliter productio activa termini, ſeu ipſa formalis paternitas.

Objic. 2. Vox potentiæ arguit potentialitatem, & opponitur actui; ergo repugnat Deo, qui eſt actus puriſſimus.

Reſp. neg. ant. maximè in Deo, & in ſenſu, in quo hic loquimur de potentia, quæ eſt virtus activa, quę ſemper coniuncta eſt cum ipſo agere.

Inſt. ergo talis potentia eſt perfectio ſimpliciter; ergo non eſt in Patre potiùs, quàm in Filio, alioqui non eſſent æquales, & præterea paternitas ipſa non dicit perfectionem poſitivam per nos.

Reſp. diſt. 1. conſ. Eſt perfectio realiter, con. formaliter, neg. utranque conſ. Illa potentia realiter, & radicaliter importat fœcunditatem Eſſentiæ cum intellectu, & hoc ſenſu eſt perfectio infinita; ſed formaliter importat ſolam paternitatem, quæ non eſt perfectio, niſi negativè, ut dictum eſt.

Objic. 1. con. 2. par. Omnia abſoluta ſunt communia tribus Perſonis Divinis; ſed memoria fœcunda, ſeu Eſſentia cum intellectu eſt quid abſolutum, & potentia generativa eſt quid notionale, & in ſolo Patre; ergo hæc non conſiſtit in illa memoria.

Reſp. diſt. maj. In ſe abſolutè, & prout præſcindunt à relativis, con. realiter, & prout terminantur per relationes, neg. maj. & conſ. Non enim dicimus, quòd totalis potentia generativa ſit Eſſentia cum intellectu, præciſè à paternitate, cum qua eſt totale principium *quod*, ſed tantùm, quòd conſiderata præciſè ab ea rela-

relatione ſit totale principium *quo*, & formale. Eſſentia cum intellectu præcisè à paternitate non generat, niſi ut *quo*, & velut principium formale proximum, ut autem complectitur paternitatem, generat *ut quod*.

Inſt. Eſſentia, prout complectitur paternitatem, ſupponit generationem, nam prius eſt habere filium, quàm eſſe patrem, & paternitas non poteſt eſſe cauſa ſui ipſius; ergo non poteſt dici, quòd Eſſentia ſit potentia generativa, & generet, prout complectitur paternitatem, & ut per illam terminatur.

Reſp. neg. ant. & rationem ejus, ſaltem de prioritate reali, aut naturæ. Nemo eo ipſo eſt pater, quo generat, & per ipſam generationem activam eſt Pater, & pro eodem inſtanti naturæ habet filium. Correlativa enim ſunt ſimul natura. Non oportet cogitare, nec loqui de Deo, ut de creaturis; in Deo idem eſt poſſe, & eſſe, & agere, in creaturis verò hæc diſtinguuntur, & ſibi ſuccedunt. Hæc patebunt magis ex dicendis de Filio.

Porrò quod dicimus de potentia generativa in Patre, dicendum eſt de potentia ſpirativa in Patre, & Filio quoad voluntatem, & Eſſentiam, cum proportione.

Quæres, *an potentia ſpirativa ſit priùs in Patre, quàm in Filio.*

Reſpondeo, vim illam eſſe quidem priùs origine, non verò ſpirationem.

Ratio 1. par. eſt, quia Pater eſt prior origine, quàm Filius, & Eſſentia cum voluntate non communicatur Filio, niſi per Patrem; ergo virtus ſpirativa eſt prius origine in Patre.

Ratio 2. par. eſt, quia actio ſpirativa, & relatio ſpirativi eſt una indiviſibilis in utroque; ergo non eſt priùs in uno, quàm in altero.

Quæres, *an potentia generandi ſit etiam in Filio.*

Reſpondeo, eſſe quoad omnia abſoluta, non verò quoad relativa.

Ratio 1. par. eſt, quia eadem prorſus Eſſentia cum intellectu, & aliis omnibus perfectionibus abſolutis eſt communis tribus illis Perſonis; ergo quoad hæc illa potentia eſt in Filio, imò & in Spiritu Sancto. Idem eſt de potentia ſpirativa in Spiritu Sancto.

Ratio 2. par. eſt, quia illa potentia quoad relativa, ſcilicet quoad actum generandi, & vim ipſam, habet in Patre actum generandi, & vis ipſa habet in Patre actum, & terminum ſuum adæquatum; ergo quoad hæc repugnat illi eſſe in Filio, nec in Spiritu Sancto. Et idem dicendum de potentia ſpirandi quoad ipſum actum, ſeu ſpirare. Non enim poteſt eſſe in ipſo Spiritu Sancto.

## DISPUTATIO V.

### *De Perſona Filii, ſeu Verbi Divini.*

PRogredimur de prima ad 2. auguſtiſſimæ Triadis Perſonam, & quæ illi ſingularia ſunt, tùm in vocibus, tùm in proceſſione, inveſtigabimus, ſi tamen *generationem ejus quis valeat enarrare.*

## QUÆSTIO I.

### *De nominibus Perſonæ ſecundæ.*

PLuribus nominibus inſignitur hæc Perſona Divina. Filius Dei dicitur; quia ex Deo Patre *naſcitur*, inquit Ambroſius [1]; *Verbum*, *quia ex ore altiſſimi cum perfecta notitia procedit*, imago, ſplendor gloriæ, & ſpeculum, *quia nihil ei deeſt*, *quominùs perfectè Patrem exprimere poſſit*, vapor virtutis Dei, *quia ejuſdem cum Patre naturæ*, candor lucis æterne, *quia ei coæternus*, character, *quia à Patre perſonali differentia, non eſſentiali perfectione diſcretus eſt*, &c. Quærimus ergo, an hæc omnia nomina propriè conveniant huic Perſonæ, & ſaltem de præcipuis erit quæſtio, ut ſunt nomina *Filii*, *Verbi*, *imaginis*, & *ſapientiæ genitæ*, &c. pro quo

Suppono, aliqua dici propriè de Perſonis Divinis, & alia *appropriatè*. Illa dicuntur *propriè*, quæ ſic conveniunt uni ex ratione ſingulari proceſſionis ejus, ut aliis non conveniant, ut nomen *Patris* de prima, & *Filii* de 2. *Appropriatè verò*, quæ ſignificant quidem perfectiones communes à parte rei, ſed per attributio-

[1] 2. *Tr.*

tionem, aut cum aliqua particula reſtrictiva uni appropriantur propter majorem convenientiam cum ſingularibus ejus notionibus. Sic potentia tribuitur Patri, quia magis convenit dignitati paternæ juxta modum noſtrum loquendi; ſic nomen *Sapientiæ* Filio, quia eſt virtus intellectualis, ſicut ille procedit per viam intellectus: & ſic *Amor* dicitur de Spiritu Sancto, quia iſte procedit per viam voluntatis, quaſi amor. Videndum igitur, quænam ex prædictis, & ſimilibus dicantur propriè, vel appropriatè de hac Perſona.

Nomen *Filii* ſignificat Perſonam productam per veram generationem de ſubſtantia Genitoris, & ſimilem in natura, ſeu conſubſtantialem ex vi productionis ſuæ.

Nomen *Verbi* multiplicites legitur dictum in Scripturis. Et 1. *propriè* ad deſignandam ſecundam Trinitatis Perſonam, quatenus eſt proles mentis, ſeu intellectus, & per eam pater ſeſe exprimit, ac repræſentat. Impropriè verò, quando ſumitur ad deſignandas aliquas revelationes, vel juſſiones Divinas ad extra, ut cùm dicitur, *Factum eſt verbum Domini ad Joannem*. Audi Auguſtinum, [1] Verbum *Patris ideò dictum eſſe, quia per ipſum innoteſcit Pater, ſicut verbis noſtris id agimus, cùm verum loquimur, ut noſter animus innoteſcat audienti ..... ſic illa Sapientia, quam Deus Pater genuit, quoniam per ipſam innoteſcit animus ſecretiſſimus Patris, Verbum ejus convenientiſſimè nominatur*. Et Auctor libri de cognitione veræ vitæ inter opera Auguſtini [2]: *Triplex verbum intelligitur, vel cùm homo verbum ore profert*, & eſt vocale, *vel cum idem verbum abſque motu linguæ in corde ſuo format*, eſt mentale, *vel cùm ipſa res, quam ſignificat verbum, intellectu concipitur*, (eſt ideale.) Non eſt quæſtio de 1. nec de 3. ſed de 2. quod dicitur de Deo per analogiam ad noſtrum verbum mentis. Siquidem Verbum Divinum in aliquibus convenit cum verbo mentis noſtræ, & in multis differt. Convenit 1. quòd utrunque eſt ſpirituale, & fœtus mentis, permanens aliqualiter, non verò tranſiens, ut vocale. 2. utrunque eſt immanens intra animam dicentis. 3. utrunque exprimit, ac repræſentat objectum, circa quod formatur,



[1] *de fid. & Symbol. c. 32.* [2] *c. 14.*

eſtque dicentis, & objecti aliqua ſimilitudo. 4. utrumque eſt ſimilis gradus, & ordinis cum mente, ſeu cum cognoſcente. (Hoc coincidit cum 1.) 5. in utriuſque productione nulla fit paſſio, vel motus, qualia ſunt in generatione corporea. *Verbum enim, ne hominum quidem, per paſſionem, aut partitionem gignitur, nedum Dei*, ait Athanaſ. [1] 6. ſicut homo ad extra nihil operatur, niſi præcedente verbo, ſeu cognitione interiori ejus, ſic Deus omnia per Verbum facit ad extra. [2] *Omnia per ipſum facta ſunt*. 7. utrumque eſt relativum ad dicentem, & ab eo diſtinguitur cum aliqua naturæ unitate, vel ſimilitudinis ut in noſtro, vel identitatis ut in Divino. *Verbum non ad ſe dicitur*, ait Aug. *ſed tantum relativè ad eum, cujus verbum eſt, ſicut Filius ad Patrem*.

Differunt autem 1. Quia, cùm mens noſtra ſit vera cauſa verbi ſui, iſtud ab ea dependet, & diſtinguitur in natura, eſtque natura poſterius dicente, Divinum verò ſic adæquat dicentem, & ſic ab eo generatur, ut retineat eandem prorſus Eſſentiam, & ſola origine ſit poſterius, & ſola relatione generationis diſtinguatur cum omnimoda independentia, & æqualitate. 2. Verbum noſtrum eſt fluxum, & adveniente cogitatione naſcitur, & eadem ceſſante deſinit, unumque alteri ſuccedit, *Verbum* autem *Domini manet in æternum*, & *ſemel loquutus eſt Deus*, id eſt *ſemper*, inquit Bernardus, [3] *Una enim, & non interpolata, ſed perpetua loquutio eſt*. 3. Verbum noſtrum eſt accidens exprimens mentem noſtram, & aliquo modo ei ſimile, ſed non eſt ei conſubſtantiale, ſed per illam ſubſiſtit inhæſivè, Divinum verò *eſt per ſe ſubſtantiatum* (ait Euſeb. Cæſar.) [4] *eſt Verbum ſubſiſtens, per ſe exiſtens, & naturale, & ſubſtantiale*. Et, ut loquitur Cyrill. Hieroſol. [5] *mens in nobis ſubſiſtens eſt, verbum autem loquendo prolatum, & in aere diffuſum perit. Nos autem novimus Chriſtum genitum Verbum, non prolatitium, ſed Verbum ſubſiſtens, vivens . . . in propria Hypoſtaſi genitum*. 4. Noſtrum eſt forma conſtituens hominem intelligentem in actu 2. & producitur ex indigentia, ſcilicet ut fiat intelligens, Deus verò Pater ſuum gignit ex

[1] *L. d. Syn. Nicæ.* [2] *Io.* 4. [3] *Ser. de ver. Abach.* [4] *Demonſtra. Evangel. l.* 8. [5] *c.* 3. *n.* 11.

ex fœcunditate, quia priùs eſt intelligens, quàm dicens, &c.

Imago, ex Auguſtino, [1] *eſt totalis ſimilitudo ad alterius repræſentationem expreſſa*. Dicitur 1. *ſimilitudo*, quia debet repræſentare id, cujus eſt imago. 2. *totalis*, quia debet repræſentare non partem, ut veſtigium, ſed totam rem. 3. *expreſſa ad repræſentandam*, alioqui non dicitur verè imago. Ideò ovum perdicis, quamvis ovo *gallinæ ſimile ſit, tamen imago ejus non eſt, quia non eſt ab illo expreſſum*. Sicut autem triplex eſt ſimilitudo, ita & imago. 1. *artificialis*, quæ per artem exprimitur ad repræſentandum aliud, ut ſtatua, vel tabella. 2. *intentionalis*, quæ eſt ſimilitudo ab objecto deducta in facultate rationali, vel ſenſitiva recepta ad illud repræſentandum. Talis eſt ſpecies impreſſa, vel expreſſa. 3. Naturalis, quæ naturaliter producitur in ſimilitudinem alterius, & ad illud repræſentandum, ut filius à Patre. Et hæc imago eſt omnium perfectiſſima, quia repræſentat exemplar in ſua natura, & ſubſtantia, non verò tantùm in figura, ut *artificialis*, nec tantum in modo eſſendi, & intelligibili, ut *intentionalis*. His ergo prælibatis ſit

## CONCLUSIO I.

*Nomen Filii, & Verbi verè conveniunt & ſoli ſecundæ Perſonæ ſanctæ Trinitatis*. Eſt de fide contra Arrianos, quoad 1. p. qui apud Athanaſ. [2] *dicunt, ſterilem eſſe, & infructuoſam naturam Patris, quæ omnibus rebus inſitam, & propagativam dedit ſimilium naturam:* idem docet Cyrill. [3] Alex. & id ſequitur ex eo, quòd negant Filii cum Patre conſubſtantialitatem, & contra *Alogias*, qui non agnoſcebant æternum Dei Verbum.

Prob. 1. ex Scoto, qui ubique agnoſcit in Deo veram generationem, paternitatem, & filiationem, per quam conſtituitur 2. hæc Perſona, ut patet ex textibus hucuſque datis.

Prob. 2. quoad 1. p. ex Script. quæ ubique agnoſcit Dei Filium. [4] *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu,*



[1] *23.qq.73.Ibid.* [2] *Ser.3. de Concil. Nicæ.*
[3] *Dial.Trin.l.2.* [4] *Pſal.2.*

tu, *ego hodie genuit te*. Et [1] *Ante luciferum genui te*. Et (2) *Filius Altiſſimi vocabitur*. Et patet ex ſingulis paginis Scripturæ. Et ipſemet Chriſtus ait de ſe; (3) *Ego, & Pater unum ſumus*, &c.

Idem docent Concilia, & SS. Patres, & Theologi omnes, ut patet ex Symbolis, & alibi, quæ partim citavimus ſuprà, ubi de paternitate, & de vera generatione. Nam ſi in Deo eſt Pater; ergo & Filius, &c.

Prob. 2. ex Scoto, qui per totas diſtinctiones 27. in Scripto Oxonienſi, & 28. in Pariſienſi, ſeu Reportatis, id probat, ſcilicet nomen Verbi convenire 2. Perſonæ, & ſoli.

Prob. ex Script. In qua paſſim hæc Perſona Divina deſignatur nomine Verbi, ut cùm legimus, (4) *In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum, & verbum erat apud Deum*. Et, (5) *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum* &c. Et (6) *nomen ejus Verbum Dei*.

Prob. 3. ex Patribus. Nam inquit Cyrill. (7) *Hoc nomen Verbi quaſi proprium Filii elegiſſe videtur Joannes*. Et Baſil. (8) *Sive eum rationem, ſive Verbum Dei cogitas*, &c. Et Auguſt. (9) *Quod græcè logos dicitur, latinè Verbum, & ratio ſignificatur, melius autem Verbum interpretatur*. Et alibi, (10) *relativè dicitur Verbum, & Imago, & Filius ... Verbum de Verbo dici non poteſt* ( ſicut lumen de lumine ) *quia non ſimul ambo Verbum, ſed ſolus Filius*, &c.

Prob. 3. Illud propriè, & verè convenit alicui Perſonæ, per quod ordinariè appellatur in Scripturis, Conciliis, & Patribus; ſed tale eſt nomen Verbi pro 2. Perſona Divina; ergo vere, & propriè eſt Verbum. Min. patet ex textibus allatis, & aliis. Maj. prob. Nam in rebus fidei Scriptura, Concilia, & Patres non loquuntur metaphoricè, ſed propriè, quantum fieri poteſt. Et certè quis verè diceret, ſanctum Joannem uſum fuiſſe verbis æquivocis, aut metaphoricis ad deſignandam eam Perſonam, quæ pro nobis incarnata eſt, ut cùm dicit, *Verbum caro factum eſt*.

Objic.

[1] *Pſal.* 100. [2] *Luc.* 1. [3] *Jo.* 10. [4] *Jo.* 1.
[5] *Jo.* 3. [6] *Apoc.* 18. [7] *hom. Jo.* 1.
[8] *Ep. de Nicæ. Syn.* 85.
[9] *qq.* 63. [10] 5. *Tr.* 13.

Objic. 1. Joannes non dicit, In principio erat Filius, nec Filius caro factus eſt, ſed Verbum; ergo cenſet, quòd nomen Filii non eſt proprium huic Perſonæ, ſed nomen Verbi.

Reſp. neg. conſ. Nam, ut notat ſanct. Chryſoſt. (1) non dubitat Joannes, quin ſit verè Filius æquè, ac Verbum, ſed ideò uſus eſt nomine Verbi, ut ſignificaret generationem ejus eſſe ſpiritualem, qualis eſt productio verbi noſtri. *Cùm enim docturus eſſet, hoc Verbum unigenitum eſſe Filium; ne paſſibilem quoſpiam naturam ſuſpicaretur, præoccupata Verbi appellatione, omnem aufert ſuſpicationem. Inde enim & Filium, & nulli paſſioni ſubjectum ſignificat.*

Obic. 2. Filius ex vi generationis procedit ſimilis genitori; ſed 2. Perſona non eſt talis; ergo nec eſt Filius. Prob. min. Actio generativa Patris eſt dictio intellectualis; ſed hæc actio non aſſimilat ſibi terminum; ergo, &c. Prob. min. alioqui omnes intellectiones eſſent ſimiles, quia eſſent ſimiles intellectui, & per conſequens inter ſe, tùm quia verbum mentis aſſimilatur objecto, ſed Pater generans non eſt objectum ſuæ dictionis, ſed eſt dicens; ergo &c.

Reſp. neg. min. 1. & 2. argum. & ant. 3. Nam intellectiones aſſimilantur objecto ſimul, & intellectui etiam in creatis, quamvis non ſic liceat loqui de Deo Patre, cujus intellectus identificatur cum objecto, ſeu Eſſentia, & cùm dictio, per quam producitur Verbum, ſit illi adæquata, & æterna, non admittit pluralitatem. Ad 2. prob. neg. min. Nam Pater, ut generans, includit Eſſentiam cum ſubſiſtentia per ſummam identitatem, & Eſſentia eſt objectum intellectus ejus, qui per ipſam fœcundatus generat, & ideò ex vi talis actus aſſimilat ſibi Filium.

Inſt. 2. Perſona non procedit in ſimilitudinem, ſed per identitatem cum Patre; ergo nulla ſolutio. Nam identitas non eſt ſimilitudo.

Reſp. neg. conſ. Nam quò major eſt unitas naturæ, eò major eſt ſimilitudo. Hæc enim fundatur in unitate.

Objic. 1. con. 2. p. SS. Patres (2) vocem *logos* vertunt *ſermonem*, aut *rationem* æquè, ac *Verbum*; ſed ratio, & ſermo non ſunt nomina notionalia 2. Perſonæ,



[1] *Hom.* 1. *Jo.* [2] 23, 77. 63.

ſonæ; ergo nec nomen Verbi; ergo 2. Perſona non magis propriè eſt Verbum, quàm aliæ. Major patet ex Auguſtino, Cypriano, Hieronymo, &c.

Reſp. neg. maj. Nam, ut notavimus ex Auguſtino, [1] licèt communiter logos ſit ſermo, tamen in Divinis *meliùs interpretamur Verbum*.

Inſt. Biblia ipſa vulgata ſæpè eandem Perſonam vocat ſermonem ob eandem vocem *logos*, ut cùm legimus: [2] *Omnipotens ſermo tuus à Regalibus ſedibus venit*, & hunc locum applicat Eccleſia Verbo incarnato; ergo vana ſolutio.

Reſp. neg. conſ. Neque enim negamus, quin vox *ſermo* dicatur, & approprietur Filio, ſed contendimus magis propriè dici *Verbum*. Et notatur, quòd poſt Concilium Nicænum, ubi accuratiùs hoc myſterium explicatum fuit, Patres parciùs uſi ſunt voce ſermonis, ſed ordinariè voce *Verbi* ad deſignandam hanc Perſonam.

Inſt. 2. Etiam vox ipſa *Verbi* apud SS. Patres communis eſt primæ, & 2. Perſonæ, imo & toti Deitati. Nam inquit Irenæus, [3] *Deus totus exiſtens mens, & totus exiſtens logos*, ſeu *Verbum*. Et Ambroſ. [4] permittit Filium dici *Verbum de Verbo*, æquè, ac *lumen de lumine, ac Spiritum de Spiritu, ſive Dominum de Domino*. Et Athanaſ. [5] *Qui dicit Deum logon, Eſſentiam ſimplicem ſignificat*; ergo nomen Verbi tam ſignificat Eſſentiam, & Deitatem, quam 2. Perſonam.

Reſp. 1. neg. conſ. Nam, ut mox dicebam, licèt SS. Patres aliquando notionalia enuntient de tota Deitate, v. g. Paternitatem, Verbum, Spiritum, ex quadam licentia, & extenſione, non ſequitur, quin ſtrictè, & rigoroſè ſint propria uni Perſonæ.

Reſp. 2. neg. ant. & conſ. prob. Nam in illis locis Patres loquuntur in alio ſenſu, quàm cùm voces illæ tribuuntur huic Perſonæ. V. gr. Irenæus dicit, totum Deum eſſe *logon*, quatenus Filius, ſeu Verbum eſt totus Deus, & non pars Deitatis, & hæc tota eſt in Verbo. Et Auguſtinus à nobis adductus, *Verbum de Verbo dici non poteſt, quia* (Pater, & Filius) *non ſimul ambo Verbum, ſed ſolus Filius*. Ambro-

[1] *Ibid.* [2] *Sap.* 18. [3] *L.* 2. *c.* 48.
[4] *L. de dimin.* 5. [5] *6.* 2 *r.* 5.

broſius ergo vult tantùm, quòd propter conſubſtantialitatem nomina illa ſibi aliquo modo communicent Perſonæ illæ, non tamen æquè propriè. Et Athanaſ. nihil aliud intendit, quàm illam unitatem naturæ in Perſonis.

Objic. 2. Dicere in Deo non eſt actus perſonalis, ſed eſſentialis; ergo & nomen Verbi. Nam tale eſt verbum, qualis eſt dictio. Prob. ant. Nam ex Scriptura, dicere in Deo, eſt creare. *Ipſe dixit, & facta ſunt*, vel revelare, aut imperare, *Hæc dicit Dominus*, vel intueri, & videre, *Nihil aliud eſt ſummo Spiritui dicere, quàm quaſi cogitando intueri*, inquit ſanct. Anſel. [1] & ſanct. Auguſt. *Formata quippe cogitatio .... Verbum eſt*; ergo ſicut cogitare eſt quid commune in Deo, ita & dicere.

Reſp. neg. conſ. Nam cùm Scriptura, & Patres ſic uſurpant *dicere* in Deo, loquuntur de dictione ad extra, & cùm illud explicant de cogitatione, vel intelligentia, loquuntur de cogitatione, aut intellectione eſſentiali, & tunc illi actus non ſunt *dicere* proprium, ſed metaphoricum. Nam proprium *dicere* eſt actus perſonalis, cujus terminus eſt propriè Verbum.

Inſt. Omnes Perſonæ Divinæ inter ſe loquuntur verè, & propriè, dicentes, v. g. *Faciamus hominem*, &c. ergo & omnes habent Verbum; ergo & verum *dicere*.

Reſp. neg. ant. Nec enim hoc eſt propriè loqui, quod eſt manifeſtare ſe ipſum alteri. Hoc ſoli Patri convenit reſpectu Verbi, qui eſt altera Perſona: ad invicem autem habent unicum intelligere. *Loquitur Pater ad Filium arcano quodam modo naturaliter habentem*, &c. inquit Cyrill. Alex. (2) Locutiones Divinæ, quas memorat Scriptura, reſpiciunt creaturas.

Objic. 4. Verbum externum reſpicit internum, cujus eſt manifeſtativum, voces enim ſunt ſigna conceptuum; ſed Deus ſæpè loquitur ad extra, & tunc verba ejus non reſpiciunt Verbum perſonale, ſed eſſentiale, ergo Verbum in Deo dicitur etiam eſſentialiter, non autem perſonaliter tantùm.

Reſp. diſt. min. Non reſpicit Verbum propriè ſum-



[1] *Monol.* 30. 34. & 60. [2] 19. *Theſ.*

ptum, con. Verbum impropriè, neg. min. & conſ. Nam Verba ęterna Dei ſunt manifeſtativa cognitionis eſſentialis, quæ non eſt propriè Verbum, ſed operatio cummunis toti Trinitati; Verbum autem propriè eſt manifeſtatio mentis, perſonalis, & paternæ, & illud non reſpiciunt verba externa manifeſtativa cogitationum eſſentialium Trinitatis, quæ ſunt impropriè verba.

## CONCLUSIO II.

S*Olus Filius eſt propriè imago in Deo*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Spiritus Sanct. non producitur, ut ſimilis, ex vi productionis ſuæ, & verum eſt, quòd non eſt imago Patris, ſicut Filius, qui ex vi productionis ſuæ procedit, ut ſimilis Patri*; ergo ex Scoto, ratio imaginis propria eſt ſoli Verbo.

Prob. 2. ex Script. in qua Filius Dei dicitur (2) *Imago Dei invisibilis .... ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus*, ſcilicet Patris. Figura enim eſt imago, quatenus formatur ad ſimilitudinem alicujus. Et eodem tendit illud, (3) *Qui cùm in forma Dei eſſet*. Et, (4) *Chriſtus, qui eſt imago Dei*, Et dicebat Philippo; (5) *Qui videt me, videt & Patrem*, ſcilicet in ſimilitudine perfecta, & adæquata. Eodem faciunt alii textus, in quibus dicitur (6) *ſpecies, candor lucis æternæ, ſpeculum, character*, &c.

Prob. 3. ex Sanctis Patribus, & Cyrillo Alex. (7) *Hæc omnia Filius eſt, vox, & ſpecies, & Verbum Patris. Quòd ſi ſpecies eſt, perſpicuum eſt etiam & imaginem eſſe, & characterem*. Et Hilarius, *Infinitas in æterno, ſpecies in imagine*. Et Baſil. *Eſt imago Dei invisibilis, imago non inanimata .... ſed vivens, imò verò ipſa vita*. Et Ambroſ. *Niſi per imaginem Dei ad imaginem eſſe non putes*. Et ſic de aliis.

Prob. 4. In ſolo Filio ſunt conditiones veræ imaginis; ergo ſolus eſt vera imago. Prob. ant. Conditiones illæ ſunt, 1. integra ſimilitudo, 2. proceſſio repræſentantis à repræſentato, & 3. ut illa repræſentatio, ſeu ſimilitudo oriatur ex natura talis proceſſionis; ſed

(1) 1. d. 10. Q. n. 13. (2) *Coloſſ.* 1. (3) *Hebr.* 1.
(4) *Philipp.* 2. 2. *Cor.* 4. (5) *Jo.* 14. 12.
(6) *Theſ.* 9. (7) *Tr.* 2. *con. Euno.*

ſed hæc repeiiuntur in ſolo Filio; ergo in eo ſolo ſunt conditiones imaginis. Maj. patet ex omnibus Theologis, & Patribus. *Non enim conſiſtere poteſt ratio imaginis, niſi per omnia ad archetypum expreſſa ſuis numeris ſit, nihilq; variet*, inquit Baſil. (1) Prob. min. Et quidem de ſimilitudine totali cum Patre, & de proceſſione ejus ab eo, nemo dubitat. Nam inquit Ambroſ. (2) *Cur ſolus Filius imago inviſibilis Dei dicitur, & character ſubſtantiæ ejus, niſi quia in eo naturæ ejus unitas, & majeſtatis expreſſio eſt?* Quod autem id habeat ex vi proceſſionis ſuæ, patet, quia, licèt Spiritus Sanctus ſit perfectè ſimilis Patri, & Filio, & æqualis, tamen id non habet ex vi proceſſionis ſuæ, ſed ſolus Filius, qui procedit naturaliter, & per viam intellectus, qui eſt potentia naturaliter agens, & aſſimilans ſibi prolem ſuam, Spiritus autẽ procedit per viam voluntatis, & non naturæ, ut dictum eſt. Voluntas non eſt potentia naturalis, ſed libera, nec ſolet de ſe aſſimilare ſibi ſuas productiones. Id habet Spiritus Sanctus ex infinitate Eſſentiæ, & voluntatis, quæ propterea non communicatur ad intra, niſi per identitatem, non autem ex ratione propria, & ut voluntas eſt; ergo ſolus Filius habet eam ſimilitudinem ex vi ſuæ proceſſionis.

Objic. 1. Filius non eſt magis ſimilis Patri, quàm Spiritus Sanctus; ergo nec magis imago ejus, & ipſius Filii. Maj. patet. Non enim magis eſt conſubſtantialis Patri, quàm Spiritus utrique. Ideò appellatur imago æquè, ac Filius. Nam, inquit Cyrillus, (3) *Scribentem audi Paulum*, (4) *Quos prænovit conformes fieri imaginis*, &c. *Imago Patris eſt Filius, & Filii Spiritus Sanctus*, inquit Damaſc. (5) Et certè Spiritus Sanctus longè ſimilior eſt Filio, quàm homo, ſed iſte dicitur imago Dei; ergo &c.

Reſp. diſt. antec. Non magis eſt ſimilis ratione identitatis eſſentiæ, & conſubſtantialitatis, conc. ex vi proceſſionis ſuæ, neg. ant. & conſ. Nam patet ex dictis, quòd Filius habet, ut procedat ſimilis ex vi proceſſionis ſuæ, & ex natura principii formalis, *quo*, ſeu intellectus, Spiritus verò Sanctus ex ſola infinitate Eſſentiæ. Et ita intelligendi ſunt PP. cùm dicunt, Spiritum

(1) *Ep.* 37. (2) *de myſter. Incar. c. ult.* (3) 3. *Trin.* 1. (4) *Rom.* 8. (5) *de fid.* 18.

tum Sanctum procedere ſimilem, ſc. propter conſubſtantialitatem. Ad inſtantiam de homine dico, iſtum dici imaginem longè imperfectiorem, & quidem non immediatam, ſed mediatam, & ad *imaginem*. Et prætereà participationem Deitatis habet homo ex vi creationis, & naturæ ſuæ, non verò Spiritus Sanctus, ut dicebamus.

Objic. 2. Imago debet eſſe producta ad imitationem alterius: ſed nulla Perſona Divina ſic producitur; ergo nulla poteſt propriè dici imago. Prob. min. Ubi eſt perfecta identitas, ibi nulla poteſt eſſe imitatio: ſed inter illas Perſonas eſt perfecta identitas; ergo nulla eſſe poteſt imitatio. Prob. maj. Nihil poteſt imitari ſeipſum, nec fieri ad ſui ſimilitudinem, ergo &c.

Reſp. neg. min. 1. argum. & diſt. maj. 2. Ubi eſt perfecta, & pura identitas ſine ulla diſtinctione, conc. maj. & neg. min. non pura, ſed mixta cum diſtinctione, neg. maj. & conſeq. Nam ibi eſt quidem unitas Eſſentiæ, ſed eſt diſtinctio realis Perſonarum, ad quas terminatur relatio ſimilitudinis, licèt fundetur in unitate Eſſentiæ. Unde ſicut Filius dicitur ſimilis, & æqualis Patri, & alius, & diſtinctus à Patre, ita & dici poteſt imitari Patrem ex vi productionis ſuæ, per quam accipit eandem realiter eſſentiam cum Patre. Nec enim poteſt excogitari perfectior ſimilitudo, nec imitatio.

Inſt. Omnis imago procedit ab exemplari, ut præcognito: ſed Verbum non ſic procedit à Patre, ergo non eſt ejus imago. Prob. min. Quod procedit ab exemplari ut præcognito, dependet ab illo, ut effectus à cauſa; ſed talis dependentia repugnat in Deo; ergo Verbum non procedit à Patre, ut ab exemplari, & præcognito.

Reſp. neg. min. & maj. prob. vel ſic diſt. Dependet, ſi forma communicata, & in qua fundatur ſimilitudo, ſit diſtincta in exemplari, & exemplato, conc. ſi ſit in utroque eadem, neg. maj. & conſeq. Nam Eſſentia, in qua fundatur ſimilitudo, & imitatio, eſt realiter eadem in Patre, & Filio. Et ſic nulla poteſt ineſſe dependentia, vel inæqualitas.

Inſt. 2. Ratio illa imaginis cadit in prædicatum perſonale, aut eſſentiale, ſeu commune; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. 1. non in prædicatum

com-

commune, nam in eſſentialibus non eſt proceſſio, omnia ſunt improducta, & communia. 2. non in perſonale; nam inter perſonalitates non cadit ſimilitudo, ſunt potiùs rationes diſtinctionis. Verbum non eſt ſimile Patri ſecundum filiationem, ſed diſſimile; ergo &c.

Reſp. neg. min. & conſeq. prob. Nam ſimilitudo cadit in Verbum ſecundum utrunque prædicatum ſimul, ſeu prout eſt Perſona Divina, ſeu Perſona genita in unitatem naturæ.

## CONCLUSIO III.

*Nomen Sapientiæ dicitur verè de Filio, ſed appropriatè*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. (1) *Quælibet Perſona, ſicut eſt creatrix, ſic eſt artifex .... Tamen appropriatè Verbum dicitur ars, ſicut Sapientia, ſive notitia, quia modo ſuæ proceſſionis competit ſibi, quòd ſit notitia actualis procedens de memoria paterna, declarans omne intelligibile, quod in memoria iſta continetur. Hoc patet per Auguſt.* (2) *Ita dicitur Filius Sapientia Patris, quemadmodum dicitur lumen Patris, & lumen de lumine, & utrumque idem lumen. Sicut intelligitur Sapientia de Sapientia, & utraque una Sapientia*. Scil. Sapientia ſumitur aliquando eſſentialiter, & eſt una in tribus, aliquando notionaliter, & tunc dicitur *Sapientia genita*.

Prob. 2. quoad 1. p. ex Script. quæ ſæpius de Filio, & ejus generatione loquitur ſub nomine Sapientiæ. (3) *Ego ex ore Altiſſimi prodivi primogenita*. Et (4) *Nondum erant abyſſi, & ego concepta eram*. Et, *Ante omnes colles ego parturiebar*. Et (5) Chriſtus *Dei virtus, & ſapientia*. Hæc autem *increata, & coæterna ſunt Deo*, &c.

Prob. 3. ex Patribus, ex Auguſt. (6) cit. à Scoto, *Impium eſt dicere, Deum non eſſe Patrem Sapientiæ ſuæ*. Et Theophylact. *quia Verbum, & Sapientia, & Virtus Patris exiſtit Filius, credimus ipſum ſemper eſſe cum Patre*. Et hinc

Prob. 4. Quia cùm legamus in Scripturis, & Patribus,

[1] *Quodlib.* 8. *V.n.*23. [2] 7.*Tr.* 1. [3] *Eccl.* 24.
[4] *Prov.*1. [5] *Cor.*2. (6) 7. *Tr.*1.*Jo.*3.

bus, Filium vocari Sapientiam Patris genitam, habent aliquam rationem, ob quam illi potiùs tribuant hoc nomen, quàm Spiritui Sancto, & revera per hoc nihil aliud intelligunt, quàm quòd licèt attributum Sapientiæ ſe teneat ex parte Eſſentiæ, & ſit commune, tamen cum aliqua reſtrictione, & addito, v. g. *genitæ*, vel *Patris*, reſtringitur ad ſolum Verbum. Sed in hoc caſu verum eſt, quòd Filius ſit Sapientia; ergo ita dicitur verè.

Prob. 2. p. Per nomen *proprium*, & notionale intelligimus illud, quod ita notificat unam Perſonam, ut eam diſtinguat ab aliis, per *appropriatum* verò illud, quod licèt conveniat aliis, abſolutè tamen propter aliquam convenientiam ſpecialem, quam habet cum notione, proceſſione, & ratione conſtitutiva unius præ aliis, illi tribuitur; ſed nomen Sapientiæ reſpectu Verbi abſolutè non diſtinguit illud ab aliis, ſed tantùm propter convenientiam majorem, quam habet cum ejus notione, & proceſſione, quàm cum notionibus aliarum Perſonarum; ergo &c. Prob. min. Nam ſapientia eſt habitus, ſeu virtus intellectualis, & ſolius intellectus eſt videre, diſcernere, & ſapere. Verbum autem Divinum procedit per viam intellectus, velut principii *quo*, & ideò dicitur Verbum, ergo ſpecialem convenientiam habet cum Sapientia, & ideò rectè dicitur *Sapientia genita*, aut Patris.

Confirm. ex Patribus, qui diſtinguunt in Filio eſſe Verbum, & eſſe ſapientem, ſeu ſapere. *In illa ſimplicitate non eſt aliud ſapere, quàm eſſe; eadem illi Sapientia eſt, quæ Eſſentia... Pater igitur, & Filius una Eſſentia, & una Sapientia, & una Veritas, ſed non Pater, & Filius ſimul ambo unum Verbum*, &c. inquit Auguſt. (1) ergo aliter Filius dicitur Verbum, dicitur enim propriè, & aliter Sapientia, ſc. appropriatè, &c. Et de hoc conveniunt Theologi communiter.

## CONCLUSIO IV.

*Licèt dici poſſit, quòd Verbum eſt Sapientia Patris, non tamen, quòd Pater ſit ſapiens Sapientia genita.* Eſt communior. Et patet ex diſp. præced.

Prob.

[1] *Ibid. c. 2.*

Prob. 1. p. ex dictis. Nam Verbum dici *Sapientiam Patris*, nihil aliud eſt, quàm eſſe genitum à Patre ut Verbum. Unde SS. PP. impugnantes Arrianos, dicentes Verbum non eſſe coæternum Patri, arguebant, quòd ſi vel per momentum fuiſſet ſine Verbo, ſeu Filio, fuiſſet ſine ſermone, ſeu *alogos*, & *aſophos*, ſine *ſapientia*, ergo cenſent, eum eſſe Sapientiam, ſicut & Verbum, & Filium Patris. Prob. antec. ex Athanaſio: (1) *Nonne furioſior eſt, qui vel in cogitationem ſuam admittit Deum alogon, id eſt rationis, & ſermonis expertem, aſophon, id eſt ſapientia carentem fuiſſe?* Et Auguſt. *Deus ſapiens ſempiternam habet ſapientiam ſuam*, ſc. filium ſuum. Et Baſil. (2) *Si eſt Chriſtus Dei virtus, & Sapientia, hæc autem increata, & coæterna ſunt Deo. Non enim fuit aliquando Sapientiæ, ac virtutis expers, increatus, & coæternus eſt Deo Chriſtus*. Et denique hoc patet ex præcedenti.

Prob. 2. p. 1. ex Scoto, (3) & Auguſtino. Nam *actus eſſentialis non eſt alicujus ſuppoſiti, mediante aliquo principio, ut quo, niſi illud ſit tali perſonæ principium eſſendi formale.... Sed Filius, ſive Sapientia genita non eſt Patri formale principium eſſendi, nec principiativum... Sed communicatur ſibi à Patre*, &c. ergo ex Scoto, Pater non eſt Sapientia genita ſapiens, quia hæc non eſt illi principium formale ſapiendi, nec principiativum Patris, &c.

Prob. 2. (quod eodem recidit) Si hec propoſitio eſſet vera, id eſſet vel in ſenſu *formali*, vel in ſenſu *activo*, ſeu *effectivo*, vel *authoritativo*, quaſi Pater acciperet Sapientiam à Filio, vel *ſubauthoritativo*; quaſi ſapere æquè primò veniret à Filio, & à Patre: ſed nihil horum dici poteſt; ergo nec illud. Maj. patet. Non enim apparet, quo alio ſenſu id dici poſſet. Prob. min. 1. non in ſenſu *formali*. Nec enim Filius eſt forma conſtituens Patrem ſapientem, ſicut albedo facit parietem album. Hoc enim dicit imperfectionem tam in Patre, quàm in Filio. Certè Pater eſt formaliter ſapiens Sapientia ingenita, ſicut Filius, & Spiritus Sanctus; ergo ille non eſt ſapiens formaliter Sapientia genita. 2. non in ſenſu *activo*. Nam de

[1] *Orat.* [2] *de fid. & ſymbol.*
[3] 1. d. 32. q. 2. C. n. 3.

de fide eſt, Patrem eſſe à ſe ſapientem, ſicut & eſt Pater à ſe ipſo, non ab alio; ergo & de fide eſt, quòd non accipiat Sapientiam à Filio effectivè. 3. non *ſubauctoritativè*. Nam falſum eſt Sapientiam egredi à Filio æquè primò, & immediatè, ac egreditur à Patre. Nam Pater eam habet à ſe, Filius verò à Patre; ergo in nullo bono ſenſu dici poteſt, quòd Pater eſt ſapiens Sapientia genita.

Confir. hoc. Nam principium *ſubauthoritativum* habet actionem in formam, cujus ſic dicitur principium, v. g. Filius dicitur principium ſubauthoritativum creationis, quia potentiam creandi accipit à Patre, & per eam verè agit, & creat: ſed falſum eſt, quòd Filius ullo modo agat in Sapientiam Patris; ergo & falſum eſt, quòd Pater ſit ſapiens Sapientia genita ſeu à Filio ſubauthoritativè.

Prob. 3. ex PP. maximè ex Auguſtino, [1] qui videtur favere adverſariis. Nam de hac re ſic loquitur. *Quæramus, utrùm ſit ita Pater Sapientiæ ſuæ, ut hac Sapientia ſapiens ſit, quam genuit ... Hæc diſputatio nata eſt ex eo, quod ſcriptum eſt, Chriſtum Dei virtutem, & Sapientiam eſſe*. Et latè oſtendit, quòd idem Patri eſt eſſe, quod ſapere, ſc. utrunque eſt illi eſſentiale, ſi autem *hoc eſt ſibi eſſe, quod ſapere, non per illam Sapientiam, quam genuit, ſapiens eſt Pater, alioqui non ipſe illam, ſed illa ipſum genuit*.

Objic. 1. In Deo Patre idem eſt *ſapere*, quod *dicere*: ſed hæc propoſitio eſt vera, *Pater dicit Verbo*; ergo & ſapit Verbo, ſeu Sapientia genita. Prob. min. ex Auguſtino, (2) & Anſelmo, (3) *Nihil aliud eſt ſummo Spiritui dicere, quàm quaſi cogitando intueri*; ergo &c.

Reſp. 1. diſt. maj. Si ſapere ſumatur notionaliter, ſc. pro generare, conc. ſi ſumatur eſſentialiter, ſcilicet pro intelligere, neg. maj. In primo ſenſu vera eſt propoſitio, quia ſapere, quod eſt eſſentiale, appropriatur Patri, quatenus producit Filium, qui etiam per appropriationem dicitur Sapientia genita. Auguſtinus verò, & Anſelmus ſumunt dicere pro actu eſſentiali, vel indifferenti inter eſſentiale & notionale.

Reſp. 2. diſt. eandem maj. Idem eſt *ſapere*, & di-

[1] 7. *Tr.* 1. & 2. [2] *ibid.* [3] *Monol.* 63.

*dicere* realiter, con. formaliter, neg. maj. Nam in rigore, & formaliter ex natura rei hæc diſtinguuntur; ſapere eſt propriè eſſentiale, & commune, ſicut intelligere, dicere autem eſt notionale, ſicut & generare.

Reſp. 3. etiam in rigore æquivocationem latere in his verbis, *Pater dicit Verbo*. Non enim vera eſt propoſitio in ſenſu benè formali, ſed quaſi activo; quia dicit quidem Verbum, non autem conſtituitur intelligens per Verbum, quaſi Verbum ſit forma, qua conſtituitur formaliter intelligens, ut accidit in nobis. Nam intellectus noſter non tantùm producit verbum mentis, ſeu ſpeciem expreſſam, ſed etiam per illius inhærentiam, & receptionem fit formaliter intelligens. Quod falſum eſt de Deo Patre.

Inſt. 1. Hæc propoſitio eſt vera, *Pater creat Verbum*, nam *omnia per ipſum facta ſunt*; ergo & iſtæ, *Pater ſapit Verbo*, & *dicit Verbo*.

Reſp. neg. conſ. & diſparitas eſt, quia Verbum verè agit, & creat cum Patre ſubauthoritativè per potentiam acceptam à Patre: idem eſt de Spiritu Sancto, at Verbum non dicit, nec generat cum Patre. Et ſicut Pater non dicitur generare Verbo, ſed Verbum, ita eſt de *dicere*. Non enim dicit Verbo, ſed verbum ſaltem propriè loquendo, quia dicere non communicatur Verbo, ſicut creare.

Inſt. 2. Tam Filius cum Patre dat intelligere, & ſapere Spiritui Sancto per ſpirationem, ſeu virtutem acceptam à Patre, quàm eſſe creaturis per potentiam creandi ab eodem acceptam; ſed quia Filius cum Patre creat, verè dicitur, *Pater creat Verbo*; ergo tam verè dicitur, *Pater ſapit Verbo*, ſaltem ſubauthoritativè.

Reſp. diſt. maj. Dat ſapere, formaliter per Sapientiam eſſentialem, quam illi communicat, & quam ille ab eis accipit quaſi paſſivè, con. ſapere activè, id. vim dicendi activè, ſicut Pater dat Filio vim creandi activè, neg. maj. & conſ. Et prætereà diximus, quòd Pater non *creat Verbo*, in ſenſu formali, ſed activo, quatenus Verbum creat cum illo per virtutem ab eo acceptam. Et eodem ſenſu diceretur ſapere Verbo, ideſt cum Verbo per ſapientiam eſſentialem: de quo non eſt quæſtio.

Objic-

Objic. 2. Patres, & Theologi, & ipſe Scotus admittunt iſtam, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto;* ergo & debent admittere iſtam, *Pater ſapit Verbo*, ſeu *Sapientia genita*.

Reſp. diſt. ant. Prout *diligere* eſt actus notionalis, con. prout eſt actus eſſentialis, neg. ant. & conſ. Nam quia dilectio eſt actus notionalis in Patre, & Filio, quo producunt Spiritum Sanctum, hoc ſenſu verè dicunt Patres, quòd illæ duæ Perſonæ diligunt ſe, ideſt uniuntur in productione activa Spiritus Sancti, & diligentes ſe ſpirant. Non autem id dici poteſt, ſi dilectio accipiatur pro actu amoris eſſentialis. Non ita eſt de *ſapere*, quod eſt eſſentiale, ſicut *dicere* eſt notionale. Diligere verò in utroque ſenſu uſurpatur, ſcilicet modò pro actu notionali, modò pro eſſentiali, ut cùm dicitur, *Sic Deus dilexit mundum*.

Inſt. Tam diſtingui poſſet in Deo duplex *ſapere*, quàm duplex *diligere*; ergo tam dici poſſet, *Pater ſapit Verbo*, quàm *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*.

Reſp.neg. conſ.Nam licèt id poſſet fieri, tamen non ita factum eſt ex uſu Patrum, & Theologorum de *ſapere*, ſicut de *diligere*, & ideò unum dici poteſt, & non aliud, Pater non generat per *ſapere*,ſicut & Pater, & Filius ſpirant per actum, qui dicitur *diligere*.

Objic.3. Verbum rectè dicitur Sapientia Patris; ergo & dici poteſt, quòd Pater ſit per illum ſapiens. ant. patet ex Script. [1] qua Chriſtus dicitur Dei virtus, & ſapientia. Prob. conſ. Nam Pater eſt ſapiens ſua Sapientia, &c.

Reſp. diſt. ant. Sapientia Patris activè, quatenus generat Verbum, quod dicitur Sapientia per appropriationem, con. formaliter, quaſi Verbum ſit forma, per quam Pater conſtituitur *ſapiens*, ſicut album per albedinem, neg. ant. & prob. ejus. Nam, ut diximus ex Auguſtino, [2] Chriſtus dicitur *Dei virtus, & ſapientia, quia de Patris virtute, & Sapientia eſt, ſicut lumen de lumine*, &c. Verbum accipit à Patre virtutem, & Sapientiam, ſicut Deitatem, non Pater à Filio.

Inſt. Rectè dicitur, *Pater intelligit*, aut *ſapit in Ver-*

[1] 1. *Cor.* 1. [2] 7. *Tr.* 3.

*Verbo*, & *per Verbum*; ergo & *ſapit Verbo*. Idem enim hæc ſignificat cum illis.

Reſp.neg.conſ. & prob. ejus.Nam cùm dicitur, *Sapit*, vel *intelligit Verbo*, ſignificatur, Verbum eſſe velut formam, qua Pater fit ſapiens, ſicut albedo eſt forma, qua paries eſt albus, cùm autem dicitur, *Sapit in Verbo*, aut *per Verbum*, ſenſus eſt, quòd Verbum exhibet Patri, aut Pater exprimit in eo omnia intelligibilia, quod eſt veriſſimum, non illud.

Alia nomina, quibus deſignari ſolet hæc Perſona, coincidunt cum iſtis, ut cùm dicitur *facies*, *figura*, *character*, *aut ſigillum*, *idem eſt*, *ac cùm dicitur imago*. Nam, inquit Ambroſ. (1) *Imago*, *& ſplendor*, *& character dicitur Dei Filius*, *quia hæc incomprehenſibilem paternæ majeſtatis Divinitatem in Filio*, *& expreſſam ſimilitudinem revelarunt*.

## QUÆSTIO II.

*Ex quarum rerum intuitione generetur Verbum Dei, an ex cognitione creaturarum. Idem eſt de Spiritu Sancto quoad amorem.*

Certum eſt, quòd Verbum eſt alicujus rei expreſſio. Ideò cùm 2. Trinitatis Perſona dicatur Verbum, neceſſariò exprimit, ac repræſentat aliqua objecta cognitionis Patris. Et quærimus, quænam illa ſint, an ſolum objectum primarium, quod diximus eſſe eſſentiam, an ſecundaria, quæ diximus complecti creaturas omnes exiſtentes præteritas, futuras, & poſſibiles. Idem eſt de Amore, quem ſupponit, aut quo producitur Spirit. Sanct. Nam quod de uno dicetur, faciet pro altero cum proportione. Quærimus, inquam, an Verbum procedat ex cognitione, & Spiritus Sanct. ex amore Eſſentiæ, & attributorum, tum Perſonarum ipſarum, tum creaturarum omnium, ita ut cognitio illarum omnium rerum præſupponatur generationi Verbi, & amor earundem ſpirationi Spiritus Sanct. cum aliquo ordine naturæ.

Licèt autem nulla ſit realis ſucceſſio, nec prioritas, nec poſterioritas in Deo, ut ſæpè dictum eſt, tamen ali-

[1] 2. *de fide proœm.*

aliqua ibi concipitur ſucceſſio ordinis, vel originis, ac rationis, ſecundum quam unum præſupponitur, & præintelligitur alteri, v. gr. licèt unico, & indiviſibili realiter inſtanti reali omnia exiſtant, intelligantur, & fiant in Deo, in quo *nihil prius*, *aut poſterius*, *nihil majus*, *aut minus alterius*; tamen aliquo modo Deus concipitur priùs exiſtens, & ſe cognoſcens, & volens, tùm concipitur cognoſcens, & volens creaturas. Imò in ſe ipſo admittit ordinem. Nam 1. concipitur exiſtens in Eſſentia, ut tali Eſſentia, 2. in Eſſentia cum ſuis modis intrinſecis, v. g. cum exiſtentia, & ſingularitate, 3. cum ſuis attributis, ſapientia, juſtitia, &c. 4. cum modis intrinſecis ſingulorum attributorum, v. g. cum infinitate propria ſingulorum, 5. cum aliquo ordine inter ipſa, nam ſapientia præſupponitur ſanctitati, & virtutes intellectus virtutibus voluntatis, 6. concipiuntur proceſſiones, 7. generatio præſupponitur ſpirationi, 8. creaturæ præſupponuntur perſonarum inter ipſas proceſſiones in eſſe poſſibili, & ſecundum eſſe eſſentiæ ipſiſmet ſecundum eſſe exiſtentiæ, 9. Denique ſecundum eſſe exiſtentiæ præſentis, aut futuræ. His ſuppoſitis

## CONCLUSIO I.

*Cognitio Eſſentiæ, & omnium, quæ continentur formaliter in Deo, ſcilicet attributorum abſolutorum, & relationum, ſeu Perſonarum, præſupponitur generationi Verbi.* Conveniunt omnes quoad Eſſentiam, ferè omnes quoad attributa; quoad Perſonas verò diſſentiunt etiam Scotiſtæ plures.

Prob. 1. ex Scoto 1. par. Pater, inquit, *in 1. ſigno originis intelligit formaliter, & tunc etiam poteſt habere actum volendi formaliter, in 2. ſigno originis gignit Filium, nec tantùm vult illam gignitionem volitione ſequente illam gignitionem, ſed volitione habita in 1. ſigno originis, qua volitione Pater formaliter vult præſuppoſita aliquo modo intellectione, qua Pater intelligit*, &c. Quid autem potiùs intelligeret in illo 1. ſigno, quàm Eſſentiam, & attributa abſoluta? Imò & ſeipſum, & Filium, non enim poteſt velle illius gi-

[1] 3. d. 4. L. n. 5.

gignitionem, niſi eundem cognoſcat in eodem 1. ſigno, nec poteſt eum velle, & cognoſcere, ut Filium, quin ſe cognoſcat, & velit, ut Patrem, ergo ex Scoto, cognitio Eſſentiæ, & eorum omnium, quæ ſunt formaliter in Deo, præſupponitur generationi, & ſpirationi.

Prob. 2. ex Auguſt. [1] Verbum procedit ex cognitione perfectiſſima, & comprehenſiva Patris, quem ex ſe perfectiſſimè repræſentat; *Pater genuit Verbum ſibi æquale per omnia; non enim ſeipſum perfectè, & integrè dixiſſet, ſi aliquid minus, vel amplius in Verbo ejus eſſet, quàm in ipſo: & ideò Verbum hoc verè veritas eſt, quoniam quidquid eſt in ea ſcientia, de qua genitum eſt, & in ipſo eſt, quod autem in ea non eſt, nec in ipſo eſt*. Sed ſcientia Patris non eſſet perfectiſſima, & comprehenſiva, niſi terminaretur ad Eſſentiam, & ad omnia, quæ formaliter in ea continentur, ut ſunt attributa, & Perſonæ; ergo generatio Verbi præſupponit cognitionem Eſſentiæ, & eorum omnium, quæ in ea formaliter continentur. Maj. patet ex Auguſtino, & quia Verbi generatio eſt ſine dubio cum omni perfectione. Prob. min. Nam cognitio perfectiſſima, & comprehenſiva debet exhaurire cognoſcibilitatem objecti, ſaltem quoad ea, quæ in eo continentur formaliter; ergo &c.

Dices, Verbum procedere ex cognitione comprehenſiva intenſivè, non extenſivè, ad comprehenſionem verò intenſivam ſufficere cognoſcere Eſſentiam quoad prædicata, & modos ejus intrinſecos, & abſolutos, non verò quoad relativos, & perſonales, alioqui deberet etiam generari ex cognitione creaturarum actualium, quod eſt contra Scotum.

Contra 1. Quia gratis dicuntur excludi ab objecto cognitionis comprehenſivæ rei aliquæ formalitates in ea reales, & formaliter exiſtentes, & realiter identificatæ; ſed tales ſunt relationes originis, & perſonalitates; ergo pertinent ad perfectionem comprehenſionis etiam intenſivæ. Prob. ant. Nam, ut dicebam, comprehenſio debet adæquare cognoſcibilitatem objecti, debet ſaltem attingere omnia, quæ verè, & formaliter illi inſunt per identitatem realem.

Contra 2. quia gratis etiam diſtinguitur comprehen-

[1] 15. *Tr.* 14.

henſio intenſiva, quoad ea, quæ inſunt objecto verè, & formaliter, & per identitatem realem. Nam ea omnia pertinent ad intenſivam, quocunque modo explicetur. Nec enim objectum dici poteſt in ſe intenſivè comprehenſum, quandiu aliquid ejus intrinſecum, & reale excedit, & eſt extra cognoſcentem. Nam, inquit Auguſt. (1) *Quidquid ſcientia comprehenditur, ſcientis cognitione finitur*, &, *Aliud eſt videre, aliud videndo comprehendere; id videtur, quod præſens utcunque ſentitur, totum autem videndo comprehenditur, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem*; Perſonæ autem, ſicut & attributa, ſunt aliquid Dei; ergo quando illæ non cognoſcuntur, cognitio non eſt comprehenſiva, ne quidem intenſivè.

Objic. 1. ex Scoto. Sola Eſſentia in ſe abſolutè eſt objectum primarium cognitionis Divinæ, & in 1. ſigno Pater, ut conſtitutus ex Eſſentia, & paternitate cognoſcit ſe; ergo Verbum gignitur ex ſola cognitione Eſſentiæ, & paternitatis. Prob. ant. 1. quia decet Patrem eſſe perfectè beatum, priùs quàm generet, alioqui reciperet illam perfectionem à Filio. 2. quia non eſt neceſſe, *Spiritum Sanctum eſſe præcognitum Patri, & Filio in inſtanti originis, in quo ſpiratur*. 3. quòd ſolius Eſſentiæ notitia præſupponitur generationi Verbi. (2) Nam *intellectus Divinus habens Eſſentiam objectum ſibi præſens, non tantùm eſt potentia operativa, ſed etiam productiva Verbi infiniti*, &c. Et (3) quòd objectum primarium *intellectus Divini, & voluntatis eſt ſola Eſſentia Divina, & omnia alia ſunt tantùm ſecundaria*. Unde infert, (4) quòd *Perſonæ priùs producuntur, quàm objectum aliquod aliud, quàm primarium præſentetur*; ergo ex Scoto Verbum gignitur ex ſola cognitione Eſſentiæ, non verò Perſonarum.

Reſp. neg. ant. maximè quoad 2. par. & conſ. illatam ex illis textibus benè intellectis. Nam potiùs infertur contrarium. Ex 1. textu Pater ſeipſum cognoſcit diſtinctè ut Patrem, priuſquàm generet; ergo & Filium. Nam ex Scoto, & Philoſopho, correlativa, quales ſunt pater, & filius, ſunt ſimul natura, & cognitione.

Ex

[1] 11.*ci*.28.*Ep*.112. [2] 1.*d*.1.*q*.2.*C*.*n*.5.
[3] *d*.10.*R*.*n*.14. [4] 2.*d*.1.*q*.1.*D*.*n*.9.

Ex 2. habes tantùm, quòd Spiritus Sanctus non debet priùs cognoſci ut futurus, nec prioritate *in quo*, ſeu quoad eſſe, quia in Deo nulla eſt talis prioritas, nec poſterioritas; ſed non negat prioritatem *à quo*, ſeu originis, imò eam expreſsè docet. *Poteſt Pater dici, quòd in illo priori originis, antequam intelligatur Spiritus Sanct. ſpirari, Pater, & Filius cognoſcunt Spiritum*, &c.

Ex 3. nihil habes de ordine inter Eſſentiam, & origines ad intra; ſed comparatio tota eſt inter productiones ad intra, & ad extra, ſeu inter æternas, & temporales, & inter objectum primarium, & abſolutè, & ſimpliciter ſecundarium, quales ſunt creaturæ. Nam attributa, & perſonalitates reſpectu creaturarum ſunt de objecto primario; ſunt autem de ſecundario ſecundum quid, & reſpectivè ad Eſſentiam, quæ ſola de ſe eſt objectum motivum intellectus Divini; attributa verò, & relationes perſonales ſunt de objecto terminativo.

In forma igitur diſt. maj. Sola eſſentia eſt objectum primarium, motivum, & reſpectivè ad attributa, perſonalitates, & proceſſiones ad intra, conc. objectum abſolutè, & quoad omnia, quæ formaliter, & ex natura rei ſunt in Deo, & comparativè ad creaturas, neg. maj. Nam ſub hoc reſpectu attributa, & perſonalitates, & proceſſiones ſunt etiam de objecto primario, ſaltem ſecundum quid, creaturæ verò ſunt de objecto ſimpliciter ſecundario. Dico, Eſſentiam eſſe objectum primarium motivum, quia ex ſe ſola habet vim movendi, & determinandi intellectum Divinum ad ſui intuitionem, & repræſentandi ei omnia intelligibilia, ut diximus aliàs.

Objicies 2. Cognitio Verbi, & Spiritus Sancti, quam præſupponimus generationi, & ſpirationi, eſt vel abſtractiva, vel intuitiva; ſed neutrum dici poteſt; ergo malè præſupponitur. Prob. min. 1. non abſtractiva, quia hæc eſſet imperfecta, & nihil Dei abſtrahit ab eſſe, omnia in eo ſunt neceſſe eſſe. 2. non intuitiva, quia hæc terminatur ad rem, ut exiſtentem, & præſentem, ſed in illo ſigno præcognitionis Perſonæ illæ non ſupponuntur exiſtentes; ergo nec in illo ſigno cognoſcuntur intuitivè.

Reſp. neg. min. utranque. Nam licèt Eſſentia, ut dicebam, ſit objectum primarium motivum talis cognitionis, tamen Perſonæ terminant etiam illam ut exiſtentes in Eſſentia, & in ſe.

Inſt. Cognitio illa preſupponitur generationi, & ſpirationi; ergo & exiſtentiæ Perſonarum illarum, alioqui Verbum preſupponeretur ante ſuam generationem, & Spiritus Sanctus ante ſuam ſpirationem. Nam ſupponuntur cogniti intuitivè, antequàm producti, ſeu ut exiſtentes, antequam exiſtant.

Reſp. diſt. ant. Præſupponitur generationi, prioritate *à quo*, conc. prioritate *in quo*, neg. ant. & conſ. Nam cognitionem Verbi præſupponi ejus productioni non ſignificat, quòd illa cognitio exiſtat per ullum inſtans reale ante actualem generationem, & exiſtentiam Verbi, quaſi cognoſcatur ut futurum, neque ut ulla præſcindat ab actuali exiſtentia Verbi, (quod tamen putant aliqui Scotiſtæ) ſed quòd eodem inſtanti reali cognoſcatur, & generetur, & exiſtat ſimultate *a quo*, & quòd Pater generans perfectiſſimè cognoſcat ſeipſum, & ipſum Verbum, & Spiritum Sanctum cum aliqua prioritate *à quo*, & quatenus Pater ut generans, & cognoſcens eſt prior origine Verbo genito. In hoc ſolo conſiſtit prioritas pura, *à quo*, ut importet omnimodam ſimultatem durationis, & naturæ, ſeu *in quo*, ſeu *eſſendi*, ſed ſolam proceſſionem unius ab alio. Quæ valde notanda ſunt.

Objic. 3. Nihil poteſt eſſe principium ſui ipſius: ſed ſi Spiritus Sanctus, & Verbum producerentur ex cognitione omnium, quæ ſunt formaliter in Deo, producerentur ex cognitione ſui, & eſſent principium ſui, imò & Spiritus Sanctus eſſet principium ſui productivi, nempe Verbi; ergo non ſic producuntur.

Reſp. diſt. min. Si procederent ex cognitione Perſonarum tanquam objecti primarii motivi, ſeu determinativi, & ex principio *quo*, conc. tanquam objecti purè terminativi, neg. min. & conſ. Nam ſola Eſsētia influit in illam cognitionem ut objectum determinativum, ſeu motivum, & principium *quo*, perſonalitates verò ut objectum purè terminativum: in quo nulla eſt repugnantia, cum ipſummet objectum produci poſſit in eſſe reali ex ſe ipſo in eſſe cognito, & ideali.

Inſt.

Inſt. Si Verbum produceretur ex cognitione Spiritus Sancti, eſſet imago ejus æquè, ac Patris; ſed conſ. eſt falſum, & contra nos; ergo &c. Prob. maj. Produceretur ad ſimilitudinem Spiritus Sancti æque, ac Patris; ergo &c.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. Nam ad rationem imaginis requiritur, ut exemplar concurrat, & influat in ejus productionem ut principium formale *quo*, & ſecundum eſſe reale imaginati: Spiritus verò Sanctus non ſic influit, ſed purè ut cognitum terminativè. Ideò etiam Verbum non eſt imago ſui, licèt præſupponat in Patre generante cognitionem ſui, id convenit ei reſpectu ſolius Patris. *Conſtat, eſſe ipſam imaginem ejus, cujus eſt Verbum*, inquit Anſel. (1) *Et patet, quòd nec imago, nec ſuimet Filius, nec à ſe procedentis Spiritus congruè dici poteſt. Nam nec ex ſe ipſo, nec à ſe procedente naſcitur, nec ſeipſum ut procedentem à ſe naſcendo imitatur.*

## CONCLUSIO II.

VErbum, *& Spiritus Sanctus non procedunt ex cognitione, nec amore creaturarum, ne quidem poſſibilium*. Ita Scotiſtæ, & alii contra Thomiſtas, & alios non paucos, maximè quoad 2. p.

Prob. 1. ex Scoto (2) generaliter docente, quòd *nulla Perſona Divina conſtituitur in eſſe perſonali per reſpectum ad creaturam. Imò quidquid eſt intrinſecum in Divinis ſive abſolutum, ſive relativum, in quocunque eſſe reali, ſive intelligibili abſtrahitur ab omni reſpectu ad creaturam, & eſt prius quocunque eſſe creaturæ*, &c. Vide in Reportatis, (3) unde hæc quæſtio dicitur translata in ſcriptum Oxonienſe.

Prob. 2. ex Patribus. Nam Auguſt. (4) loquens de cognitione Eſſentiæ, & creaturarum, ait, *Beatus, qui te, & illa novit, ſed non beatior propter illa*; ergo cognitio Dei terminata ad Eſſentiam, & perfectiones internas tam eſt perfecta intenſivè, quàm quæ ad Eſſentiam ſimul, & ad creaturas; & ſic implicante omni creatura, & ejus cognitione adhuc Verbum eſſet idem, quale nunc. Et Anſel. (5) *Sive ergo*



[1] *Monol.* 26. (2) 1. *d.* 18. *D. n.* 5. (3) *Repor. ibid.* (4) 5. *confeſs.* (5) *Monol.* 50.

*ille* (Pater) *cogitetur nullo alio exiſtente ſine aliis exiſtentibus, neceſſium eſt illi Verbum coæternum eſſe ... & ſi nihil unquam aliud eſſet, niſi ſummus ille Spiritus, ratio tamen capit, Verbum illud, quo ſe dicit, ex neceſſitate eſſe*. Quod facit tam pro poſſibilibus, quàm exiſtentibus, & futuris. Sequitur enim, quòd implicante omni creatura adhuc generaretur Verbum.

Prob. 3. de contingentibus. Nam hæc pendent à tota Trinitate; ergo totæ tres Perſonæ præſupponuntur cognitioni creaturarum contingentium, ſeu actualium, & futurarum, quæ ſunt objecta ſcientiæ viſionis.

Prob. 4. Nam productio Verbi eſt abſolutè neceſſaria; ergo non poteſt præſupponere, aut procedere à principio contingenti; ſed cognitio viſionis, ſeu contingentium eſt contingens, ſaltem terminativè, nam ſic Deus videt Antichriſtum futurum, & mundum exiſtentem, ut potuerit non videre, ſicut potuit non creare; ergo proceſſio Verbi non poteſt per ſe ſuppponere ſcientiam contingentium. Certè nullum ens neceſſarium poteſt habere connexionem neceſſariam, maximè tanquam a priori cum contingenti. Hæc enim ex hoc capite eſſet neceſſaria.

Prob. 1. 2. p. ex Doctore (1) eodem argumento. Ens neceſſarium, & infinitum non poteſt præſupponere quidquam finitum, & non neceſſarium; ſed poſſibilia ſunt ens finitum, & non neceſſarium, & proceſſiones Divinæ, & Perſonæ ſunt infinitæ realiter, ſeu in Eſſentia, & neceſſariæ ſimpliciter; ergo non poſſunt præſupponere cognitionem poſſibilium creaturarum, ex qua procedant. Maj. patet, alioqui implicante finito, & non neceſsario implicaret etiam illud infinitum, & neceſsarium, quia illud præſupponeret, & ex illo oriretur, & quaſi penderet, ut à priori. Prob. min. Nam Perſonæ Divinæ ſunt abſolutè neceſsariæ, & realiter infinitæ.

Confirmatur. Quia licèt creaturæ quoad poſſibilitatem ſint etiam neceſsariæ, & objecta ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, quæ eſt etiam neceſsaria, tamen illa neceſſitas longè inferior eſt neceſſitate Perſonarum Divinarum; ergo hæc non poteſt eſse

po-

[1] 1. *d.* 30. *q.* 2. *M. n.* 14.

poſterior, & quaſi dependens, ſeu procedens ab illa.

Prob. 2. Prius eſt Patrem producere Verbum, quàm cognoſcere creaturas poſſibiles; ergo productio Verbi non procedit ex illa cognitione. Prob. ant. Cognitio Dei priùs terminatur ad Eſsentiam, & ad intrinſeca, quæ illa continet formaliter, quàm ad extrinſeca, quæ continet tantùm virtualiter, aut eminenter: ſed Eſſentia Dei continet tantùm eminenter virtualiter creaturas tam poſſibiles, quàm futuras, attributa verò, & Perſonas continet formaliter; ergo prius iſta agnoſcuntur, & ab hac cognitione procedũt Perſonæ. Prob. maj. Quæ ſunt de objecto primario, & ab intra, priùs debent attingi à ſcientia, quam quæ ſunt de objecto magis ſecundario, & extrinſeco; ſed creaturæ omnes ſunt prorsùs extrinſecæ, & de objecto prorſus ſecundario, & magis remoto ſcientiæ Dei; ergo &c.

Prob. 3. & confir. præced. arg. Sicut ſe habet omnipotentia ad creaturas, ita ſe habet ſcientia, & amor earum; ſed potentia ſe habet ad creaturas etiam poſſibiles, ut attributum commune ſupponens perſonas; ergo & ſcientia, & amor creaturarum præſupponunt Perſonas Verbi, & Spiritus Sancti; ergo iſtæ non procedunt ex illarum ſcientia.

Prob. 4. Si Verbum Divinum procederet ex cognitione creaturæ poſſibilis, includeret conceptum talis creaturæ; ſed Verbum Divinum non poteſt includere conceptum creaturæ ſive poſſibilis, ſive actualis; ergo nec produci ex cognitione creaturæ. Min. patet. Si enim includeret conceptum creaturæ, non eſſet merè Divinum. Maj. prob. Nam cognitiones ſpecificantur ab objectis; ergo ſi actus intellectus Patris, quo producit Verbum, haberet pro objecto creaturas, Verbum ab eis ſpecificaretur, & eas includeret in ſuo conceptu.

Prob. denique. Nam contra ſenſum communem videtur, quòd implicãte ulla creatura implicaret Verbum Divinum, ſed hoc eſſet dicendum, ſi procederet ex cognitione creaturarum poſſibilium; ergo non ſic procedit. Maj. patet. Nam quidquid eſt in Perſona Divina, eſt ſummè neceſſarium, & invariabile; ſed implicante aliqua creatura, Verbum non procederet ex ejus cognitione, & ſic vel non produ-

ceretur abſolutè, vel non produceretur tale omninò, quale eſt, ergo &c.

Objic. 1. contra utranque p. Verbum procedit ex cognitione infinita, & comprehenſiva; ſed non ſic procederet ſine cognitione creaturarum, ergo &c. Prob. min. Eſſentia Dei tam continet poſſibilia eminenter, & virtualiter, & futura in decretis, quàm ullum attributum; ſed ſi Verbum non procederet ex cognitione attributorum, non procederet ex cognitione infinita, & comprehenſiva; ergo &c. Prob. min. ex Auguſt. (1) dicente, *Verbum Divinum eſſe de omnibus, quæ ſunt in ſcientia Dei. Nam ſi aliquid minus eſſet in Verbo, quam in ſcientia, non eſſet Verbum adæquatum*; ergo cùm creaturæ omnes futuræ, & poſſibiles ſint in ſcientia Dei, ita & Verbum procedit ex earum ſcientia.

Reſp. neg. min. & maj. prob. Nam ad ſcientiam comprehenſivam ſufficit cognoſcere diſtinctè objectum, & omnia contenta formaliter in ipſo, non autem requiritur cognoſci contenta eminenter, aut virtualiter, ut ſuppono ex Philoſophia. Unde ad comprehenſionem debet eſſe talis commenſuratio, & adæquatio, ut tanta ſit cognitio, quanta eſt cognoſcibilitas objecti in ſe. Creaturæ autem non pertinent ad Eſſentiam in ſe; illa ſola, & quæ in ea formaliter continentur, ut attributa, & Perſonæ, ſunt de objecto per ſe, & primario ſcientiæ Divinæ. Ad Auguſt. con. Verbum Divinum eſſe de omnibus, quæ ſunt in ſcientia Dei, ſed in ſuo ordine, & modo, quo ſunt in illa, ſc. primariò de illis, quæ ſunt de objecto ejus primario, ſc. de Eſſentia, attributis, & perſonis, quæ ſunt in illa formaliter, ſecundariò autem de illis, quæ in ea continentur eminenter, & virtualiter, ut creaturæ omnes tam actuales, quàm poſſibiles: nec aliud intendit Auguſtinus. Certè Eſſentia non reſpicit creaturas, niſi per relationem rationis, quæ non ſunt in illa quid reale, nec perfectio ſimpliciter, ſed rationis.

Objic. 2. Verbum ex vi ſuæ productionis repræſentat omnes creaturas; ergo ex illarum cognitione procedit, alioqui plus eſſet in Verbo, quàm in mente dicentis. Prob. antec. Alioqui enim non adæquaret ſcien-

(1) 15. *Tr.* 14. & 15.

ſcientiam Patris, quia hæc terminatur ad omnes creaturas; ſed conſ. eſt abſurdum, & falſum; ergo omnia repræſentat.

Reſp. diſt. ant. Repræſentat eo modo, & ordine, quo ſunt repræſentabiles, con. repræſentat omnes æquè primò, neg. ant. & conſ. Sicut enim creaturæ ſunt de objecto ſecundario, & extrinſeco ſcientiæ Patris; ita eas repræſentat Verbum, ſc. ſecundariò, & quaſi per accidens.

Inſt. Major eſt perfectio in Verbo, quod procedat ex perfectiori notitia; ſed notitia Eſſentiæ, & creaturarum omnium, maximè poſſibilium, eſt perfectior, quàm ſolius Eſſentiæ, & contentorum formaliter in ea; ergo procedit ex ſcientia creaturarum.

Reſp. diſt. min. Eſt perfectior extenſivè, con. intenſivè, neg. Nam cognitio Eſſentiæ, & eorum, que in eà continentur formaliter, eſt infinita, nec perfectionem ullam intrinſecam accipit ab objectis extrinſecis purè terminativè, quales ſunt creaturæ omnes, etiam poſſibiles. Qui novit Eſſentiam, novit omnia radicaliter, & eminenter.

Inſt. 2. Non poteſt procedere ex perfecta cognitione Eſſentiæ, & attributorum ſine cognitione connexorum cum illis; ſed omnes creaturæ ſunt connexæ cum Eſſentia, & attributis; ergo Verbum debet procedere ex earum notitia æquè, ac Eſſentiæ, & attributorum. Prob. min. Nam omnipotentia, v. g. reſpicit neceſſariò effectus omnes, qui ab ea dependent, ſic providentia, &c.

Reſp. diſt. maj. Si connexio illa ſit neceſſaria, & realis, & intrinſeca Eſſentiæ, vel attributis, con. ſi non ſit realis, neceſſaria, & intrinſeca Deo, neg. maj. Et ſic diſt. min. Omnes creaturæ ſunt connexæ ab extrinſeco, & per ſolam relationem rationis ex parte Dei, & contingenter, ſaltem quoad actuales, con. ab intrinſeco Deitatis, aut attributorum, & neceſſariò, & per quid reale ex parte Dei, neg. min. & conſ. Nam, ut diximus aliàs, Deitas, vel attributa non fundant ullam realem relationem ad creaturas.

Inſt. 3. Qualiſcunque ſit illa relatio, non poteſt cognoſci perfectè, & diſtinctè virtus illarum productiva, quin & illæ cognoſcantur; ſed Verbum proce-

dit ex cognitione talis virtutis, ſeu omnipotentiæ, ergo & creaturarum.

Reſp. diſt. maj. Quin & illæ cognoſcantur ſecundariò, & quaſi conſequenter, con. primariò, & quaſi à priori, & directè, neg. maj. & conſ. Non enim procedit Verbum ex illa cognitione ſecundaria, ut dictum eſt. Nulla impoſſibilitas venit ex parte Dei, & *ſi nihil unquam aliud eſſet, niſi ſummus ille Spiritus, ratio tamen cogit, Verbum illud, quo ſe dicit, ex neceſſitate eſſe*, inquit Anſelmus cit.

Inſt. 4. Eſſentia, & omnipotentia ſunt priora notionalibus; ergo cognitio comprehenſiva omnipotentiæ, & poſſibilium, quæ in ea continentur, præcedit generationem Verbi, quia hæc eſt actus notionalis.

Reſp. diſt. ant. Sunt priora ſecundum eſſe ſuum abſolutum, con. ſecundum relationes ad extra, neg. ant. & conſ. Nam, ut diximus, quæcunque in Deo dicuntur ad extra, ſeu ad creaturas, ſupponunt Trinitatem perfectam Perſonarum: ergo & cognitio potentię ſecundum reſpectum ad creaturas poſſibiles eſt poſterior cognitione, ex qua producitur Verbum. Ita eſt de amore pro Spiritu Sancto.

Objic. 3. Cognitio, ex qua procedit Verbum, tam neceſſariò terminatur ad creaturas, quàm ad eſſentiam, quia eſt indiviſibiliter una, & neceſſariò terminatur ad omne intelligibile, & maximè ſcientia ſimplicis intelligentiæ, eſt enim ex eodem objecto motivo, nempè Eſſentia: ergo Verbum tam procedit ex cognitione creaturarum, maximè poſſibilium, quàm Eſſentiæ, & attributorum.

Reſp. neg. conſ. quia indiviſibilitas actus non impedit ordinem objectorum terminantium, nec facit, quòd objecta purè terminantia, ſecundaria, & externa præſupponantur cognita priùs origine, quàm generetur Verbum ex cognitione Eſſentiæ, & eorum, quæ in ea continentur formaliter, & ſunt de objecto primario interno, nec per conſequens facit, ut Verbum idem procedat ex cognitione objectorum externorum, & purè terminantium, quacunque neceſſitate id fiat.

Objic. 4. Deus Pater ipſo inſtanti originis, quo generat Verbum, cognoſcit creaturas diſtinctiſſimè;

ergo generat ex cognitione creaturarum. Nam generat ex omni cognitione, quam habet, & eam totam illi communicat per eandem generationem. Prob. ant. Niſi enim omnia illa cognoſceret, tunc ſcientia ejus diceretur creſcere per Verbum, dum per generationem ejus ſciret, quæ prius neſciebat, quod falſum eſt.

Reſp. diſt. ant. Ipſo inſtanti reali, con. ipſo inſtanti ordinis, & originis formaliter, neg. ant. & ſeq. prob. Nam ſicut nihil accreſcit, nec mutatur in Patre, licèt producat Spiritum Sanctum in inſtanti originis poſt genitum Verbum, & licet poſterius ad utranque productionem decernat creationem rerum, & aliquos alios actus habeat aliquo modo ſucceſſivo, ſaltem ſecundum nos; ita nihil vetat dicere, quòd in aliquo ſigno priori cognoſcens Eſſentiam, & attributa ad intra, generet, & in alio ſigno poſteriori, & ordinis, ſeu originis cognoſcat creaturas, & alia objecta ſecundaria externa, nec ſequitur, quòd hanc poſteriorem cognitionem accipiat à Verbo, ſed ad ſummum cum Verbo.

Quæ diximus de cognitione pro generatione Verbi, dicenda ſunt proportionaliter pro ſpiratione, & de amore, quo Pater, & Filius ſpirant, quòd ſcilicet ille amor non reſpiciat per ſe creaturas. In quo non immoramur diutiùs.

## QUÆSTIO II.

*Per quem actum intellectus generetur Verbum, an per intellectionem, an per dictionem.*

NOn minùs celebris eſt hæc controverſia, in qua eoſdem ferè habemus adverſarios. Juvabit autem videre, quæ diximus in Philoſophia de verbo mentis. Ibi diſtinximus actum *operativum* à *productivo*, primum vocamus *intellectionem*, quæ conſiſtit in formali perceptione objecti per receptionem ſpeciei expreſſæ, ſeu verbi in intellectu, per quam receptionem informatur, & conſtituitur formaliter intelligens, & hoc in creatis. 2. vocamus *dictionem*, quia eſt actus, quo intellectus, ut fœcundatus per ſpeciem impreſſam objecti, producit ſpeciem expreſ-

ſam ejuſdem objecti, qua, ut dicebam, informatur, & fit intelligens, ſeu operans. In Deo tamen non ita omninò philoſophandum, ſed ab eo removendæ ſunt omnes imperfectiones ſucceſſionis, diſtinctionis, dependentiæ, cauſalitatis, patibilitatis, informationis, & ſimiles, quæ reperiuntur in talibus operationibus noſtris intellectivis.

Prior autem actus dicitur *operativus*, ſeu *operatio*, quia nullum terminum realiter ponit in eſſe; & tales ſunt intellectiones, & volitio formaliter; poſterior verò dicitur productivus, quia ponit aliquem terminum in eſſe, ſcilicet verbum mentis, ſeu ſpeciem expreſſam. In voluntate volitio correſpondet intellectioni, ſpiratio dictioni. Per illos intellectus, & voluntas purè reſpiciunt objecta, per iſtos verò producunt, ille ſpeciem expreſſam, iſta amorem objecti. Illi dicuntur eſſentiales in Deo, & pertinentia ad totas tres Perſonas: iſti ſunt notionales, & dictio eſt ſolius Patris, ſpiratio verò eſt Patris, & Filii.

Quia autem eſsentialia, quæ non reſpiciunt creaturas, ſunt priora notionalibus, nam prius eſt Patrem *eſſe*, & *intelligere*, quàm *dicere*, &, ut ait Doctor, (1) *omnis operans, & producens per idem principium priùs eſt operans, quàm producens*, quadam prioritate ordinis, ſeu præſuppoſitionis, qua unum præſupponitur alteri, velut conditio quædam, *ſine qua non*, ſcilicet ex conditione principii, non verò ex ejus indigentia. Sic actus operativus non influit in productivum ut principium *quo*. Igitur Pater priùs concipitur intelligens ſe, & Eſsentiam, quàm producens Verbum, quia talis eſt ordo, & natura intellectus Divini, qui non dicit, nec producit Verbum ex indigentia, & ut intelligat, ſed ex fecunditate, & potiùs, quia intelligit. Non ita eſt in creatis, ubi *dicere* præcedit, & facit *intelligere*.

Porrò *dicere* in Deo ſumi poteſt, 1. eſsentialiter, & eſt ipſa formalis intellectio, vel intellectionis manifeſtatio ad extra, *intellectio*, inquam, ſeu notitia abſoluta, infinita, & communis, qua ſe, & omne cognoſcit Deus. 2. *purè notionaliter*, & eſt ipſa formaliter relatio originis, qua Pater, ut generans, ſeu dicens, reſpicit Verbum genitum. 3. *partim eſſen-*

*tia-*

[1] 1. *d.2.q.6.0.n.22.*

*tialiter*, *& partim notionaliter*, ut cùm intellectio, vel ſapientia dicitur de Verbo per appropriationem, quia ſcilicet procedit per viam intellectus, & cognitionis. Quod valde notandum eſt, ut intelligantur SS. PP. qui modò in uno, modò in alio ſenſu vocem illam *dictio*, vel *dicere* uſurpant. Nos in 2. ſenſu, & purè notionaliter hìc eam ſumimus.

## CONCLUSIO.

VErbum *Divinum producitur*, *non per intellectionem*, *ſed per dictionem formaliter*. Ita Scotiſtæ communiter.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Ordinem quendam videntur habere intelligere*, *quod eſt operatio Patris*, *dicere*, *quod eſt producere Patris reſpectu notitiæ genitæ: non tamen ordinem*, *quòd intelligere Patris ſit cauſa*, *vel principium elicitivum dicere Verbi*, *ſed quòd immediatius intelligere ſit quaſi productum ab eodem*; ergo Scotus diſtinguit intellectionem à dictione, & illam vult priorem iſta origine, & per iſtam produci Verbum. Et alibi docet, [2] quòd *intellectus Divinus habet unum actum correſpondentem intellectioni noſtræ*, *quo actus intellectus Patris formaliter intelligit*, *habet etiam actum correſpondentem actui de genere actionis*, *quo exprimit Verbum*; ergo docet Verbum produci à Patre per actum, qui vocatur dictio. Et alibi [3] diſtinguit dictionem, & intellectionem creatam à Divina, quia in nobis prior eſt dictio, quàm intellectio, è contra in Deo.

Prob. 2. ex Script. in qua 2. Perſona dicitur *Verbum*, quod profertur per dictionem, ut [4] *In principio erat Verbum*, & *Verbum caro factum eſt*. Et [5] *Eructavit cor meum Verbum bonum*. Et, ut notat Epiphan. [6] Hæretici, qui negabant Filium in Deo, Alogiani, id *ſine Verbo* dicebantur. Sed Verbum non exprimitur, niſi dictione; ergo ex Scriptura, & no-



[1] 1. *d.* 2. *q.* 7. *O. n.* 22.
[2] *d.* 6. *E. n.* 4.
[3] *Quodl. b.* 2. *E. n.* 9.
[4] *Jo.* 1. [5] *Pſ.* 44.
[6] *Hæreſ* 51.

mine quo deſignat hanc Perſonam, ſignificatur, eam produci per dictionem, ſeu locutionem.

Prob. 3. ex Patribus. *Nomen Verbi eligit*, inquit Cyril. Alex. (1) *quia eſt maximè proprium, & ſignificativum Divinitatis, & proceſſionis 2. Perſonæ.* Intellectio autem non eſt propria, ſed communis tribus. Et Auguſt. [2] Verbum à ſapientia, ſeu intellectione diſtinguit, & hanc dicit communem, Verbum verò proprium. *Pater, & Filius una ſimul eſſentia, & una magnitudo, & una ſapientia, ſed non ſimul ambo unum Verbum, quia non ſimul ambo unus Filius... Et non eò Verbum, quò ſapientia, quia Verbum non ad ſe dicitur, ſed tantùm relativè ad eum, cujus eſt Verbum, ſicut Filius ad Patrem, ſapientia verò* (intellectio) *eò, quò Eſſentia; & ideò, quia una Eſſentia, una ſapientia.* Et cap. 11 dixerat, *Pater Verbo, quod genuit, dicens eſt, non vento, qui profertur, & ſonat, & tranſit* (ut vocalis,) *ſed Verbo, quod erat apud Deum*; ergo generationem Verbi vocat dictionem. Et alibi [3] clariùs: *Proinde tanquam ſe ipſum dicens Pater genuit Verbum ſibi æquale per omnia.*

Prob. 4. Actus, quo generatur Verbum, eſt notionalis Patris; ſed intelligere non eſt actus notionalis ſolius Patris, ſicut nec ſapere, ut patet ex Aug. cit. ergo Verbum non gignitur per *intelligere*. Prob. min. intelligere ex formali ſuo conceptu eſt quid abſolutum, & immanens in ipſo intelligente, & maximè in Deo, ubi ipſum intelligere eſt ipſum eſſe per unam Eſſentiam, & actum communem; ſed in Deo quidquid eſt abſolutum, eſt commune, & eſſentiale; ergo intelligere non eſt ſolius Patris, non eſt actus notionalis, ſed eſſentialis, & communis; ergo Verbum non producitur per intellectionem, ſed per dictionem.

Dices, *Dicere*, & *intelligere* ſunt idem actus, qui vocatur *dictio*, quatenus per illum producitur Verbum, & *intellectio*, prout per illum tota Trinitas intelligit.

Contra. Tota difficultas eſt de diſtinctione horum actuum, quam aliqui volunt eſſe puræ *rationis ratiocinantis*, aliqui *ratiocinatæ*, alii *virtualem*: nos

Sco-

[1] 7. *theſ.* 1.
[2] 7. *Tr.* 2.
[3] 15. *cap.* 1.

Scotiſtæ *formalem* ex natura rei. Quod ſufficit nobis. Hanc autem diſtinctionem probo. Quod eſt à parte rei principium conveniendi non eſt idem à parte rei cum eo, quod eſt principium differendi; ſed intelligere eſt ratio conveniendi in Patre, & Filio, & dictio eſt ratio differendi; ergo intelligere, & dicere non ſunt à parte rei formaliter idem actus. Prob. min. Pater, & Filius conveniunt in ſapientia, ſcientia, cognitione, ſeu intellectione, & inter ſe diſtinguuntur per dicere, quo conſtituitur Pater, & per dici, ſeu generari, quo conſtituitur Filius; ergo &c.

Contra 2. Quocunque modo dicere, & intelligere diſtinguantur, ſufficit, quòd actus ille, prout eſt intelligere, non eſt actus, quo gignitur Verbum, ſed prout eſt dicere, & quia ſub ratione formali intellectionis non eſt quid relativum, & notionale, ſed abſolutum, & commune, quod ſufficit nobis ad veritatem concluſionis, ſicut fidei ſatis eſt, quòd productio Verbi ſit generatio, non autem proceſſio Spiritus Sanct. quomodocunque illarum principia diſtinguantur.

Prob. denique (quod eodem recidit) quia, ſi à parte rei formaliter intelligere eſſet generatio, ſingulæ Perſonæ, & tota Trinitas generaret formaliter à parte rei, quia ſingulæ intelligunt, & tota Trinitas intelligit formaliter à parte rei; ſed conſeq. eſt error in fide; ergo &c.

Objic. 1. ex Auguſtino. [1] Dicere eſt cogitare, *quædam enim cogitationes locutiones ſunt cordis*. Unde quando in Euangelio legitur de Judæis, quòd de Chriſto *dixerunt in corde ſuo, Hic blaſphemat*, ipſe non locutionem, ſeu dictionem arguit, ſed cogitationem. *Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Et in libro de cognitione veræ vitæ, [2] qui eſt inter ejus opera, *Nihil aliud eſt Filius, vel Verbum Dei, quàm cogitatio, vel ars, vel ſapientia ejus .... Deus cùm ſe ipſum cogitavit, ſimilem ſibi per omnia imaginem formavit, &c.* ergo ex Auguſtino, Verbum gignitur per intelligere, ſeu cogitare.

Reſp. neg. conſ. Nam in 1. loco dicit tantùm Auguſt. cogitationes eſſe quaſdam locutiones, ſed non



[1] 15. Tr. 10. [2] c. 19.

in ſenſu rigoroſo, in quo hic ſumitur locutio, ſcilicet pro actu diſtincto ab intellectione. Locutio Judæorum erat quædam cognitio reflexa ſuper iis, quæ audiebant à Chriſto. In 2. autem, ſi liber ille eſset Auguſtini, ſibi contradiceret. Nam in illo priori cit. de Trinitate (1) docet, *illud Verbum, ut Dei cogitatio non dicatur..... non ergo ille Dei Filius cogitatio eſt Dei; ſed Verbum Dei dicitur*. Igitur vel ex iſta contradictione rejiciendus eſset ille liber ex operibus Auguſtini. Et re vera non eſt ejus.

Inſt. Dicere in Deo non eſt actus perſonalis, ſed eſſentialis; ergo per illud non gignitur Verbum, aut Verbum non eſſet perſonale. Prob. ant. Dicere tribuitur Deo Creatori. *Dixit Deus, fiat lux*. Et, *Ipſe dixit, & facta ſunt*. Item de Deo conditore legum, *Hæc dicit Dominus*, &c. Unde inquit Anſel. [2] *Nihil aliud eſt ſummo Spiritui dicere, quàm cogitando intueri*; (quod eſt commune toti Trinitati) *ejus ſcire, & intelligere non eſt aliud, quàm dicere*. Et ſicut non ſunt tres intelligentes, nec ſcientes, *ita nec tres dicentes ſimul, ſed unus dicens*; ergo *dicere* non eſt actus notionalis; ergo nec eſt productio Verbi.

Reſp. neg. ant. & diſt. prob. ejus. Dicere abſolutum, & impropriè, & latè, con. *dicere* relativum, ſtrictum, & proprium, neg. ant. Non enim de iſto loquitur Scriptura, nec Anſelmus in illis textibus. Scriptura loquitur de dictione ad extra. Accipe utriuſque ſignificationis uſum ex Anſelmo: [3] *Licèt unuſquiſque ſe ipſum, & omnes invicem ſe dicant*: vides *dicere* abſolutum eſſe idem, ac intelligere: *impoſſibile tamen eſt in ſumma Eſſentia eſſe Verbum aliud præter illud, de quo jam conſtat, quod ſic naſcitur in eo, cujus eſt Verbum*. Ecce Verbum, dicere, ſeu loqui perſonale. Nam Verbum non eſt ſine locutione, ſeu dictione.

Objic. 2. Non ſunt multiplicandi actus ſine neceſſitate; ſed nulla eſt neceſſitas diſtinguendi *intelligere*, & *dicere*; ergo non diſtinguuntur; ergo Verbum tam producitur per intelligere, quàm per dicere. Prob. min. Quidquid tribuitur dictioni, convenit intellectioni; ergo nulla eſt neceſſitas eas diſtinguendi. Prob. ant. Tam intellectio eſt notionalis in Patre,

[1] c. 16. [2] *Monol.* 36. & 34. [3] c. 6.

tre, & prout eſt in eo, tam eſt illi propria, quàm ipſa paternitas, nam ſub hoc reſpectu non eſt alibi; ergo ceſsat ratio diſtinctionis.

Reſp. neg. min. 1. argum. ant. 2. & 3. Non enim intelligere magis eſt perſonale, & proprium Patri, prout in eo eſt, quàm ſit perſonale in Spiritu Sancto, prout in ipſo. Et idem eſt de iſto actu, ac de aliis omnibus attributis abſolutis, v. g. de ſapientia, potentia, &c.

Objic. 3. Illa dictio perſonalis eſt vel prior, vel poſterior, vel concomitans intellectionem; ſed nullum horum dici poteſt; ergo non datur talis dictio. Prob. min. 1. non prior, quia notionalia ſunt poſteriora eſsentialibus, ſed intellectio, per nos, eſt eſſentialis; ergo illa dictio non eſt prior intellectione. 2. non poſterior, quia jam ſupponeret intellectionem productam; ergo & Verbum jam productum. 3. non concomitans, tum quia, ex Scoto, intelligere eſt prius origine, tùm quia ſic duo actus concurrerent ad generationem, ſcilicet intelligere, & dicere.

Reſpondeo neg. min. Nam dicere eſt poſterius ordine, ſicut in corpore luminoſo *lucere* eſt prius, quàm *illuminare*. Neg. etiam rationem 2. prob. Nam intellectio nec producitur, nec producit, ſed eſt actus purè operativus, quo memoria Patris fœcundatur ad productionem Verbi. Non eſt diſcurrendum de intellectione Dei, ſicut de noſtra; hæc ſequitur dictionem, & conſiſtit in receptione Verbi mentis, quo formaliter fit intelligens, at in Deo intelligere prius eſt dictione; ut notavimus.

Inſt. 1. Illa intellectio prior dictione vel aliquid operatur, vel nihil, ſi nihil; ergo fruſtra eſt, ſi aliquid; ergo Verbum. Quid enim aliud operaretur?

Reſp. Nihil operatur ut terminum productum, ſed tantùm fœcundat intellectum Patris, ut generet Verbum ſuum, ſicut lux in luminoſo facit, ut illuminet, & ſicut ſpecies impreſsa fœcundat potentiam, ut producat expreſsam. Tamen id intellige in Deo ſublata omni imperfectione.

Inſt. 2. Illa dictio vel eſt actus intellectus, vel non eſt, ſi non eſt; ergo non producit Verbum, ut *quo*,

ſi eſt,

ſi eſt; ergo non diſtinguitur ab intellectione, quia intellectus nihil aliud producit, quàm intellectionem, & omnis actus intellectus eſt intellectio.

Reſp. quòd eſt quaſi actio intellectus Patris, quia communicat Verbo ſuam intellectionem cum Eſſentia. Sicut calidum communicat ſubjecto ſuum calorem per calefactionem. Sic per dictionem Pater communicat Filio Eſſentiam, & intellectionem, & alia attributa. Dico *quaſi actio*. Nec enim eſt actio vera prædicamentalis, cui correſpondeat vera paſſio. Neutra enim eſt propriè in Deo. Eſt autem totalis productio Verbi de nullo ſubjecto, quæ vocatur relatio originis, qua Pater reſpicit, & generat Verbum, ut terminum per eam productum: Sicut *dici* eſt quaſi paſſio originis, qua Verbum reſpicit Patrem.

Quod autem objicitur, quòd intellectus nihil producit præter intellectionem, neſcio, quo ſenſu. Nam Verbum verè producitur ab illo, & tamen in rigore non eſt intellectio, etiam in ſenſu adverſariorum, ſed terminus productus per intellectionem, ut ipſi volunt, aut dictionem, ut ſuſtinemus.

Objic. 4. Unius potentiæ eſt unus actus, nam potentiæ diſtinguuntur per actus ſuos: ſed in noſtra ſententia, dicere, & intelligere in Deo eſſent duo actus diſtincti; ergo & duo intellectus.

Reſp. ex Scoto, [1] diſt. maj. & rationem ejus. Unicus actus adæquatus, & ejuſdem rationis, con. inadæquatus, & diverſæ rationis, neg. maj. & min. Nam dicere, & intelligere in Patre non ſunt duo actus adæquati, nec ejuſdem rationis, nec realiter diſtincti, ſed tantum formaliter: Nam *intelligere* eſt actus purè operativus, & abſolutus: *dicere* verò eſt actus productus, & relativus. Ille in nobis eſt de genere qualitatis, iſte vero de genere actionis. Ita eſt cum proportione in Deo.

Ex iis, quæ diximus de generatione Verbi quoad actum formalem, per quem producitur, facilè patet, quid dicendum ſit de formali actu, quo producitur Spiritus Sancti. ſcilicet non producitur per actum formalem amoris abſoluti, & eſſentialis, ſed per actum notionalem Patris, & Filii, qui dicitur *ſpiratio*, & for-

[1] I. d. 6. B. n. 3.

formaliter diſtinguitur ab illo amore, ſicut dictio ab intellectione. Nam eædem rationes militant pro utraque productione; quia ſcilicet utraque eſt actus notionalis, & amor ille, ſicut & intellectio, ſunt eſſentiales, & communes omnibus illis Perſonis.

Quæres, *quid ſit Verbum generari de ſubſtantia Patris*, ſeu *quid importet ibi particula de*.

Reſp. id patere ex dictis ab initio de terminis proceſſionum, (1) ubi diximus, per hoc nihil aliud eſſe propriè, niſi quòd Verbum verè procedat à Patre per veram generationem in conſubſtantialitate, ſeu unitate perfecta ſubſtantiæ, non autem Particulam illam ſignificare, quòd procedat de Patris ſubſtantia, velut de materia, vel ſubjecto, ſicut in creatis Filius generatur de ſubſtantia Patris ſui. Idem eſt de Spiritu Sancto.

## QUÆSTIO IV.

### *An generatio Verbi ſit voluntaria.*

ALiquid dicitur voluntarium 1. *directè*, & *elicitivè*, quatenùs eſt à voluntate, ut à principio immediatè agente, ut actus amoris. 2. *imperativè*, & *indirectè*, quatenùs fit ab aliqua potentia per impulſū vel imperium voluntatis, ut motus manuum, aut pedum, & illi actus intellectus, qui pendent à voluntate, quæ illum applicat ad objectum, vel inclinat ad unum præ alio, ut in actibus fidei, ad quos voluntas inclinat per piam affectionem, ut vocant. 3. *contingenter*, & *libere*, quando ſic fiunt, ut poſſent non fieri quoad ſubſtantiam, aut modum. 4. *concomitanter*, vel *conſequenter*, quatenus voluntas ſibi complacet in actibus aliarum facultatum, ad quos antecedenter nihil conferebat. Sic homo vivit volens.

De 1. modo non eſt dubium. Nam patet ex dictis, quòd generatio Verbi eſt *immediate*, & *elicitivè* ab intellectu naturaliter agente, non autem à voluntate. De aliis poteſt quæri, an, & quomodò voluntas Dei Patris ſe habeat ad illam generationem, an *antecedenter*, vel *concomitanter*, vel *ſubſequenter*?

Vo-

[1] *Diſp.* 1. *q.* 7.

Volumus pluviam *antecedenter*, cum illam petimus, *conſequenter*, cùm de illa præterita gaudemus, & *concomitanter*, cùm de illa cadente lætamur. Quæritur ergo an in aliquo ſigno præſuppoſitionis intellectus Patris cognoſcat generationem, & Filium, (idem eſt de Spiritu Sancto) & in eodem ſigno proponat eam voluntati, quæ illam ſic propoſitam velit. Et ſic erit volita quaſi *antecedenter*, ſcilicet præſuppoſitivè. Si autem in nullo ſigno præſuppoſitionis illam cognoſcat, ſed tantum pro illo ſigno, in quo generat, cognoſcat eam, erit volita *concomitanter*, ſi in illo actu generationis voluntas ejus ſibi complaceat. Si autem ſibi tantum complaceat in illo actu quaſi jam perfecto, & quaſi in *facto eſſe*, erit volita *conſequenter*. Unde reſolutio quæſiti pendet è cognitione, qua Pater cognoſcit actum ſuum generationis, & volitione, qua vult eamdem, an ſcilicet illa cognitio, & volitio aliquo modo præſupponantur tali generationi, an ſaltem eam concomitentur, an ſolùm quaſi ſubſequantur.

Certum eſt, quòd tàm cognitio, quàm volitio, quæ præſupponi poteſt generationi, non eſt notionalis, quia Perſonæ non præſupponuntur ſibi ipſis; Pater non præſupponitur ſuo actui generativo, per quem ipſe conſtituitur in eſſe Patris; & ſic illa cognitio, & volitio præſuppoſita generationi non poteſt dici eſſe à Patre, qui nondum eſt in illo ſigno.

Notandum etiam, quod cùm quæritur, *an Pater volens generet Filium*, intelligitur vel 1. de volitione, quæ terminetur purè ad Eſſentiam, & in hoc ſenſu nullus dubitat, quin cognitio, & volitio in Patre ſit priùs circa Eſſentiam, ſeu quin prius cognoſcat, & amet Eſſentiam, quàm generet Verbum, vel 2. de cognitione, & volitione terminata directè ad Perſonam Verbi. Et in hoc 2. ſenſu procedit quæſtio.

## CONCLUSIO.

G*Eneratio Verbi non eſt voluntaria contingenter, benè verò concomitanter, & conſequenter, imò & aliquo modo antecedenter*. Eſt de fide quoad 1. p. & communis

munis quoad 2. & Scotiſtarum quoad 3.

Prob. 1. ex Scoto. (1) *Dico, quòd Pater hoc modo gignit Filium volens, quia Pater in 1. ſigno originis intelligit formaliter, & tunc etiam poteſt habere actum* volendi *formaliter, in 2. ſigno originis gignit Filium; nec tantùm illam gignitionem volitione ſequente illam gignitionem, ſed volitione habita in illo 1. ſigno originis, qua volitione Pater formaliter vult, præſuppoſita aliquo modo intellectione, qua Pater intelligit, non autem præſuppoſita gignitione Verbi; Sic ergo dico, quod Pater generat volens tantum voluntate conſequente, ſed voluntate antecedente*; ergo, & à fortiori, *concomitanter*. Notat tamen Scholiaſtes eum aliter ſenſiſſe alias.

Prob. 1. p.1. ex Conciliis, & Patribus. Nàm Concil. Nicæn.(2) Dei Patris ſapientia verè *eſt ex ipſo Deo, Deus de Deo, æternus de æterno, cùm ſit natura Filius.* Non eſſet *natura Filius*, ſi gigneretur liberè, & contingenter. Nam liberum, & naturale opponuntur eſſentialiter. Idem docent SS. Patres, ſc. Filium eſſe ex Patre *naturale genimen, naturalem fœtum, & naturalem generationem*, ut Athanaſ. (3) *Nam aliud eſt, priuſque voluntate id, quod ſecundum naturam eſt*. Idem docet Cyril. Alex. (4) *Dignitatem habet Filius à natura, ut videlicet Deus Pater ſuus naturaliter ſit*. Et Ambroſ. (5) *Ita non generat ex voluntate, ut neceſſitate ſit Pater*. Et Auguſt. (6) docet, *Verbum eſſe Filium naturæ, non voluntatis*.

Prob. 2. quia ſi generatio non eſſet neceſſaria, Verbum non eſſet Deus, nec per intellectum, qui eſt potentia naturalis agens prorſus naturaliter; ſed conſ. eſt erroneum, & hæreticum; ergo, &c.

Prob. 2. & 3. p. 1. ex Script. qua conſtat, Patrem ſibi complacere, & diligere Filium, ut dicitur, [7] *Delectabar per ſingulos dies ludens coram eo*, &c. Id inquit Tertull. [8] *Eram, cui adgaudebat quotidie*, ſeu (ego ſapientia genita) *ad quam gaudebat. Quotidie autem delectabar in Perſona ipſius*. Et in Euangelio, [9] *Vox Patris* intonat, *Hic eſt Filius meus, in quo mihi benè complacui*. Et ſanct. Athanaſ. *Deus ipſe* ima-

[1] 1.*d.*6.*E.d.*5. [2] *L.*2. [3] *Exod.* [4] *or.*2. *&* 3.*con.* *Or.*4. [5] 4.*fid.*4. [6] 5.*Tr.*20. [7] *Prov.* 8. [8] 6. *con. prax.* [9] *Matth.* 3.

*imaginis genitor eſt*, *quam contuendo exhilaratur*, ſcilicet; dum generat, & conſequenter, dum videt generatum, quippe eſt ſemper in fieri, & ſimul in facto eſſe. Unde Pater inducitur ex complacentia dicens; (1) *Filius meus es tu*, *ego hodie genui te*; quod de æterna generatione explicat Auguſt. (2) propter vocem hodie, quæ ſignificat præſens ſine præterito, nec futuro.

Confir. ex aliis Patribus. Nam Clem. Rom. (3) dicit, *Filium beneplacito Patris genitum*. Et Juſtinus Mar. (4) *Colente Patre prognatum*. Et Cyrill. (5) dicit, quòd licèt voluntas non ſit principium generationis, tamen *hæc non eſt abſque voluntate*, *quæ eſt naturaliter*, *cùm voluntas cum natura ejus concurrat*, *ſimul ut ſit*, *quæ eſt*. Hæc autem, ad minus, intelliguntur de concomitante, ergo, &c.

Prob.4.p.1.& ſimul confir. præcedens ex Concilio Sardicenſi definiente, quòd *affirmantes*, *neque conſilio*, *neque voluntate Patrem genuiſſe Filium anathematizat Catholica Eccleſia*.

2. Prob. ex dictis ſuprà, ſcilicet, Verbum produci ex perfectiſſima cognitione omnium, quæ ſunt in Deo, etiam Perſonarum. Nam ſi generationi præſupponitur cognitio ipſius generationis, & Perſonarum; ergo & volitio eorumdem. Ideò dicebamus ex Auguſtino, (6) quòd *quidquid in ea ſcientia Patris*, *de qua genitum eſt* Verbum; *etiam in ipſo eſt*.

Prob. 3. Nam Pater generans in inſtanti præſuppoſitionis ad generationem eſt beatus, & perfectus ſe ipſo; ergo in eodem priori cognoſcit, & vult Eſſentiam ſuam, ut communicandam Filio, & ipſum Filium, alioqui hæc non cognoſceret, nec vellet à ſe, ſed à Filio; ergo actus, quo Pater vult communicare Eſſentiam ſuam Verbo, non eſt poſterior, ſed prior ipſa generatione, ſaltem prioritate *à quo*, & præſuppoſitionis; ergo vult eam generationem quaſi antecedenter.

Confir. Nam in illo priori Pater cognoſcit, & diligit ſe ipſum; ergo in illo eodem ſigno cognoſcit, & vult generationem activam, qua ipſe eſt Pater, & paſſivam, quæ eſt illi correlativa, & qua eſt Filius. Prob. ant.

[1] *Pſ.*2. [2] *Ibi.* [3] *7.conſtit.*42. [4] *Dial.Triph.* [5] 2.*Tr.* [6] 15.*Tr.* 14.

ant. Omne producens præſupponitur, & eſt prius, ſaltem origine, quàm productum; ergo Pater præſupponitur in ſe omninò perfectus, & beatus; ſed non eſſet talis, niſi in illo ſigno priori ſeſe perfectè cognoſceret, & amaret; ergo ita eſſe dicendum eſt; ergo & quòd generet volens etiam aliquo modo antecedenter.

Objic. 1. con. 1. p. ex Patribus Verbum producitur voluntate; ergo & liberè. Prob. ant. ex Concil. Tolet. II. (1) *Filius voluntas ex voluntate*. Et Clem. Rom. (2) *Ipſum ante omnia ſæcula generaſti voluntate, potentia, bonitate*, &c. Et Athanaſ. (3) dicit, *Verbum eſſe ex voluntate paterna*. Et ſanct. Hilar. *Qui ex ſubſtantia Dei natus eſt, etiam ex conſilio ejus, & voluntate*; ergo Verbum procedit ex voluntate; ergo & liberè.

Reſp. neg. ant. Neque enim id ſomniarunt Patres, ut patet ex dictis, ſed tantùm volunt, quòd Pater generet volens ſaltem concomitanter, & quòd gignendo Filium communicet illi intellectum, & voluntatem. *Nam ſecundum Athanaſium non aliud eſt voluntas, aliud natura Patris*, ait Concil. Tolet. cit. & eodem ſenſu dicit, illum eſſe *naturam de natura*, quo dicitur *voluntas de voluntate, & ſubſtantia de ſubſtantia, & ſapientia de ſapientia*, ut loquitur Auguſtinus. Et ipſe Athanaſ. (4) ait, *Pater Verbum ex natura gignens non prædeliberat, ut ſolet in aliis operibus, quæ voluntate facit, vel decernit .... & de Filio non deliberatur*. Et hæc igitur loca Patrum probant 2. partem concluſionis noſtræ, non impugnant primam.

Objic. 2. pro Arrianis. Deus Pater genuit Filium, vel volens, vel nolens... Si nolens; ergo vim patitur, & quis eſt qui ei vim intulit? ſi volens, ergo liberè.

Reſp. 1. cum eo, de quo narrat Auguſt. (5) quòd quæſivit ab hæretico Eunomiano, *utrùm Deus Pater volens, aut nolens ſit Deus, ſi nolens, ergo coactus, quod eſt magna miſeria, ſi volens; ergo & ipſe Deus eſt ſua voluntate, non natura*. Et eodem modo retorquet argumentum Nazianzenus.

Reſp. 2. diſt. ant. dilemmatis. Producit volens voluntate operativa, eſſentiali, & ſaltem concomitante, con.

[1] 8. *conſtit.* 12. & 16. [2] *Deſyn.* [3] 15. *Tr.* 20.
[4] *Ibid.* [5] *Ora.* 4. *con. Arrian.*

con. volens voluntate elicitiva, ſeu productiva, neg. ant. & conſ. Pater, ſicut intelligit, quod generat, ita & vult generare, ſed voluntas non eſt principium elicitivum *quo* generationis, ſicut eſt principium *quo* ſpirationis, & creationis.

Objic. 1. con. 4. p. Si pater vellet generationem antecedenter, eſſet actus deſiderii, quia eſſet de re, ut non præſenti, ſed futura, aut quaſi futura; ſed tale deſiderium repugnat Deo, & Verbo ipſi, nam diceret imperfectionem, ſcilicet potentialitatem, & abſentiam boni, ſeu Verbi, pro illo inſtanti, & volitio illa antecedens generationem Verbi in Patre illi repugnat.

Reſp. neg. maj. & rationem ejus, tùm quia volitio illa reſpicit generationem, & Verbum, prout relucet in Eſſentia, in qua eſt præſens, tùm quia illa anteceſſio volitionis eſt puræ rationis, & ordinis, ſeu præſuppoſitionis, & conjuncta cum realiſſima præſentia rei volitæ, ſcilicet generationis, & Verbi, ideòque non eſt propriè volitio deſiderii.

Objic. 2. Pater non priùs intelligit generationem Filii, quàm generet; ergo nec prius vult illam. Nam nihil volitum, quin cognitum ſit. Prob. ant. Omnis cognitio Dei ad intra eſt intuitiva; ſed hæc non eſſet intuitiva, ſi præcederet generationem actualem. Non enim eſſet de re præſenti, ut præſenti, ſed ut futura.

Reſp. diſt. ant. Priùs prioritate reali durationis, aut naturæ, & *in quo*, con. prioritate ordinis, præſuppoſitionis, ſeu *à quo*, neg. ant. Et diſt. min. prob. Si præcederet duratione reali, con. prioritate ordinis, ſeu originis, ſeu præſuppoſitionis, & *à quo*, neg. min. & conſ. Prioritas ergo iſta eſt puræ rationis, originis, & præſuppoſitionis, & *à quo*, objectum motivum talis cognitionis eſt Eſſentia, in qua Deus omnia intuetur etiam futura.

Objic. 3. Præcognitio illa eſt omninò ſuperflua; ergo, &c. Prob. ant. Si per impoſſibile Deus non præcognoſceret ſuam generationem, adhuc generaret; ergo de ſe eſt ſuperflua.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam præcognitio, & prævolitio non aſſeritur propter influxum ullum, vel indigentiam ex parte Patris, ſed propter ordinem naturalem actuum Divinorum, ne ſcilicet Deus agat

cæco

cœco aliquo modo, & quia eſſentialia ſunt priora notionalibus prioritate originis, & *à quo*. &c.

Inſt. Pater non ſe noſcit, nec vult priùs, quàm ſit; ergo non priùs noſcit, nec vult generationem activam, quàm actu generet, quia ipſe non eſt priùs, quàm actu generet, cùm non ſit Pater, nec Perſona, niſi per illam generationem.

Reſp. diſt. ant. Pater, ut Pater, con. Pater, ut Deus, præſcindendo à perſonalitatibus, neg. ant. & conſ. Nam illa notitia, & volitio ſunt actus eſſentiales manantes ab Eſſentia abſolutè ſpectata, & illas præcedere paternitatem nihil eſt aliud, quàm Eſſentiam in ſe, & ſuis attributis, & proprietatibus eſſe prius intelligibilem, & volibilem, & volitivam, & intellectivam actibus abſolutis, quam relativis, quod nemo negare debet in bona Theologia.

# DISPUTATIO VI.

*De tertia Trinitatis Perſona, ſeu de Spiritu Sancto.*

SUppoſitis iis, quæ hucuſque diximus de proceſſionibus, & Perſonis in communi, ac de proceſſione Verbi in particulari, pauca reſtant de Spiritu Sancto, quæ breviter expediemus, quantum licebit.

## QUÆSTIO I.

*De exiſtentia, & nominibus Spiritus Sancti.*

PErſonæ hujus exiſtentiam non admitteret Sabellius, qui unicam in Deo agnoſcebat: nec Lactantius, qui teſte Hieronymo, duas tantùm, quod & aliis Hæreticis tribuitur, ſcilicet Patrem, & Filium, dicebatque, Spiritum Sanctum non habere propriam Hypoſtaſim: nec Arrius, qui ſolum Patrem dicebat Deum, Filium verò, & Spiritum Sanctum relegabat inter creaturas: nec Macedonius, qui Deitatem ſoli Patri, & Filio concedebat. Sed his, & ſimilibus erroribus opponitur totius Eccleſię Catholicę doctrina, qua conſtat, tres eſſe in Deo Perſonas realiter inter ſe diſtinctas, ut probatum eſt ab initio hujus tractatus.

Porrò

Porrò nomen *Spiritus*, ſi ſumatur præcisè pro ſubſtantia immateriali, convenit non ſolum ipſi Eſſentiæ, & ſingulis Perſonis, ſed etiam Angelis, & animæ rationali. Vocabulum etiam *Sancti* non faceret differre hanc Perſonam ab aliis. Nam tota Trinitas eſt ſancta, & eſt Spiritus, ſicut & boni Angeli, & animæ juſtæ. Sed quia hæc Perſona procedit a Patre, & Filio per viam voluntatis, & per modum amoris, & per actum, qui dicitur *ſpiratio*, ideò ex Divina inſtitutione nomen iſtud impoſitum eſt tertiæ huic Perſonæ Divinæ velut proprium ejus. Quia inquit Sanctus Thomas, (1) *ſpiritus in rebus corporeis impulſionem quandam, & motionem ſignificare videtur. Nam flatum, & ventum nominamus. Eſt autem amoris, quòd moveat, & impellat voluntatem in amatum. Sanctitas verò illis rebus tribuitur, quæ in Deum ordinantur. Quia ergo hæc Perſona Divina procedit* per modum amoris, quo Deus amatur, *convenienter Spiritus Sanct. nominatur*. Alii analogiam petunt ex eo, quòd *ſpiritus* in nobis ſumitur pro habitu ex interno calore emiſſo; & ita in Deo amor iſte perſonalis dicitur velut *ſpiritus* ex calore, ſeu amore interno Patris, & Filii emiſſus.

2. Appellatur etiam *amor*, ſed *perſonalis*, ſeu *productus*. Nam amor in Deo ſumitur 1. *eſſentialiter*, pro habitudine amantis ad amatum, & ſic convenit toti Trinitati, ut cùm dicitur, *Deus Charitas eſt*. 2. *notionaliter*, & activè, eſtque ipſe actus amoris productivus, qui dicitur ſpirare, & eſt in Patre, & Filio. 3. *perſonaliter*, & paſſivè, pro amore producto, & ſignificat Perſonam Spiritus Sanct. ſicut *Verbum* dicitur de Filio, quia ſicut iſte eſt terminus productus per intellectum dicentem, ita ille per voluntatem ſpirantem.

3. Dicitur *donum*, quod in humanis eſt *datio irredibilis*, id. gratuita, & liberalis ſine ſpe retributionis. Et dicitur 1. *actualiter*, cum actu de præſenti datur. 2. *aptitudinaliter*, quod eſt aptum dari liberaliter. 3. *habitualiter*, ſeu *potentialiter*, cui non repugnat ſic dari, ſive de ſe ſit aptum, ut detur, ſive non, modò id non repugnet. Certum eſt autem, quòd ab æterno Spiritus Sanct. non eſt donum *actuale*,

[1] 1.p.q.36.a.1.

*le*; quia non erat creatura, cui daretur, nec tantum eſt purè *potentiale*, ſed *aptitudinale*, quia ex ſe natus eſt dari magis, quam lapis eſt aptus ad motum ſurſum. 4. dicitur etiam *eſſentialiter*, & ſic convenit aliis Perſonis, ut cùm dicitur de Filio, quòd datus eſt nobis, vel *perſonaliter*, & ſic eſt proprium Spiritui Sancto.

Plura alia nomina eidem tribuuntur ab Eccleſia: ut cùm dicitur, *fons vivus*, *ignis*, *charitas*, *ſpiritalis unctio*, *digitus dextræ Dei*, &c. Sed præcipua ſunt tria prædicta.

## CONCLUSIO

HÆc *tertia Trinitatis Perſona proprio nomine vocatur Spiritus Sanctus, & Amor ſpiratus, Donum verò minus proprie, ſeu appropriatè tantùm*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico ergo, quòd maximè apparet illius tertiæ Perſonæ proprietas conſtitutiva nomine Spiritus Sanct. accipiendo Spiritum Sanctum pro ſpirato voluntate unica ſancta Patris, & Filii: quia talis voluntas habens objectum infinitè diligibile ſibi præſens eſt principium ſufficiens producendi Amorem infinitum, & per conſequens per ſe ſtantem, qui Spiritus dicitur*. Vides nomina Spiritus Sancti, & Amoris producti, & *per ſe ſtantis*, aſſerta de hac Perſona, & duas priores partes concluſionis.

Quoad 3. verò docet, (2) quòd *Donum per ſe primo ſignat reſpectum donabilitatis ad creaturam, vel donativi, vel donandi* (hoc ſenſu eſt quid commune tribus Perſonis) *ſed tamen connotat proprietatem tertiæ Perſonæ procedentis à Patre, & Filio, quia eſt verus Amor ex vi proceſſionis ſuæ, & ſic vere liberè Donum*. Nam *inter omnia dona dantis primum donum, quod dat, & quiſquis dare poteſt, eſt amor ejus, quem primum dat amato, qui eſt ratio cujuſcunque alterius doni, nihil enim habet nomen doni, niſi quantùm cadit ſub actu amoris*; ergo ex Scoto, quia nomen *Doni* in Deo includit reſpectum aliquem creaturarum, non eſt verè proprium alicui Perſonæ, ſed commune, tamen recte dicitur de 3. Perſona, quia con-



[1] 1. *d.8.E.n.6.Refor.ibid.* [2] *ibid.F.n.7.*

connotat proprietatem ejus perſonalem, ſcilicet rationem Amoris producti.

Probatur 1. p. 1. ex Scriptura, & Patribus hanc Perſonam nomine Spiritus Sanct. appellantibus, ut cùm jubet Chriſtus (1) baptizari *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, & [2] *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*. Nam, ut loquitur Ambroſ. [3] *licet Pater ſit Spiritus, & Filius ſit Spiritus, & Pater ſit Sanctus, & Filius ſit Sanctus; tamen tertia Perſona Spiritus Sanct. nuncupatur*. Et Chryſoſt. *Dicitur Spiritus, iſta enim eſt prima, & propria appellatio, & ut evidentiorem habens intelligentiam Spiritus ſancti naturā demonſtrat*. Et ſic de aliis.

Prob. 2. quia ſola hæc Perſona procedit per modum amoris, & voluntatis unitæ in Patre, & Filio; ergo ſpirationis. Nam qui conſentiunt voluntate dicuntur *conſpiratores*. Spirator enim non tam dicitur ab immaterialitate (ſic eſſet communis) quàm a reſpiratione, & habitus emiſſione, & intimo amoris æſtu... *Spiritus* autem *Sanctus ex ipſa Dei ſubſtantia prodit, ſicut & Spiritus* (ſeu flatus) *qui ex humano prodit ore*, ait Cyrillus.

Prob. 2. p. Similiter ex Script. & Patribus. Nam inquit Apoſt. [4] *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*. Nam inquit Auguſt. [5] *Dilectio, quæ ex Deo eſt, & Deus eſt, propriè Spiritus Sanctus eſt... Quid convenientius, quam ut ille charitas dicatur propriè, qui Spiritus eſt amborum?* ſcilicet amor. Et S. Damia. (6) *Hæc ſumma illa charitas eſt, qua Genitus à Gignente diligitur, ſumque diligit Genitorem. Ideoq; non ampliùs, quàm tria ſunt, & eſſentialiter indiviſa, & tripartita proprietate diſtincta, unus diligens illum, qui de illo eſt, & ipſa dilectio, de qua dicitur, quòd Deus charitas eſt*, &c. ergo Spiritus Sanct. propriè dicitur Amor, non nude, ſed cum addito, *productus*, aut *perſonalis*, aut *reciprocus* Patris, & Filii. Nudè enim, & ſine addito, Amor eſt actus eſſentialis. Dicitur autem *amborum unitas, communio, amplexus, vinculum* ab Auguſt. [7] *Amor procedens, qui eſt Deus, Spiritus Sanct. eſt*, &c.

Prob.

[1] *Matt. ult.* [2] 1. *Jo.* 5. [3] *Symb.* 1.
[4] 13. *Theſ.* 3. *Rom.* 5. [5] 15. *Tr.* 18. c. 19.
[6] *Opuſc.* 1. c. 2. [7] 6. *Tr.* 5. & 17.

Prob. 2. Amor ex Patribus, & Theologis dicitur in Deo 1. eſſentialiter, & ſic eſt actus operativus, quo tres Perſonæ diligunt Eſſentiam, & omnia, & quando iſte Amor videtur dici de 3. Perſona, id dicitur appropriatè. 2. perſonaliter, & paſſivè pro Amore producto à Patre, & Filio, & ſic dicitur de ſolo Spiritu Sancto; ergo iſte tam propriè dicitur Amor *productus*, aut *ſpiratus*, aut *perſonalis*, quàm Spiritus Sanct. aut aliud quodvis nomen. Sic enim reſtringitur ad illam ſingularem Perſonam, prout ab aliis duabus diſtinguitur, & producitur.

Porrò illi duo Amores diſtinguuntur formaliter. Nam 1. ſeu eſſentialis eſt in ſe immanens, ſuoque principio formaliter inexiſtens: perſonalis verò eſt in ſe ſubſiſtens, quaſi extra producentem. 2. ille eſt communis tribus Perſonis, iſte diſtinctus realiter ab aliis, & hanc tertiam Perſonam conſtituit. 3. ille eſt improductus, iſte ſpiratus, ſeu productus. Sed hæc arguunt diſtinctionem ad minus formalem inter illos Amores; ergo &c.

Prob. 3. p. Nam in Script. & Patribus vere dicitur Donum, *Donum Dei altiſſimi*, ut canit Eccleſia. Et de illo dicebat Chriſtus, [1] *Mulier ſi ſcires donum Dei*. Et D. Petrus Simoni petenti Spiritum Sanctum mediante pecunia, (2) reſpondet, *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam exiſtimaſti, Donum Dei pecunia poſſideri*. Et S. Auguſtinus. [3] *Exit, non quomodò natus, ſed quomodò datus*, ſcilicet per modum doni.

Prob. 1. Ex dictis, Procedit, ut Amor ſpiratus; ergo ut Donum. Nam, inquit Doctor, amor non ſolum eſt radix donorum, ſed eſt ipſe primum donum. Tamen, quia datio, vel dabilitas dicit aliquam relationem ad creaturas, ſaltem rationis, & Perſona Divina non poteſt conſtitui in ſe per ullum talem ordinem, ideò Spiritus Sanct. non ita propriè dicitur Donum ſub hoc conceptu.

Tamen ex principiis Doctoris non video, cur non poſſit etiam dici Donum relativè ad Perſonas ſpirantes æquè, ac earum mutuus Amor; quandoquidem ille ipſe Amor mutuus eſt ipſum primum Donum earundem mutuum ad intra, denique quia *Amor*,

I 2 *Donum*,

[1] *Jo*. 4. (2) *Act*. 8. (3) 5. *Tr*. 14.

*Donum*, & *Spiritus* ex hac inſtitutione, & in hac materia videntur ſynonyma.

Prob. 3. Proprietas perſonalis conſtitutiva Spiritus Sanct. eſt purè ad intra, ſaltem, prout hic loquimur de Dono; ſed ratio doni ex uſu communiori dicit reſpectum ad extra, nempe donabilitatis ad creaturas; ergo nomen Doni non ita proprium eſt Spiritui Sancto, quia non ſignificat propriè rationem conſtitutivam, & proceſſionem ejus ad intra, & æternam.

Objic. 1. con. 1. p. ex Auguſt. (1) Sicut Spiritus Sanct. procedit à Patre, & Filio, qui ſunt Spiritus, & ſancti, ita & illud nomen æquè participant; ergo illud non eſt proprium uni, ſed tantùm appropriatum.

Reſp. diſt. ant. Sunt Spiritus, & Sancti alio titulo, quàm ſpirationis paſſivæ, conc. titulo iſto, neg. ant. & conſ. Nam hoc tantùm ſenſu dicitur proprium huic Perſonæ.

Inſt. In hoc ſenſu non tam eſt relativum, quàm nomen Doni; ergo non tam propriè convenit huic Perſonæ. Nam perſonalia propria ſunt relativa.

Reſp. neg. ant. Nam nomen Spiritus in noſtro ſenſu importat formaliſſimè relationem ſpirati ad ſpirantes.

Inſt. 2. Non eſt potior ratio, cur dicatur Spiritus à ſpiratione paſſiva, quàm ab activa; ſed Pater, nec Filius non dicitur Spiritus ab activa ſpiratione; ergo nec iſte id dicendus eſt à paſſiva.

Reſp. neg. maj. Nam ſpirantes jam habent aliunde ſua nomina propria à ſuis primariis rationibus conſtitutivis; non ita eſt de iſto, cùm accipit ſpirationem paſſivam à Patre, jam Pater habet ſuam paternitatem, & Filius ſuam filiationem, quibus conſtituuntur prius origine, quàm ſpirent.

Objic. con. 2. p. Amor dicitur eſſentialiter; ergo non poteſt dici perſonaliter, ſed tantùm appropriatè. Prob. conſ. Non ſunt admittendi in Deo duo Amores, ſicut nec duæ Deitates, idem eſt de ſapientia, & aliis attributis; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. utranque. Imò patet ex dictis, quòd ſapientia dicitur ſimpliciter, & abſolute de tota Trinitate, & perſonaliter cum addito, ſcilicet *ſapientia*

[1] 5. *Tr.* 11. 15. & 19.

*tia genita* dicitur de Verbo. Non ita eſt de Deitate, quæ eſt abſtractum ultimata abſtractione, & ideo ſupponit ſimpliciter tantùm, & abſolutè.

Inſt. Eſſent in Spiritu Sancto duo Amores, eſſentialis, & perſonalis; ſed conſequens eſt abſurdum; ergo & ant.

Reſp. neg. min. Quid enim ibi abſurditatis, quòd in eadem Perſona ſit Amor communis, & operativus, quo amat cum aliis, & perſonalis, & quaſi paſſivus, quo ab illis amatur, & accipit ab illis Deitatem, & Amorem eſſentialem?

Objic. 2. Si eſſet Amor, eſſet vel Amor, quo diligeret, vel quo Pater, & Filius diligunt ſe, vel quo ipſe diligeretur; ſed nullum horum dici poteſt; ergo non eſt propriè Amor. Prob. min. 1. Amor, quo diligit, eſt communis. 2. Amor, quo Pater, & Filius ſe amant, eſt ſpiratio ipſa activa, & per nos, dici non poteſt, quòd ſe ament Spiritu Sancto, alioqui haberet rationem formæ. 3. Amor, quo diligitur, eſt formaliter in ipſo amante, & in amato terminativè tantum, eſt enim actus immanens; ergo non poteſt dici Amor nec communis, nec Patris, & Filii, nec paſſivus, quo diligitur.

Reſp. neg. maj. Nam eſt Amor ſpiratus, ſeu productus per ſpirationem activam Patris, & Filii, & in ſe ſubſiſtens, & amans per Amorem operativum ſibi communicatum ab illis cum eſſentia per ſpirationem activam.

Objic. 3. Si eſſet Amor, diligeret ſe ipſo, nec enim poteſt ſe diligere niſi Amore; ſed conſ. eſt falſum, alioqui diligeret ſe, antequàm eſſet, nam eſſentialia ſunt priora notionalibus; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. Diligeret ſe ſeipſo, id. amore ſibi appropriato, con. propriè, ſeu amore notionali, neg. maj. & conſ. quia iſte ſolus Amor illi propriè convenit, & eſt ipſemet Spiritus Sanct. amat ergo ſe cum aliis Perſonis Amore eſſentialiter communi, non perſonali, qui eſt objectum illius Amoris communis.

Objic. 1. con. 3. p. ex Auguſt. (1) *Relatio non apparet in hoc nomine*, Spiritus Sanct. *apparet autem, cùm dicitur Donum Dei.....quia Donum Donatoris eſt, & Donator Doni, dum dicimus relativè utrunque dicimus.*



(1) 5. *Tr.* 12.

*cimus*. Et ſuprà (1) dixerat, *Sicut Spiritui Sancto Donum Dei eſſe, eſt à Patre procedere; ita mitti, & cognoſci, eſt à Patre procedere*. Sed quod dicitur relativè de Perſonis magis propriè dicitur; ergo nomen Doni magis propriè dicitur de hac Perſona, quàm nomen Spiritus.

Reſp. diſt. maj. Quàm nomen Spiritus ſumpti pro re immateriali, con- ſumpti pro termino ſpirationis activæ, neg. maj. & conſ. Auguſtinus loquitur de nomine Spiritus abſolutè, & prout ſignificat aliquid immateriale; nos verò, prout eſt terminus ſpirationis activæ, & ſic dicit relationem ad ſpirantes. 2. locus non eſt ad rem. Fatemur enim, donum dici relativè ad dantes, & donatarios, & ſic ad extra, & ſic non niſi appropriatè de Spiritu Sancto, cùm etiam Filius dicatur dari.

Objic. 2. Donum dicitur de Spiritu Sancto, ſicut Verbum de Filio. Sed hoc dicitur propriè; ergo & illud. Prob. maj. Nam Verbum dicit etiam reſpectum ad ſcibilia, quæ ſunt extra.

Reſp. neg. maj. Nam Verbum dicit primò, & per ſe relationem ad Patrem dicentem, ſecundariò autem ad objecta ſenſibilia, Donum verò dicit primariò reſpectum ad donatarios, quales ſunt creaturæ, & ſecundariò proceſſionem donati à donante, & ſic non eſt ita proprium Spiritui Sancto. De quo tamen non valdè curandum, cùm ſint lites de nomine: in quo ſtandum uſui vocum ſecundum communem earum inſtitutionem.

Nota autem, quòd cùm dicitur Spiritus Sanctus, non ſunt quaſi duæ voces, ſed quaſi unicum ſubſtantivum ex illis duabus compoſitum, & in hoc ſenſu dicitur propriè de iſta Perſona, non verò, ſi ſumantur ut duæ, ſcilicet ſubſtantivum cum adjectivo, ſic enim tam verè convenit aliis, quàm iſti.

## QUÆSTIO II.

*De proceſſione Spiritus Sancti, an ſit à Patre, & Filio æquè primò, & æqualiter.*

VExavit diù Eccleſiam hæc quæſtio, & atroci laceravit ſchiſmate Occidentalem, ſeu Latinam,

(1) 4. *Tr.* 20.

&

& Orientalem, ſeu Græcam. Eunomiani volebant, eum à ſolo Filio procedere, alii à ſolo Patre, quorum caput dicebatur Macedonius, vel Theodoretus ante receſſum ſuum à Neſtorianis. Nec defuerunt in Occidente, qui in hunc errorem inciderint, ſed pauciores, quàm Græci, qui non ſemel victi, & ad lucem revocanti ſæpiùs reciderunt, & adhuc in tenebris miſerè jacet. Doctor verò Subtilis (1) notat poſt Linconienſem, quòd ſi benè examinarentur utrorumque mentes, *pateret, ipſam contrarietatem non eſſe veraciter realem, ſicut eſt vocalis, ne*, inquit, *arguantur hæreſeos tot SS. Patres Græci*, ut Damaſcenus, Baſilius, Gregorius Theologus, & Gregorius Nazianzenus; aut Latini, ut Hieronym. Ambroſ. Auguſt. &c.

## CONCLUSIO.

D*E fide eſt, Spiritum Sanctum à Patre, & Filio vere, & realiter procedere.*

Prob. 1. ex Scoto cit. qui poſt allata verba concludit, quòd *ex quo Eccleſia Catholica declaravit hoc eſſe tenendum, ſicut de ſubſtantia fidei, ſicut patet ex c. firmiter, de SS. Trin. & fide Cathol. tenendum eſt, quòd Spiritus Sanct. procedat ab utroque: & id probat optimis argumentis.*

Prob. 2. ex Script. & 1. de Patre non dubitant Græci, & legimus, quòd Chiſtus ipſe id fatetur, (2) *Spiritus, qui à Patre procedit*. De Filio autem ipſemet Chriſtus aſſerit, ſe illum miſſurum. *Spiritus, quem ego mittam vobis à Patre*. Et, *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis*, Et, *Non loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audiet, loquetur*. &c. Sed miſſio ſupponit proceſſionem miſſi à mittente, & Spirit. Sanct. non diceretur accipere aliquid de Filio, niſi ab eo acciperet Deitatem, & omnia præter filiationem, & maximè ſcientiam, quam annuntiat nobis, ab illo haberet per veram proceſſionem. Et, *omnia, quæ Pater habet, mea ſunt, propterea dixi, quia de meo accipiet*, id. quia Pater mihi dedit omnia, quæ in Patre ſunt, & ipſa vis ejus ſpirativa mea eſt, & ideò Spiritus de meo accipit, ſicut de Patre, &c.



(1) *1.d.11.q.1.A.n.2.* (2) *Jo.17.*

Confir. ex Patribus, qui textus illos ſic explicant. Nam inquit S. Gregor. *Spiritus Sancti miſſio eſt ipſa proceſſio, qua de Patre procedit, & Filio*. Et Sanct. Auguſt. *à quo habet Filius, ut ſit Deus, ab illo habet utique, ut etiam de illo procedat Spirit. Sanct*. Et idem colligunt ex eo, quòd dicatur Spiritus Chriſti. [1] *Si quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus*. Et [2] *Miſit Deus Spiritum Filii in corda veſtra*. Et [3] *In hoc ſcimus, quoniam manet in nobis*, (Chriſtus) *quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis*. Quæ omnia explicat S. Thomas (4) de Spiritu Sancto, ut à Filio procedit. *Eſt autem notandum, quòd idem Spiritus Chriſti, & Patris .... & dicitur Spiritus Chriſti, in quantum procedit à Filio*.

Prob.3. ex multis Conciliis Provincialibus, & Generalibus, in quibus hæc veritas aſſerta, & credita legitur, antequam ejus occaſione Græci à nobis deficerent. Inter antiquiora ſunt, Bracarenſe, & plura Toletana uſque ad ann. 675. quo celebratum eſt XI. & Barenſe ... an. 1097. coram Urbano II. in quo aderant Greci, contra quos jubente Papa diſputavit Sanct. Anſelmus. Et magis poſitivè definita eſt in Conciliis Generalibus, Lateran. IV. ſub Innoc. III. an. 1218. præſentibus Græcis, & Latinis, & Lugdun. ſub Gregor. X. præſidente Seraphico Bonaventura, ubi primùm de conſenſu utrorunque cantatum fuit Latinè, Græcè in Symbolo Nicæno, *Qui ex Patre, Filioque procedit*, de quo acrior erat controverſia. Et hoc iterùm definitum eſt in Concilio Florent. renuente uno Marco Epiſcopo Epheſino, cujus malitia revixit error, & ſchiſma Græcorum uſque in præſens.

Prob.4. ex Patribus tum Græcis, tum Latinis, quos longum eſſet recenſere. Unum, & alterum adduco, cæteros videbis apud Concilium, & alios. 1. Occurrit Athanaſ. qui in ſuo ſymbolo dicit, *Spiritus Sanct. à Patre, & Filio, &c.* Et ſanct. Baſil. (5) Spiritus Sanct. *ordine tertius eſt, ſecundus à Filio eſt, cùm ab ipſo eſſe habeat;* ſecundus, inquam, ordine, origine, non natura: Et Epiphan. [6] *Ex Patre, & Filio ſermo in ſubſtantia Spiritus Sanct.* &c. Ex Latinis

[1] *Rom.* 8. [2] *Gal.* 4.
[3] 1. *Jo.* 4. [4] *Rom.* 8. *lect.* 2.
[5] *con. Eunõ.* [6] *Hær.* 62.

nis autem ſanct. Hilar. [1] *Loqui de eo ( Spiritu ſancto ) non neceſſe eſt, quia de Patre, & Filio auctoribus confitendus eſt.* ) Et Ambroſ. (2) *Spiritus Sanct. verè Spiritus eſt, procedens quidem à Patre, & Filio; Sed non eſt ipſe Filius, quia non generatur, neque Pater, quia procedit ab utroque.* Et Auguſt. [3] *Nec poſſumus dicere, quòd Spiritus & à Filio non procedat; neque enim fruſtra idem Spiritus & Patris, & Filii Spiritus dicitur.* Et Leo Magnus, [4] *Alium eſſe, qui genuit, & alium, qui genitus eſt, alium, qui de utroque proceſſit*, &c.

Prob. denique cum Scoto. Filius habet idem principium ſpirandi cum Patre, antequàm Spiritus S. intelligatur ſpiratus, & nihil impedit, quominùs ſpiret cum illo; ergo neceſſariò Filius ſpirat cum Patre. Nam in Deo idem eſt poſſe, & agere, & hæc ad intra neceſſariò connectuntur. Prob. ant. 1. ex Script. cit. (5) *Omnia, quæcunque habet Pater, mea ſunt.* Et [6] *Omnia mea tua ſunt, & tua omnia mea ſunt.* 2. ex Patribus docentibus, Deum omnia communicare Filio præter eſſe Patrem, ut Hilar. cit. *Omnia, quæ Patris ſunt, Filii ſunt, & ideò quidquid accipiet à Filio accipiet, ille mittendus* ( Spiritus ſanct. ) *quia Filii ſunt univerſa, quæ Patris ſunt.* 3. quia nulla ratio impedit dicere, quòd Pater in illo priori originis ſigno, in quo generat Filium, communicat voluntatem ſuam fœcundam cum Eſſentia, & aliis perfectionibus abſolutis, & communicatu poſſibilibus; ergo ita eſt. Prob. ant. Filius producitur per intellectum; ſed intellectus priùs ordine producit, quàm voluntas; ergo Pater prius origine generat Verbum, quàm ſpiret.

Probant Thomiſtæ, quia ſi Spiritus Sanctus non procederet a Filio, non eſſet Perſona ab eo diſtincta. Sed hæc ratio eſt vera de facto; non tamen per locum intrinſecum, ut videbimus.

Objic. 1. in Concilio Niceno, & 4. primis Conciliis nulla fit mentio de proceſſione Spiritus Sancti à Filio ... Imò Epheſinum prohibet ſub anathematis pœna quidquam addere Symbolo ejus; ergo non licuit addere particulam illam *Filioque*. Et cùm Theodo-



[1] 2. *de Spir. S.* 3. [2] *De Symb.* 3. [3] 4. *Tr.*
[4] *Ep.* 93. [5] *Jo.* 17. [6] *Ibid.*

retus ſuum Symbolum legi curaſſet coram Patribus Concilii, nec feciſſet mentionem de proceſſione Spiritus Sancti à Filio, ſed potius reprehendiſſet Cyrillum, qui ſcripſerat, Spiritum Sanctum eſſe proprium Filii, nec Concilium, nec ipſe Cyrillus de hac iniqua reprehenſione conqueſtus eſt; ergo Concilium illud non putavit, Spiritum Sanctum verè procedere à Filio.

Reſp. neg. conſ. Nec enim ex Concilii, vel Cyrilli ſilentio id ſequitur. tum 1. quia argumentum eſt negativum, ex quo nihil poſitivum rectè infertur. Tum 2. quia Concilium Nicænum aſſeruit, proceſſionem Spiritus Sanct. à Patre de Filio, ideò id amplius definiri non debuit, cùm de hoc non eſſet quæſtio. Tùm 3. id ſatis clarè patebat ex ejus proceſſione à Patre. Nam eadem eſt ratio de Filio, qui habet eandem vim ſpirandi. Tum 4. quia dum proceſſionem Spiritus à Patre confitetur, non excludit Filium ab eadem ſpiratione. Tum 5. quia ibi laudata eſt Epiſtola Cyrilli, in qua aſſeritur illa proceſſio à Filio, Symbolum verò, & reprehenſionem Theodoreti diſſimulabat Concilium, quia non erat ad rem. Agebatur enim tunc contra Neſtorium, cui tunc adhærebat Theodoretus, & cum illo aſſerebat duas in Chriſto Perſonas. Liber autem Neſtorii contra Cyrillum damnatus eſt in V. Synodo, nec debuit aliud optare Cyrillus quoad hoc poſt Conciliarem approbationem. 6. Adde, quòd Theodoretus tam negabat proceſſionem hanc per Filium, quam à Filio, & tam Patres Epheſii de una, quàm de alia ſiluerunt, & tamen Græci admittunt proceſſionem illam à Patre per Filium; ergo ex illo ſilentio Patrum Epheſinorum nihil infertur contra nos, nec pro Græcis. Quantum ad prohibitionem additionis ad Symbolum, hæc non juvat Græcos. 1. quia ſingula Concilia poſſunt, imò debent decidere difficultatès, quæ in dies occurrunt in rebus fidei, qualis eſt hæc de proceſſione Spiritus Sancti à Filio, quæ tempore Concilii Nicæni non ità urgebatur, ideò non viſum eſt Patribus aliter explicare hanc materiam. 2. Sufficit, quòd nihil contrarium doctrinæ illius Cōcilii definierint poſteriora. 3. Imo nec aliquid novi definierunt per hanc particulam, ſed tantùm explicatiùs propoſuerunt, & ſtatuerunt credendum,

quod

quod implicitè docebat Nicænum. Nam hoc ipſo quòd in inſtanti originis poſteriori ad generationem Verbi Spirit. Sanct. procedit à Patre, debet neceſſariò procedere & à Filio, qui in ſua generatione accipit totam vim ſpirativam cum Eſſentia, & voluntate.

Inſt. Script. ipſa ſoli Patri tribuit ſpirationem; nec illum ſibi tribuit Chriſtus, ut cùm dicit, *Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*. Et, *Spiritus, quem mittet Pater*; ergo à ſolo Patre procedit.

Reſp. neg. ant. Nec enim Scriptura unquam excludit Filium à Spiratione activa, imò eam ſibi clarè tribuit, cùm dicit, *Mittam vobis à Patre*, quatenùs habet à Patre vim ſpirativam; & *quia de meo accipiet*. Unde & notat Auguſt. [1] *Si de Patre, & Filio procedit Spiritus Sanct. cur Filius dixit, de Patre procedit? Cur putas? niſi quemadmodùm ſolet ad eum referre, & quod ipſius eſt, de quo & ipſe eſt*: Ut cùm dicebat, *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me*, ſic diceret, Miſſio mea, quia mitto Spiritum, non eſt mea, id.non habeo de me, ſed à Patre, qui gignendo me dedit mihi vim ſpirandi.

Objic.2.Patres videntur negare proceſſionem illam ex Filio: Ut Damaſcenus, (2) *Sed & Filii Spiritus eſt, non tanquam ex ipſo, ſed quòd per ipſum ex Patre procedat: Solum enim Pater principium eſt*. Et Sanctus Maximus Martyr (3) de Patribus Latinis dicebat, quod *unam Filii, & Spiritus Sancti cauſam cognoſcunt Patrem*. Et Dionyſ. (4) *Solus fons ſuperſubſtantialis Deitatis eſt Pater*; ergo Patres hanc proceſſionem ſoli Patri tribuunt.

Reſp. neg. ant. Nec enim ea eſt mens Patrum, &, ſi non poſſent benignè explicari, dicerem cum D. Thoma, (5) quòd plures Græci fuerunt in eo errore, antequàm hæc veritas definiretur, ut Theodoretus, qui tandem reſipuit, & fortè etiam Damaſcenus. Meliùs dicerem cum Scoto citato, (6) litem fuiſſe in modo loquendi. Unde, ſi benè intelligantur, nihil aliud volunt, quàm quod ſolus Pater ex ſe habet vim ſpirandi, ut fons divinitatis, & ab eo virtus illa manat in Filium, & hoc ſenſu per Filium ſpirat, ut



[1] *Tr.99.in Jo.* [2] *1.fid.7.& 12.vel 13.* [3] *Ep.ad Marin.* [4] *Div.nom.2.* [5] *1.p.q.35.r.4.2.* [6] *ibid.*

loquitur Damaſc.[1] & Spiritus Sanct. *ex Patre per Filium procedens eſt*, quia ly ex denotat primarium principium, & fontem talis proceſſionis, ut notat Cardinalis Beſſarion Archiep. Nicænus in Concilio Florentino. (2)

Objic. 3. Pater eſt ſufficiens principium ſpirationis æquè, ac generationis; ergo fruſtra concurreret Filius.

Reſp. neg. conſ. Non enim ex inſufficientia, ſed ex identitate principii neceſſariò agentis id provenit.

Inſt. Dilectio in creatis non procedit à verbo mentis; ergo nec ſpiratio à Verbo Divino. Eſt enim ſimilis modus, & ordo in Deo, & homine quoad hoc, & nos ab uno aliud colligimus.

Reſp. neg. conſ. & rationem ejus. Nam anima noſtra non communicat verbo ſuo totam naturam, ſicut Pater Verbo Divino.

Inſt. 2. Spiritus Sanctus eſt unus; ergo non eſt à duobus principiis; alioqui haberet duas cauſas totales, & adæquatas, quod implicat.

Reſp. neg. conſ. & rationem ejus. Nam Pater, & Filius ſunt quidem duæ Perſonæ ſpirantes, ſed unus ſpirator per unicum, & indiviſibile principium ſpirationis in utroque ſpirante, ſicut ſunt tres Perſonæ creantes, & unus creator unius animæ.

## CONCLUSIO II.

*Spiritus Sanct. immediate, & uniformiter ab utroque procedit, ita ut nec immediatiùs, nec principaliùs, nec perfectiùs, nec magis proprie ſit ab uno, quàm ab alio.* Eſt communis.

Prob. 1. Ex Scoto. (3) *Planum eſt, quòd Pater, & Filius ſunt unum principium Spiritus Sanct. & hoc declaratum eſt in Concilio Lugdunenſi .... Pater, & Filius ſpirant Spiritum Sanct. voluntate ut omnino una,* &c.

Prob. 2. ex Concilio Florentino in Decreto Eugenii, ubi dicitur, quòd *Spiritus Sanct. ex Patre, & Filio æternaliter eſt, & Eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habet à Patre, ſimul & Filio, & ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio, & unica ſpiratione procedit*; ergo immediatè, & uniformiter eſt ab utroq.

Prob.

[1] *Ibid.* [2] *S. ult. c. 6.* [3] 1. *d.* 17. *B. & M. c.* 3. *&* 11.

Prob. 3. ex eodem Scoto. Nam Pater in inſtanti generationis, & per ipſam, & priùs origine, quàm ſpiret, communicat Verbo voluntatem fecundam, & omninò unam; ergo Verbum cum Patre uniformiter omninò ſpirat, ſcil. per idem omninò principium. Unde enim veniret difformitas proceſſionis illius, vel inæqualitas?

Objic. 1. ex Patribus. *Spiritus Sanctus principaliter procedit a Patre*, ait Auguſtinus. Et ex Sancto Hieronymo, *Spiritus eſt propriè à Patre per Filium*. Vel ut loquitur Hilarius, *A Patre per Unigenitum eſt*. Et id dicebamus ſuprà ex Patribus Græcis; ergo non eſt uniformiter ab utroque, ſed principaliter, & primariò, ſeu remotè à Patre per Filium, ſeu immediatè per Verbum.

Reſp. neg. conſeq. Nec enim id ſequitur ex dictis illis, aut ſimilibus Patrum benè acceptis. Nam volunt tantùm, quòd ſicut Filius habet vim ſpirandi à Patre, qui eam à ſe ſolo habet, & quòd Pater in tantum ſpirat per Filium, quatenus ei communicat vim ſpirandi, ſicut dicitur, quòd *Omnia per ipſum*, ſcilicet Verbum, *facta ſunt*, quia iſte, ſicut & Spiritus Sanctus creant, & agunt ad extra per potentiam ſibi communicatam à Patre cum Eſſentia, eodem ſenſu ſpiratio dicitur propria Patri, quia illam habet à ſe, & Filius ab illo.

Inſt. Ergo Spiritus Sanctus non eſt æqualiter ab utroque, ſed principaliùs à Patre. Prob. conſeq. Nam propter quod unumquodque tale, & illud magis; ſed Filius eſt ſpirans propter Patrem, & à Patre; ergo multò magis Pater.

Reſp. neg. conſ. & d. maj. prob. In iis, quæ ſuſcipiunt magis, & minus, aut in quibus comparatio eſt inter diſtincta, conc. in iis, quæ non ſuſcipiunt magis, & minus, aut in quibus non fit comparatio inter diſtincta, neg. maj. & conſeq. Nam forma, ſeu vis ſpirativa in Patre, & Filio non ſuſcipit magis, & minus, & non diſtinguitur, ſed eſt una indiviſibiliſſima in utroque. Et ideò non patitur inæqualitatem, niſi quatenus eſt in Filio à Patre, quod non ſufficit ad veram difformitatem, vel inæqualitatem, ſaltem reſpectu actionis, vel termini.

Objic. 2. Pater priùs origine habet vim ſpirandi, quàm

quàm Verbum, ergo priùs ſpirat. Prob.conſ. Nam in illo priori vis illa non eſt otioſa, ſed agit neceſſariò; ergo pro eodem inſtanti priori Pater ſpirat.

Reſp. neg. conſ. & diſt. ant. prob. Agit neceſsariò, ſi nihil obſtet, conc. ſi quid obſtet, neg. ant. Obſtant verò totalis occupatio paternæ virtutis in generando, & ordo actionis generativæ, quæ origine prior eſt actione ſpirativa, cùm illa ſit per intellectum, iſta per voluntatem.

## QUÆSTIO III.

*An Pater, & Filius ſint unum principium Spiritus Sancti, An poſſint dici duo ſpiratores, vel duo ſpirantes.*

VIſo, quòd Spiritus Sanctus ſit à Patre, & Filio realiter, & verè, quærimus, an illi ſe in hac ſpiratione habeant ut duo, vel unicum indiviſibile principium, ita ut non ſint niſi unus ſpirator.

Porrò ſupponimus ex dictis, duplex eſſe principium, *quo*, & *quod*. Illud eſt ipſa forma, ſeu virtus, qua agens agit, & quæ eſt ratio agendi, ſic calor eſt in igne principium *quo* calefaciendi: iſtud verò eſt ipſum ſuppoſitum, in quo eſt illa forma, & quod per illam agit, ut ignis in calefactione eſt principium *quod*. Sic in Deo voluntas, ut fœcunda per præſentiam Eſſentiæ cum attributis eſt principium *quo* ſpirationis in Patre, & Filio, ipſi verò ſunt principium *quod*.

Suppono etiam, quòd Pater priùs origine generat Verbum, quàm producat Spiritum Sanctum, & ideò in illo inſtanti priori communicat Verbo totum illud principium *quo*, & totam vim ſpirativam in ſumma identitate, ut dictum eſt.

## CONCLUSIO I.

PAter, & Filius ſunt unum principium Spiritus Sancti. Eſt de fide.

Prob. 1. cum Scoto [1] ex Conc. Lugdunēſi ſub Gregorio X, ut patet ex d. de Summa Trinitate c. fideli, & ha-

(1) 1. d. 12. B. n. 3.

habetur in 6. decret. & in Concilio Florentino. Nam quia Græci nolebant credere, quòd Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio, ne viderentur admittere duo ejus principia; Concilium declarat, quòd *Spiritus Sanctus de Patre, & Filio æternaliter eſt, & Eſſentiam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul, & Filio, & ex utroque æternaliter, tanquam ex uno principio, & unica ſpiratione procedit*. Et Concil. Lugdun. [1] cit. damnat omnes, qui temerario auſu aſſerere præſumpſerint, quòd *Spiritus Sanctus ex Patre, et Filio, tanquam ex duobus principiis*, & *non tanquam ex uno procedat*.

Prob. 2. ex Patribus. Nam inquit Auguſtinus, [2] *Fatendum eſt, Patrem, & Filium eſſe principium Spiritus Sancti, et non duo principia: ſed ſicut Pater, et Filius eſt unus Deus, et ad creaturam relativè unus creator, et unus Dominus, ſic relativè ad Spiritum Sanctum unum principium*. Idem docet Anſelm.[3] & alii. Nam ſicut Deus dicitur unus creator, licèt creatio ſit à tribus Perſonis, quia creant ſimul per unam potentiam; ſic Pater, & Filius ſunt unus ſpirator, ſeu unum principium Spiritus Sancti, quia ſpirant per unam, & eandem voluntatem, & ſpirationem.

Prob. 3. ex eodem Scoto, (4) quia dictum eſt, *Pater prius origine habet actum fœcunditatis intellectus, quam voluntatis; & in illo priori communicatur Filio fœcunditas eadem, quæ eſt in Patre, quia in illo ſigno originis, in quo Filius producitur per fœcunditatem intellectus, communicatur ſibi à Patre quidquid ei non repugnat, et ita fœcunditas voluntatis*; ergo in ſequenti ſigno originis, quo ſpirant Pater, & Filius, ſpirant per unicum principium formale *quo*, ſeu per unicam, & eandem fęcunditatem voluntatis, & unicam, & indiviſibilem actionem ſpirativam; ergo ut unum principium. Prob. conſ. Nam Patrem, & Filium ſpirare ut unum principium, nihil aliud eſt, quàm eos ſpirare per unam, eandemque indiviſam virtutem, ſeu voluntatem, & fœcunditatem, & actionem.

CON-

[1] *ſeſſ. ult.* [2] 5. *Tr.* 15. [3] *de proc. S. S.* 11. [4] *ib. d.*

## CONCLUSIO II.

P*Ater, & Filius reſpectu Spiritus Sancti ſunt unus ſpirator, licèt dici poſſint duo ſpirantes*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui dicit, hanc quæſtionem eſſe quaſi Grammaticalem, ſc. *Utrum Pater, & Filius dici poſſint unus ſpirator, vel duo ſpiratores. Et quia vis eſt de ſignificato nominis, non multum immoror. Spirator igitur ſignificat vim ſpirandi, ut concernit ſuppoſitum, et quia una eſt vis in Patre, et Filio .... ideò non videtur concedendum de vi ſermonis, quòd ſint duo ſpiratores, quia tunc vis ſpirativa videretur numerari in eis*, ſeu plurificari: non ita eſt, cùm dicuntur duo ſpirantes, &c.

Prob. 2. ex eod. quia ſubſtantivum ſignificat per modum per ſe ſtantis, & ſubſiſtentis, quod poteſt terminare alterius dependentiam, ipſum verò non dependet, adjectivum verò ſignificat per modum adjacentis, & dependentis in eſſe ab alio, & ideò nequit alterius dependentiam terminare; ergo cùm terminus numeralis jungitur adjectivo, non multiplicat illud, quia adjectivum non facit illud ſubſiſtere, non terminat illud, benè verò, ſi jungitur ſubſtantivo; ergo cùm Pater, & Filius dicuntur duo ſpirantes, non multiplicatur vis ſpirativa, nec ſpiratio, nec ſpirator, quæ ſunt ſubſtantiva, benè verò ſi dicantur duo ſpiratores; ergo cùm ſit de fide, unicam eſſe vim ſpirativam, & ſpirationem, & duas Perſonas, quæ ſpirant, dici poſſunt duo ſpirantes, non autem duo ſpiratores.

Confirm. ex regula, quæ ſervatur in modo loquendi de hoc myſterio. Nam ſi nomina ſubſtantiva dicuntur pluraliter, plurificantur non tantùm ſuppoſita, ſeu Perſonæ, ſed etiam Naturæ, ſeu formæ per illa ſignificatæ, non ita eſt de adjectivis, quæ multiplicantur ex ſola multiplicatione ſuppoſitorum; ſed nomen *ſpirator* ſumitur ſubſtantivè, & *ſpirantes* adjectivè; ergo ſi dicerentur *duo ſpiratores*, ſignificaretur ibi eſſe duas naturas, ſeu virtutes ſpirativas, & duo principia, quod eſt hæreticum, cùm autem dicuntur duo ſpirantes, nihil aliud ſignificatur, quàm quòd ſint

[1] *ibid. X. n. 13.*

ſint Perſonæ ſpirantes per eandem virtutem, quod eſt Catholicum.

Objic. Pater, & Filius ſunt duo ſpirantes, ergo & duo ſpiratores. Prob. conſ. Si dicas, *ſunt unus ſpirans*, recte infers, ergo & *unus ſpirator*; ergo cùm dicis, *duo ſpirantes*, rectè infers, ergo & *duo ſpiratores*. Prob. conſ. Sicut ſingulare infert ſingulare, ita plurale infert plurale.

Reſp. neg. utranque conſeq. & diſt. regulam. Plurale infert plurale, ſi quod infertur, ſit contentum, & pluriſicatum in antecedente, & plurali, conc. ſi non ſit pluriſicatum in antecedente plurali, neg. conſeq. *Spirator* autem ſecundum ſuum ſignificatum formale, ſc. ſecundum vim, & actionem ſpirativam non pluriſicatur in antecedente illo plurali, *ſpirantes*, ſeu in Perſonis ſpirantibus, & ideò non ſunt duo *ſpirantes*, ſed unicus. Sed de quæſtione nominali ſatis. Meminerit Tyro Theologus, quòd maximè in Myſteriis Fidei loquendum eſt ſecundum terminos uſitatos, & in ſenſu, & uſu communi.

## QUÆSTIO IV.

*An Spiritus Sanctus ex ſua ratione formali petat procedere ex duabus Perſonis.*

SEnſus quæſtionis eſt, an ſit de ratione formali Spiritus Sancti, ut procedat per actum dilectionis mutuæ, & concordis duorum, qua ſe amant Pater, & Filius, ita ut non poſſit eſſe à ſolo Patre, ſaltem talis, qualis nunc eſt. Amor autem ille reciprocus, ſub illa ratione reciprocationis inter Patrem, & Filium, videtur terminari directè, & formaliter ad illas Perſonas. Nam concordia, & reciprocitas neceſſariò eſt inter plures.

## CONCLUSIO.

*SPiritus Sanctus neceſſariò quidem eſt ex Patre, et Filio: id tamen non exigit ex ratione ſua formali ſic, quia eſſet idem, qui nunc eſt, ſi procederet à ſolo Patre.* Eſt de fide quoad 1. p. & contra Thomiſtas, & alios quoad 2.

Prob.

Prob. 1.p. 1.ex Scoto cit. [1] Nam pater prius origine communicat Filio fœcunditatem *voluntatis*; ergo in alio ſigno originis, quo producitur 3. Perſona per actum hujus *fœcunditatis ſecundæ producitur à Patre, et Filio omnino ut ab uno principio propter unam fœcunditatem*. Et certè, qua neceſſitate Pater communicat Filio hanc virtutem ſpirativam, eadem uterque ſpirat.

Prob. 2. ex præcedentibus, tum quia nihil eſt contingens in Deo, ſed omnia ſunt ibi ex ſumma neceſſitate: tum quia Pater neceſſariò communicat Filio totam ſuam vim ſpirativam in inſtanti origine priori, quàm ſpiret, ergo & Filius neceſſariò ſpirat cum Patre in inſtanti poſteriori; ergo Spiritus Sanctus neceſſariò eſt ex Patre, & Filio, ſeu ex duobus.

Prob. 2. p. ex Scoto, [2] quia tota virtus ſpirativa eſt in Patre independenter ab actuali generatione, quia tam voluntas in ſe eſt perfecta, quàm intellectus; ergo ſicut Pater ſe ſolo poteſt generare per intellectum, ita & ſe ſolo ſpiraret, ſi ſolus eſſet, aut ſi ageret primò per voluntatem, ſicut agit primò per intellectum, ex ordine naturali harum facultatum. Antec. patet. Nam Pater nullam acquirit perfectionem abſolutam per generationem; ergo antecedenter, & præſuppoſitivè ad generationem habet totam virtutem ſpirativam æquè, ac generativam. Prob. conſeq. ex Scoto, *Ubicunque eſt principum activum completum, et in ſuppoſito conveniente actioni, poteſt eſſe actio*. Sed in illo primo inſtanti originis ad exiſtentiam Verbi principium ſpirativum eſt completum in Patre, &c.

Dices non eſſe totum, & completum in ratione ſubſiſtentis. Nam requiritur etiam, ut ſubſiſtat in Filio.

Contrà. Fœcunditas generativa ſufficienter ſubſiſtit in Patre ſolo ad generationem; ergo & ſufficienter ſubſiſteret ad ſpirationem, ſi hæc præſupponeretur generationi. Non enim major requiritur per ſe ad unam, quàm ad aliam.

Dices 2. Ut virtus ſpirativa ſit completa in ratione ſubſiſtendi, debet eſſe in duobus; quia ſpiratio eſſentialiter ſe habet per modũ concordię, ſeu amoris mutui.

Con-

[1] *ibid.* [2] *ibid.* *F.n.6.et ſeq.*

Contra, Amor, qui eſt principium formale *quo* Spiritus Sancti, eſt quid eſſentiale, & abſolutum, ex Thomiſtis; ergo præſupponitur Perſonis, & non habet rationem concordiæ, quæ eſt relatio ſupponens Perſonas, ad quas terminatur. 2. Amor mutuus Patris, & Filii eſt quid notionale; ergo non poteſt eſſe in Spiritu Sancto, alioqui non eſſet notionalis, ſed communis.

Prob. 2. (1) ex eodem. *Divina voluntas habens objectum primarium ſibi præſens, eſt ratio producendi amorem adæquatum, & perfectiorem, aut ſaltem æquè perfectum illo, quem produceret habens objectum ſecundarium ſibi præſens; ſed nec Pater ut Pater, nec Filius, ut Filius ſed ut Perſona ſubſiſtens in* 1. *ſigno originis habet ſibi præſens objectum primarium voluntatis, ſcilicet Eſſentiam, & Perſonæ Patris, & Filii, ut tales, ſunt de objecto ſecundario, ergo voluntas ex ſe eſt prius productiva amoris circa Eſſentiam, quàm amoris mutui circa illas Perſonas*. Prob. maj. quia præciſis Perſonis, Eſſentia de ſe eſt infinitè amabilis, & amor circa illa tàm perfectus eſſet, quàm ille amor mutuus, & concors inter Perſonas; ergo &c.

Prob. 3. Si per impoſſibile voluntas Patris eſſet priùs activa, quàm intellectus, vel ſi Pater non eſſet agens, niſi per ſolam voluntatem, adhuc poſſet producere amorem ſibi adæquatum circa eandem Eſſentiam, & perfectiones abſolutas; ergo tam verè, & perfectè ſpiraret, quàm de facto; ſed tunc ille ſpiritus non eſſet à duobus; ergo non exigit de ſe, quòd ſit à duobus.

Prob. 4. Si Pater, & Filius ſpirant amando ſe mutuò, amant ſe aliquo amore, quatenus ſpirant, ſed hoc dici non poteſt; ergo nec illud. Prob. min. Ille amor vel eſt ipſe Spiritus Sanct. vel alius. 1. non ipſe Spiritus, tùm quia falſum eſt, quod ille ſit amor, quo ſe amant, ſicut Verbum non eſt ſapientia formalis, qua Pater ſapit: tùm quia ipſe Spiritus Sanct. non eſt terminus productus per illum amorem. 2. non alius amor, aliòqui daretur alius amor notionalis præter Spiritum Sanctum, & præter productum, & præter eſſentialem, quo ſe amant omnes, quod nemo dixerit.

Prob.

(1) *Ibid.*

Prob. 5. Non poſſet produci ex amore mutuo, niſi præſuppoſita cognitione ut mutua, *nihil enim volitum, quin præcognitum*; ſed hoc eſt inconveniens, & falſum; ergo & illud. Prob. min. Nam illa cognitio eſſet ſterilis, vel concurreret ad ſpirationem, & Spiritus Sanct. tam produceretur ex illa cognitione, quàm ex amore mutuo, quod nul us admittet.

Prob. 6. Si Spiritus Sanct. non poſſet produci, niſi à duobus, iſti eſſent ejus principia partialia, & conſtituerent unum totale, ſed iſtud eſt falſum, ſic enim eſſet compoſitio in Deo; ergo, &c. Prob. maj. Neutra Perſona ſe ſola ſufficeret, & ambæ ſimul ſufficerent, ut dicitur de duobus trahentibus navim; ergo &c.

Prob. 7. ex Scoto. [1] Si Spiritus Sanct. produceretur amore ut mutuo, eſſet alius prior etiam productus, & ſic eſſent duo Spiritus; ſed hoc eſt falſum; ergo &c. Prob. maj. Amor ille mutuus eſt notionalis, & terminatur ad Perſonas, & admittendus eſt alius circa eſſentiam prior, & æquè ſaltem perfectus, ergo & alius Spiritus prior illo, qui eſſet ex amore mutuo, vel ipſe mutuus amor. Ant. patet. Nam per amorem mutuum Pater, & Filius ſe ſe mutuò reſpiciunt, & per alium reſpiciunt Eſſentiam, aut ſe reſpiciunt in Eſſentia, quæ cùm ſit infinitè amabilis, & objectum primarium voluntatis, ita & iſte amor eſſet prior illo mutuo. Eſſentialia enim, & abſoluta ſunt priora notionalibus, & relativis. Prob. conſ. Nam ille amor Eſſentiæ non eſſet ſterilior, nec imperfectior amore poſteriori, & mutuo Perſonarum; ſed iſte productivus eſt; ergo & ille à fortiori. Nam, ait Doctor, *Magis ſpirabitur Spiritus Sanct. voluntate*, ſeu amore, *ut eſt Eſſentiæ Divinæ, quæ eſt objectum infinitum, quàm ut eſt Patris ut Patris, & Filii ut Filii.*

Prob. denique ex Auguſt. [2] *Deus Pater, & Deus Filius ſunt unus Deus, & ad creatum relativè unus Creator, & Dominus; ſic relativè ad Spiritum Sanctum unum principium*; ſed creatura non petit neceſſariò eſſe à pluribus Perſonis, licèt ita ſit de facto; ergo nec Spiritus Sanct. à duobus. Prob. min. Si per impoſſibile eſſet in Deo unica Perſona, adhuc eſſet

[1] *ibid.* [2] 5. *Tr.* 14.

ſet omnipotens, ergo adhuc poſſet creare eadem potentia.

Objic. 1. Patres dicunt, Spiritum Sanctum eſſe *dilectionem, quam habet Filius in Patre, & Pater in Filio*, ut Hieronymus, [1] & quòd *una eſt dilectio utriuſque*, ut Ambroſ. [2] quod *amat ſe Pater, amat ſe Filius, & alter alterum*, ut Anſelmus [3], & à Bernardo [4] dicitur, *Patris, & Filii, & quod commune aliquid eſt Patris, & Filii, quidquid eſt*, &c. Alii eum vocant *medium* inter Patrem, & Filium; ergo exigit formaliter eſſe à duobus.

Reſp. neg. conſ. Nam Patres loquuntur de Spiritu Sancto, prout eſt de facto, non autem qualis eſſet de poſſibili, ſi videlicet ab uno tantùm procederet. Aliud eſt, quòd de facto procedat à duobus, aliud, quòd ſic eſſe debeat eſſentialiter, ita ut non eſſet ejuſdem rationis, ſi à ſolo Patre procederet. Si Vaſqueſio credimus, *Thomiſtæ nonnulli Scoto concedunt, eodem modo Spiritum Sanctum proceſſurum, ſi Divina voluntas, quæ eſt principium ſpirandi, eſſet in unica Perſona*. Iſtæ quidem denominationes relativæ ceſſarent, ſed in ſe ipſo non differret.

Objic. 2. Amor, quo procedit Spiritus Sanct. debet eſſe perfectus, ſed non eſſet perfectus, niſi eſſet duorum, & amor amicitiæ, quæ non eſt niſi inter duos; ergo de ratione ejus eſt, ut ſit ex duobus. Prob. min. Nam amor perfectus non eſt ſolitarius, nec ad ſe ipſum; ergo &c.

Reſp. neg. min. & conſ. prob. Nam amor notionalis, quo ſolus Pater ſpiraret, non magis eſſet ſolitarius, quàm amor eſſentialis, quo ſe Deus ut unus amat.

Inſt. Si amor ille eſſet in ſolo Patre, eſſet amor ſui, & concupiſcentiæ; ergo non eſſet amor amicitiæ, nec perfectus. Prob. ant. Non poſſet amare niſi ſe ipſum.

Reſp. neg. ant. Saltem quoad 2. par. Eſſet amor Eſſentiæ, & perfectionum abſolutarum, non tamen concupiſcentiæ, propriè loquendo; quia hic amor in creatis attrahit ad ſe bonum, quia illo careret: Deus verò eſt ſummum ſuimet bonum, & finis ultimus, & ſic amor ſui eſt ſumma ejus perfectio.

Objic.

[1] *In Pſ.* 17. [2] *Symb.* [3] *Monol.* 48. [4] *Ser.* 8. *cant.*

Objic. 3. Terminus productus mutatur in ſe, & fit alius, ſi mutatur aliquod principium ejus intrinſecum: Sed ſi Spiritus Sanct. procederet ab unica Perſona, mutaretur aliquod principium ejus intrinſecum, nempè amor, quo procedit; ergo ipſe eſſet alius. Prob. min. Ille amor non eſſet earumdem Perſonarum, ſed alterius Perſonæ, & unius tantùm; ergo eſſet alius amor. Nam amor ſpecificatur ab objectis.

Reſp. neg. min. & ant. prob. & diſt. rationem ejus. Specificatur ab objectis primariis, con. ab objectis ſecundariis, neg. ant. & conſ. Eſſet idem principium, eadem voluntas, & id objectum primarium amatum, ſcilicet eſſentia, & perfectiones abſolutæ.

Objic. Denique. Niſi Spiritus Sanct. procederet à duobus, non eſſet eadem Trinitas; ergo nec idem Spiritus Sanct. Prob. ant. Non diſtingueretur à Filio, niſi ab eo procederet; ergo non eſſet Trinitas.

Reſp. neg. ant. utrunque, de quo mox dicturi ſumus.

Colligis igitur, quòd Spiritus Sanct. non procedit per voluntatem, ut mutuam, & concordem præciſè, & formaliter ſecundum ſe, ſed per voluntatem, ut unum, quia concordia illa ſupponeret diſtinctionem voluntatum concordantium, quod eſſet falſum, & erroneum.

## QUÆSTIO V.

### *An, ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, nihilominus diſtingueretur ab eo.*

QUæſtio hæc, ſicut præcedens, procedit ex ſuppoſitione impoſſibili quidem, ſed non implicante per locum intrinſecum. Nam, ut dicebamus, neceſſariò quidem Spiritus Sanct. procedit ab utroque, & ejus proceſſio à Filio eſt de facto ratio diſtinctionis eorum, ſed non tota. Hæc autem ſuppoſitio eſſet irrationabilior, in ſententia Thomiſtarum, & eorum, qui tenent in quæſtione præcedenti, quòd de ratione formali Spiritus Sanct. eſt eſſe a duobus. Nam in hac ſententia quærere, *an, ſi Spiritus Sanct. a Filio non procederet, diſtingueretur tamen ab*

*eò*, idem eſt, ac ſi quæras, *an ſi Petrus non eſſet rationalis, diſcurreret tamen*, quia cenſent, proceſſionem ab utroque tam eſſe de ratione hujus Perſonæ, quàm rationabilitas eſt de eſſentia hominis, & principium diſcurſus. In noſtra autem ſententia, de ratione intrinſeca, & primò conſtitutiva Spiritus Sanct. eſt, quod ſit à Perſona Divina per voluntatem fęcundam, de ſecundaria verò conſtitutione, & quaſi extinſeca eſt, quod ſit per voluntatem ſubſiſtentem in duabus Perſonis. Quod autem eſt prima ratio conſtitutiva rei, eſt etiam primò diſtinctiva.

Suppono autem ex dictis, quòd in Filio duæ ſunt relationes formaliter diſtinctæ, ſcilicet filiatio, & ſpiratio activa; per primam primò habet eſſe, & refertur ad Patrem, & per 2. dat eſſe Spiritui Sancto, & ad ipſum refertur ut producens ad productum, & hæc eſt ei communis cum Patre, in quo duas pariter agnoſcimus, ſcilicet paternitatem, & ſpirationem activam. Præſens ergo controverſia eò tendit, ut ſciamus, an per ſolam ſpirationem activam Filius diſtinguatur à Spiritu Sancto. Nam ſic non diſtingueretur ab eo pręciſa ſpiratione activa; ſed, ſi primariò conſtituatur, & diſtinguatur per filiationem, dicendum eſt, quòd præciſa, aut ceſſante ſpiratione activa, adhuc diſtingueretur ab eo ratione filiationis, quam ſemper haberet.

## CONCLUSIO.

F*Ilius, & Spiritus Sanctus primò inter ſe diſtinguuntur, per filiationem ille, & iſte per ſpiratione͂ paſſivam, adeò, ut ſi Spiritus Sanct. ab eo non procederet, adhuc ab eo realiter diſtingueretur*. Ita Scotiſtę cum aliis multis contra Thomiſtas, & recentiores.

Prob. 1. ex Scoto [1], qui eam probat duobus mediis. 1. *Ex ratione formali conſtitutivi*, & ex diſtinctione emanationum, & præterea docet [2], quòd productiones ſe *ipſis diſtinguuntur; generatio enim formaliter ſe ipſa eſt generatio, & ſpiratio ſeipſa formaliter ſpiratio, & ex rationibus formalibus earum impoſſibile eſt generationem eſſe ſpirationem*, &c.

Prob.

[1] 1.*d.* 11.*q.*1.*B.& D.n.*6.*&* 8. [2] *Ibid.n.* 18. *O.*

Prob.2.ex Script.qua conſtat,Filii productionem eſſe veram *generationem*, ut dictum eſt diſp.ſup. & quod procedit ut imago, & ut Verbum, Spiritus verò Sancti proceſſionem non eſſe generationem, ſed *ſpirationem*, & ipſum dici, non *Verbum*, vel *imaginem*, ſed *Spiritum*, *amorem*, & *charitatem*; ergo ex Scriptura productio Spiritus Sancti, & productio Filii ſeipſis diſtinguuntur ſaltem primariò; ergo licèt ſpiratio non eſſet à Filio, adhuc Filius eſſet Filius, imago, Verbum, & genitus, & Spiritus Sanct. adhuc eſſet ſpiritus, amor, charitas, &c. non verò genitus, nec Verbum, nec Filius; ergo Filius, & Spiritus adhuc diſtinguerentur.

Prob. 3. ex Conciliis, & Patribus idem docentibus. Nam dicunt Filium eſſe *genitum*, *non factum*, & Spiritus dicitur, [1] *non factus, nec genitus, ſed procedens*. Item Athanaſ. dicit [2], *Filium eſſe unigenitum*, non autem Spiritum Sanctum, quia *procedit*. Et Baſil. [3] *Spiritus Sanct. non per generationem, ut Filius à Patre veniens, ſed tanquam Spiritus oris ejus*. Et Anſel. *Quoniam Filius exiſtit de Deo naſcendo, & Spiritus procedendo, ipſa diverſitate nativitatis, & proceſſionis referuntur ad invicem, ut diverſi, & alii ad invicem*; ergo Filius, & Spiritus Sanct. primò diſtinguuntur ex diverſitate proceſſionum; ſed non minus eſſent diverſæ, licèt iſte non eſſet ab illo; ergo nec minùs inter ſe diſtinguerentur. Ideò & Cardinalis Aguirre [4] fatetur, Anſelmum nobis favere, quidquid dicatur ad ejus ſenſum detorquendum. *Quibus certè nullo evidenti argumento labefactari poteſt* (noſtra opinio) *ex teſtimoniis ſancti Doctoris*, inquit. Nam duas agnoſcit cauſas diſtinctionis Filii à Spiritu Sancto, 1. quia *ille naſcendo exiſtit* Spiritus Sanct. *procedendo*, & 2. quia iſte eſt de Filio. Quæ autem nobis opponuntur ex eodem Patre, videbimus infrà. Alios plures SS. Patres, & ipſum Sanctum Thomam citant noſtri Patres Maſtrius, Macedo, Baro, Fraſſen, &c.

Prob.4. rationibus Scoti. 1. quia, ut dicebamus, Perſona Filii primò conſtituitur filiatione, ſeu ge-

[1] *Sym. Athan.* (2) *L. de Spir. Sanct.*
(3) *Opuſc. de Spir. Sanct.* 2.
(4) *To.* 2. *tr.* 4. *diſp.* 93. *n.* 12.

generatione paſſiva; ergo per illam primò diſtinguitur. Nam idem eſt principium conſtitutivum, & diſtinctivum. Sed ſi Filius non ſpiraret, adhuc generaretur, ut eſſet Filius; ergo adhuc diſtingueretur à quolibet non genito, & non Filio; ergo & à Spiritu Sancto, qui à Patre procederet, ut Spiritus, non verò ut Filius.

Confir. 1. quia ſpiratio activa ſupponit Filium in ſuo eſſe conſtitutum per generationem, illa non conſtituit primariò, nec diſtinguit Filium à Spiritu Sancto; ergo quamvis ille non ſpiraret, adhuc ab iſto diſtingueretur.

Confir. 2. ex eodem. Si ſolus Filius ſpiraret, Spiritus Sanct. adhuc diſtingueretur à Patre propter paternitatem; ergo ſimiliter diſtingueretur à Filio propter filiationem, licèt ab eo non procederet. Ant. admittunt ferè omnes adverſarii. Prob. conſ. Nam ſpiratio paſſiva non minùs eſt incompatibilis cum filiatione, quàm cum paternitate.

Prob. 5. alia ratione Scoti. Emanationes Filii, & Spiritus Sancti ſe ipſis diſtinguuntur independenter à ſuppoſitis per principia ſua formalia *quibus*, nam una eſt per intellectum, alia per voluntatem, unde fit, ut una ſit generatio, alia non, ſed ſpiratio, & terminus per illam productus eſt Verbum, terminus verò per iſtam procedens eſt Spiritus, ſeu Amor; ſed actiones intellectus, & voluntatis, generatio, & ſpiratio, Verbum, & Amor ex ſua propria ratione formali diſtinguuntur, ſive ſint ab invicem, ſive non, imò & in eadem anima: ergo & diſtinguerentur, ſi unus non eſſet ab alio.

Confir. Quorum unum importat ex ſua ratione formali negationem alterius, illa ex ſe, & ex ratione formali diſtinguuntur; ſed Verbum, & Amor, dictio, & ſpiratio, Filius, & Spiritus ita ſe ſe excludunt; ergo & ſic diſtinguuntur; ergo quamvis iſte ab illo non procederet, adhuc ab illo diſtingueretur.

Prob. min. Nam ratio Verbi, imaginis, generationis, filiationis important negationem Amoris, ſpirationis, doni, &c. & viciſſim iſta important negationem illorum, ita ut repugnet, illa formaliter identificari; ergo, &c.

Igitur in Filio ſunt duæ formalitates notionales, qui-

quibus diſtinguitur à Spiritu Sancto, 1. eſt filiatio, ſeu generatio paſſiva, per quam in ſuo eſſe exiſtentiæ conſtituitur, 2. eſt ſpiratio activa, quam per generationem recipit à Patre, & per quam cum eo producit Spirit. Sanct. ergo quamvis per impoſſibile iſta 2. deeſſet, 1. illa adeſſet, & ſufficeret ad diſtinctionem duarum iſtarum Perſonarum. Alias rationes prætereo, ne ſim prolixior, & ut videamus fundamenta adverſariorum, ex quibus lucem accipiet noſtra reſolutio.

Objic. 1. ex Conciliis, quæ ex ſola oppoſitione relationum inferunt diſtinctionem Perſonarum; ſed ſublata ſpiratione activa Filii nulla eſſet in eo relatio ad Spiritum Sanctum; ergo nec diſtinctio. Prob. maj. 1. ex Concilio Toletano XI. (1) Perſonæ Divinæ *hoc ſolo numerum inſinuant, quòd ad invicem ſunt, & hoc ſolo numero carent, quòd in ſe ſunt*. Et Tolet. I. (2) dixerat, *Credimus, Spiritum eſſe Paraclitum*, qui nec Pater ſit, nec Filius, eò, quòd ſit à Patre, Filioque procedens. Et 2. in Concilio Florentino Joannes Theologus dicebat, quòd *nulla alia ratione, quàm vi relationis Pater à Filio, & una Perſona ab alia differat*. Et Cardin. Beſſarion ibidem, (3) *Eo diſtinguitur Spiritus à Filio, quia per ipſum eſt*, quod ſumpſit ex Gregor. Nyſſ. & ſic explicat, *quaſi diceret, quòd cum ambo à primo ſint, non ſufficienter diſtinguerentur, niſi alter per alterum eſſet*; ergo ceſſaret diſtinctio ſublata proceſſione Spiritus Sancti à Filio ex Cōciliis; quandoquidem in ea proceſſione conſiſtit tota ratio diſtinctionis eorum ab invicem.

Reſp. diſt. maj. Ex ſola oppoſitione relativa, aut diſparata, con. ex ſola oppoſitione relativa, neg. maj. & conſ. illarum ex textibus Conciliorum. Hæc enim non loquuntur de ſola oppoſitione relativa, nec in hypotheſi noſtra, ſed prout de facto res ſe habet. Toletanum I. non habet cauſalem illam, *eò quòd*, ſed dicit nudè, *quòd ſit à Patre, Filioque procedens*. XI. verò refundit cauſam diſtinctionis in emanationum differentiam, quæ ſufficit, ex eo, quòd una ſit generatio, & alia non, ſed ſpiratio; & quoad hoc tam ad invicem ſunt, & comparantur, quam ſi relativè opponerentur. Nam lapis, & lignum, petreitas, & pau-lei-

[1] *Confeſſ. fid.* [2] *ſſ.* 18. (3) *Orat. dogma. c.* 6.

leitas per hoc dici poſſunt ad invicem, quòd alia eſt ratio conſtitutiva ligni, & alia lapidis, & per hoc, quòd petreitas eſt conſtitutiva, & diſtinctiva hujus perſonæ, & pauleitas alterius. Joannes autem in Concil. Florent. cùm eſſet Thomiſta, & Provincialis Dominicanus, diſcurrebat ex ſuis principiis, nec de hoc curabant Patres. Et ita eſt de Beſſarione. Agebatur de proceſſione Spiritus Sancti à Filio, quam negabant Græci, & meritò hi Theologi probabant illam ex diſtinctione, quæ verè eſt ſignum proceſſionis, ſed non tota ratio diſtinctionis, de quo non erat quæſtio.

Imò Concilium iſtud nobis favet. Non enim cenſet, quòd ſi Spiritus Sanct. à ſolo Patre procederet, identificaretur, & confunderetur cum Filio, ſed vel quòd non eſſet Filius, vel quòd non eſſet conſubſtantialis, quandoquidem non acciperet à Patre totam Eſſentiam cum voluntate fœcunda, ſeu cum virtute ſpirativa, vel ſequeretur, quòd Hypoſtaſis Filii diſtingueretur ab Eſſentia, quandoquidem non fœcundaretur per illam ad ſpirandum cum Patre. Accipe verba non alicujus Theologi, ſed ipſius Concilii, [1] *Credentes, Spiritum Sanctum ex Filio nequaquam procedere, neceſſe eſt, Spiritum Sanctum intelligant à ſolo Patre procedere, & conſequenter non eſſe Filium. Qui autem proferunt, Spiritum Sanctum à ſolo Patre procedere, hi profectò re Subſtantiam ab Hypoſtaſi ſeparant*, &c. ergo Concilium non tollit diſtinctionem Filii à Spiritu Sancto caſu, quo iſte ab illo non procederet: ſed potiùs diſtinctionem ejus & à Perſonis, & ab Eſſentia aſſerit.

Inſt. Eadem Concilia, & Patres aſſerunt hoc axioma, quod eſt Achilles adverſariorum, *In Divinis omnia ſunt unum, ubi non obviat relationis oppoſitio*; ſed ſi Filius non ſpiraret, non haberet talem oppoſitionem cum Spiritu Sancto; ergo ambo eſſent unica Perſona.

Reſp. ex Sancto Thoma, [2] qui ſic explicat, & ſolvit hoc argum. *Reſp.* inquit, *quòd hoc modo ſe habent proprietates perſonales in Divinis ad diſtinguendum Perſonas, ſicut ſe habent in rebus naturalibus formæ ſubſtantiales ad diſtinguendas ſpecies rerum .... In rebus autem naturalibus diſtinguitur aliquid per formam*

 *ſuam*

[1] *ſſ. ult.* [2] *Quodlib.8.a.7 fol.mihi 50.*

*ſuam dupliciter, 1. ſecundum directam oppoſitionem formæ ad formam, & hoc modo diſtinguitur unaquæque res naturalis ab omnibus ſpeciebus ſui generis, quæ habent formas oppoſitas, ſecundùm quod genus dividitur oppoſitis differentiis, ſicut ſapphirus diſtinguitur ſua forma ab omnibus aliis ſpeciebus lapidum. 2. diſtinguitur res naturalis per ſuam formam ſecundum habere, & non habere, & ſic quod habet aliquam formam naturalem, diſtinguitur ab omnibus non habentibus illam formam, ſic ſapphirus per ſuam formam naturalem diſtinguitur, non ſolum ab aliis generibus lapidum, ſed à ſpeciebus animalium, & plantarum. Sic ergo dicendum, quòd Filius ſola filiatione diſtinguitur quidem à Patre ſecundum oppoſitionem relativam filiationis ad paternitatem, ſed à Spiritu Sancto diſtinguitur filiatione per hoc, quòd Spiritus S. non habet filiationem, quam Filius habet.* Longiuſculè quidem præter morem, ſed non gravabit Scotiſtam habere talem patronum, & Doctorem contra Thomiſtas.

Reſp. igitur in forma, diſt. maj. Oppoſitio, ſeu incompatibilitas relativa, aut diſparata, ſeu indirecta, & *ſecundum habere, & non habere*, con. maj. & neg. min. relativa, & *directa formæ ad formam* tantùm, neg. maj. & conſ. Nam Spiritus Sanct. per hoc diſtingueretur à Filio, quòd *non haberet filiationem, quam Filius habet*, ut cum S. Tho. loquar, ſeu diſparatè, ut loquitur Scotus.

Inſt. 2. Beſſarion in Concil. Florent. loquitur de mente Gregor. Nyſſeni, non ex ſua, Nyſſenus verò, *Eò diſtinguitur Spiritus à Filio, quia per ipſum eſt*; ergo ex ſola oppoſitione relativa, qualis eſt inter ſpirantem, & ſpiratum, petitur illa diſtinctio Perſonarum in Deo.

Reſp. neg. conſ. Nyſſenus enim hanc quidem cauſam diſtinctionis allegat, qualis de facto eſt, ſed aliam non excludit, quæ ex ratione formali ſingulorum petitur. Beſſarion ipſe docet, Spiritum Sanctum à Filio diſtingui ex duplici capite, 1. quòd non per generationem, ut Filius, ſed per proceſſionem ex *Patre ſit, ac ſi diceret, per diverſum ſubſiſtentiæ modum*, 2. *quòd per ipſum (* Filium *) manifeſtatus ſit*, ſeu procedat. Quid clarius ad mentem noſtram?

Objic. 2. Sancti Patres refundunt totam rationem di-

diſtinctionis Perſonarum in relationes earum mutuas, & oppoſitas producentis, & producti; ſed tota hæc ratio ceſſaret in cauſa concluſionis; ergo & diſtinctio illa inter Filium, & Spiritum Sanctum. Prob. maj. 1. ex Dionyſio. [1] *Eſt autem diſcretio .... quia ineffabilis quoque Divinæ fœcunditatis ratione ad invicem nequaquam convertuntur*. Sed fœcunditas non eſſet in Filio convertibiliter ad Spiritum Sanctum. 2. Nazianzenus [2] quærens, quid deſit Spiritui Sancto, *quominùs ſit Filius*, reſpondet, *nihil deeſſe dicimus, neque enim egens eſt Deus, ſed elocutionis ipſius, ſive relationis, qua ſe invicem reſpiciunt, diverſitas diverſam quoque appellationem ipſis dedit*. 3. Damaſcenus [3] *Unum agnoſcimus Deum in ſolis quidem proprietatibus paternitatis, filiationis, & proceſſionis ſecundum cauſam, & perſonalem perfectionem, id eſt, exiſtentiæ modum differentiam intelligimus*. Paternitas autem, & filiatio, & proceſſio opponuntur relativè; ergo, &c. 4. Auguſt. [4] de Perſonis ait, quòd *hoc ſolo numerum inſinuant, quòd ad invicem ſunt, non quòd ad ſe*; non ſunt autem *ad invicem*, niſi per rationes producentis, & producti. Sanctus Fulgentius [5] *Quia aliud eſt genuiſſe, quàm natum eſſe, aliudque eſt procedere, quàm genuiſſe, vel natum eſſe, manifeſtum eſt, quoniam alius eſt Pater*, &c. 6. Bernardus, [6] *Quod alter ex altero, vel ad alterum veriſſimè dicitur, Perſonarum deſignatio eſt*. 7. Richar. Victor. [7] *In Divina natura circa originem ſolùm oportet quærere Perſonarum differentiam*. Origo autem non eſt ſine relatione originantis, & originati; ergo ex Patribus tota ratio diſtinctionis Perſonarum petitur ex oppoſitione relativa.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. Nam illi omnes, & alii Patres loquuntur de facto, & prout colligimus diſtinctionem actualem Perſonarum ex cauſa ejus ſenſibiliori, qualis eſt origo unius ab alia, in qua fundantur relationes producentis, & producti, ſed non excludunt primam rationem petitam ex differentia formali, & intrinſeca emanationum, quæ fundat oppoſitionem diſparatam, imò plures hanc ſuſtinent. Et 1.



[1] *Div.nom.*8. [2] *Tr.*5.*de Theol.* [3] *de fid.*
[4] 1.*de Civ.*11. *Tr.*39. *in Jo.* [5] *de fide c.* 1.
[6] *Ep.*190. [7] 4.*Tr.*5.

Dionyſius aſſignat quidem Divinæ fœcunditatis rationem, qua ad invicem convertuntur, ſed non excludit aliam. 2. Idem eſt de Nazianzeno. Imò filiatio, & ſpiratio paſſiva, ſecundum quas Filius, & Spiritus Sanct. comparantur, tam inter ſe opponuntur diſparatè, quàm ſpiratio activa, & paſſiva relativè. Et tam diverſitas intrinſeca emanationum, ſcilicet filiationis, & ſpirationis, nomina eis diverſa dedit, quàm illæ correlationes.

3. Damaſcenus apertè nobis favet. Dum enim diſtinguit Patrem à Filio per ingignentiam, & gignentiam, & proceſſionem, attendit ad diſtinctionem, quæ venit ex correlationibus; dum verò eos diſtinguit penes exiſtentiæ modum, petit diſtinctionem ex oppoſitione diſparata, quæ venit ex ratione ſpeciali emanationum, quarum una eſt gignitio vera, non autem altera, ſed ſpiratio.

4. Auguſtinus vult tantùm, quòd Perſonæ de facto diſtinguantur, & numerentur per proprietates relativas, quæ ſingulis ſunt propriæ, non autem per abſolutas, quæ ſunt communes, quod concedimus, non autem excludit oppoſitionem diſparatam, quæ ſequitur ex propria ratione procedendi, qua fit, ut una ſit generatio, & alia ſpiratio, imò docet, quòd *Spiritus Sanctus non eſt Filius, licèt exeat a Patre; quia exit, non quomodò natus, ſed quomodò datus.* Vides, quòd non aſſignat ejus proceſſionem à Filio, ſed propriam, & formalem rationem proceſſionis, ut probet, eum non eſſe Filium.

5. Idem patet ex Fulgentio dicente, *Manifeſtum eſt, quòd alius eſt Pater, alius Filius*, &c. Quarè? quia *aliud eſt genuiſſe, & natum eſſe, quam procedere*, ſcilicet ex differentia formali proceſſionum. Filius naſcitur, & ideò diſtinguitur à Spiritu Sancto, qui non naſcitur, ſed procedit, & ſpiratur. Non autem allegat præcisè, quòd unus ex alio eſt, quamvis & hoc potuiſſet dicere, & verè.

6. Bernardus veram unam rationem diſtinctionis aſſignat, *quòd alter ex altero eſt*, ſed aliam non excludit, nec examinat; nempè quòd alter naſcitur, & alter non, ſed ſpiratur.

7. Idem eſt de Richardo, qui unam aſſignat ſine conſideratione, & excluſione alterius rationis,

de

de qua non erat quæſtio.

Inſt. Si ſola oppoſitio diſparata ſufficeret, paternitas, & ſpiratio activa diſtinguerentur realiter; idem eſt de juſtitia, & miſericordia, & aliis attributis, quia tam diſparatè opponuntur, quàm ſpirari, & generari; ſed conſeq. eſt falſum; ergo illa oppoſitio non ſufficit ad diſtinctionem realem Filii, & Spiritus Sancti.

Reſp. neg. maj. & diſt. rationem ejus. Tam repugnant ex ratione formali præcisè, conc. tam repugnant in eodem ſuppoſito, neg. ant. Quia opponuntur diſparatè inter ſe, ideò diſtinguuntur formaliter ex natura rei, ſed non realiter, quia non repugnant, nec opponuntur in eodem ſuppoſito: Benè verò gigni, & ſpirari, ſeu filiatio, & ſpiratio paſſiva. Idem eſt, cùm objicitur de paternitate, & ſpiratione activa, & de filiatione cum eadem ſpiratione activa. Non enim repugnant in eodem ſuppoſito, ſicut produci duabus productionibus adæquatis, & formaliter diverſis, ut ſunt naſci, & ſpirari.

Inſt. 2. Si oppoſitio diſparata ſine relativa ſufficeret, id haberet ex ſe, vel aliunde; ſed neutrum dici poteſt; ergo non ſufficit ſine relativa. Prob. min. 1. non ex ſe, alioqui ſemper id efficeret, & ſic Pater ut generans diſtingueretur realiter à ſeipſo, ut ſpirante, & ſic de Filio, & ſic de aliis. 2. ſi aliunde, ergo diſtinctio realis, quæ eſſet inter 2. & 3. perſonam, ſi hæc ab illa non procederet, aliunde eſſet, quàm ab oppoſitione diſparata filiationis, & ſpirationis paſſivæ.

Reſp. 1. retorquendo argum. Si oppoſitio diſparata, & directa non ſufficit ſine relativa ad diſtinctionem; ergo nulla oppoſitio diſparata ſufficiet: ſed illa non ſufficit; ergo nulla ſufficiet unquam, quod falſum eſt in doctrina S. Thomæ, & patet ex allato exemplo de ſapphiro cum aliis lapidibus, & animalibus. Quod ſi aliquando ſufficit; ergo & tunc ſufficeret.

Reſp. 2. neg. maj. Nec enim id habet præcisè, ut diſparata; ſed ut diſparata paſſiva, quatenus afficit, & conſtituit duos terminos totales diverſarum actionum, ut filiatio, quæ terminat generationem, & ſpiratio paſſiva, quæ terminat aliam actionem ſpirativam. Id verò non habet paternitas cum ſpiratione activa, nec filiatio cum eadem. Quòd aliqua non ſuf-

ficiat, fatemur, quòd nulla ſufficiat, maximè in ſenſu, & caſibus prædictis, negamus; quod patet de paternitate, & ſpiratione paſſiva, quæ diſtinguuntur realiter per oppoſitionem diſparatam.

Inſt. 3. Tam implicat, eandem Perſonam bis producere, quàm bis produci; ergo tam implicant duæ relationes activæ in una Perſona, quàm duæ paſſivæ, vel iſtæ non magis implicant, quàm illæ. Prob. ant. Si Perſonæ conſtituuntur per relationes activas, ut Pater, tam implicant duæ activæ, quàm paſſivæ; ſed in Deo Perſonæ conſtituuntur per activas, nam Pater conſtituitur per paternitatem, quæ eſt generatio activa, & per ſpirationem activam; non enim eſt major ratio de una, quàm de alia, ergo &c.

Reſp. neg. ant. & min. prob. & rationem ejus. Nam prima Perſona conſtituitur quidem generatione activa; non tamen ſpiratione, quæ jam invenit conſtitutam.

Inſt. 4. Si per impoſſibile mutaretur ordo proceſſionum, itaut ſpiratio præcederet generationem, ſicut nunc iſta præcedit, priùs diceretur ſpirator, quàm Pater, & per ſpirationem conſtitueretur, ergo tam ſpiratio eſt conſtitutiva, quàm paternitas.

Reſp. neg. conſ. Nam aliud eſt, quòd ſpiratio in ſuppoſitione antecedentis conſtitueret 1. Perſonam, quia non ſupponeret conſtitutam per ullam priorem, quod concedimus, & aliud, quod de facto conſtituat, quia cùm ſit poſterior generatione, jam invenit, aut ſupponit conſtitutam; ſicut non ſequitur, quòd Filius nunc generetur à duabus, quia in eodem illo caſu id fieret.

Objic. 5. Non debent poni diſtinctiones in Deo ſine neceſſitate fidei, vel rationis: ſed neutra urget diſtinguere Filium à Spiritu Sancto, ſi hic ab illo non procederet; ergo non diſtingueretur. Prob. min. Fides enim eſt ratio potiùs probans contrarium, ut patet ex Conciliis, & Patribus citatis, & ex rationibus allatis.

Reſp. 1. retorquendo argum. Non debent confundi perſonæ in Deo, niſi urgeat fides, aut ratio; ſed neutra urget, ergo &c. Prob. min. Fides diſtinguit illas, & non docet explicitè, unde ſit illa diſtinctio; & ratio cæcutit in hoc myſterio; ergo &c.

Reſp.

Reſp. 2. neg. min. In illa enim petitur principium. Quæſtio enim eſt, an ex fidei, vel rationis principiis colligi poſſit talis diſtinctio in caſu illo, & nos affirmativam tenemus, & nitimur utriſque principiis, ut patet.

Objic. 6. Spiratio activa eſt conſtitutiva Filii; ergo ſi non ſpiraret Filius, non diſtingueretur à Spiritu Sancto. Prob. ant. Spiratio activa non eſt accidentalis Filio; ergo eſt illi eſſentialis. Patet ant. Nihil enim eſt accidentale Deo. Prob. conſ. Quod enim advenit enti conſtituto, & completo eſſentialiter, eſt illi accidentale.

Reſp. neg. 1. ant. & diſt. 2. Non eſt accidentale phyſicè, conc. logicè, aut metaphyſicè, neg. ant. & prob. ejus. Illud quidem eſt accidens logicè, aut metaphyſicè, quod eſt aliquo modo extra eſſentiam, & rationem primò conſtitutivam ejus, ut ſunt proprietates rei, ſed non obſunt ſimplicitati, nec neceſſitati eſſendi, ſi non diſtinguuntur realiter, nec adveniunt de novo, nec ſeparari poſſunt, ut accidentia phyſica.

Inſt. Præciſa ſpiratione activa Filius non haberet integram rationem diſtinctionis perſonalis à Spiritu Sancto, qualem aſſerunt Patres; ergo non diſtingueretur.

Prob. ant. S. Anſelmus docet, generationem paſſivam, & ſpirationem activam conſtituere Filium, & illum per utramque diſtingui ab aliis; ergo &c.

Reſp. neg. ant. Nam propriè loquendo diſtinctio, & identitas non habent partes. Fateor, in Filio duas eſſe relationes, & per ambas diſtingui, ſed diverſo ordine, & non æquè primò. 1. conſtituitur per generationem paſſivam, & 2. per ſpirationem activam. Et ideo iſta deficiente adhuc totaliter eſſet Filius, & totaliter diſtingueretur a Spiritu Sancto, & à Patre.

Objic. 7. ex Scoto. Omnis diſtinctio realis eſt inter ea, quæ vel ſunt ſeparabilia, aut ſeparata, vel ſe habent per modum ſeparabilium, vel inter producens, & productum, quod ponit propter Perſonas Divinas; ſed hæc ſigna diſtinctionis ceſſarent inter Filium, & Spiritum Sanctum, ſi hic ab illo non procederet; ergo, &c. Prob. min. Non adeſſet ſeparatio, nec ſeparabilitas, nec modus, vel umbra

ſeparabilitatis, nec proceſſio unius ab alio, ergo &c.

Reſp. neg. min. & ant. prob. Nam ibi adeſſet incompoſſibilitas proprietatum perſonalium, quæ æquivalet ſeparabilitati. Tales ſunt ſpiratio paſſiva, qua conſtituitur Spiritus Sanctus, & generatio item paſſiva, qua conſtituitur Filius, & ſunt incompoſſibiles in eadem perſona, cui repugnat produci duabus productionibus totalibus, & adæquatis diſparatis. Hæc de controverſia ſpeculativa ſatis.

Colligis ergo, quòd in Deo Patre eſt duplex ratio diſtinctionis à Spiritu Sancto paternitas, & ſpiratio activa, ſimiliter in Filio eſt filiatio, & ſpiratio activa, quas vocamus diſparatè oppoſitas, ſeu incompoſſibiles, ſive oppoſitio ſit formalis in rigore Logicæ, ſive non, de quo non curo. Volunt aliqui, quòd ſola oppoſitio relativa ſit rigoroſa, & propria; ideò, inquiunt, lignum, & lapis diſtinguuntur quidem realiſſimè, ſed non opponuntur. Quæſtio eſt de nomine. Illa autem dicuntur opponi diſparatè, quæ non magis inter ſe ſunt incompoſſibilia, quàm cum alio tertio, ut lapis, & lignum non magis inter ſe pugnant, quàm cum carne, vel aqua. Ita eſt de Petro, & Paulo reſpectus Joannis, &c.

Colligis 2. ex his duabus quæſtionibus, quòd præciſa, & formalis ratio, cur Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio, eſt, quia ordo principiorum formalium, *quibus* agit Deus, petit, ut actiones intellectus ſint origine priores actibus voluntatis. Et ſic generatio eſt prior origine, quàm ſpiratio. Ideò in illo priori, quo generatur Filius, communicatur illi tota Eſſentia, & fœcunditas voluntatis in ſumma identitate cum Patre, & ſic indiviſibiliter ſpirat cum illo. Sed ſi per impoſſibile agerent alio ordine potentiæ illæ, aut ſi fœcunditas illa ligaretur in Filio, tamen Spiritus Sanctus procederet talis, qualis eſt ſubſtantialiter, & tam diſtingueretur à Filio, quàm nunc, non quidem ex eodem capite, ſc. ob proceſſionem ab eo, ſed quia procedit ut amor, & ut datus, & Filius per generationem, & ut natus, denique per ipſam ſpirationem, & filiationem, quæ formaliter, & ſe ipſis differunt.

# QUÆSTIO VI.

## *An Spiritus Sanctus producatur liberè, an neceſſariò.*

MOx dicebamus, Spiritum Sanctum procedere per voluntatem, ut principium *quo*, Filium verò per intellectum, & ideò iſtius productionem eſſe veram generationem, illius verò vocari proceſſionem, vel ſpirationem, quia intellectus eſt potentia agens per modum naturæ, ſc. ex determinatione ad unum, voluntas per modum libertatis, & inclinationis. Quia verò Spiritus Sanctus eſt verus Deus, ideò eſt ens ſummè neceſſarium excludens omnem contingentem.

Diximus in Philoſophia, libertatem eſſe propriam, & inſeparabilem ab actibus voluntatis, ſed diſtinximus eam in *neceſſariam*, ſeu *eſſentialem*, & *contingentiæ*, illam diximus ſtare cum neceſſitate, & iſtam excludere omnem neceſſitatem.

Inter gradus neceſſitatis notantur neceſſitas *immutabilitatis*, & *inevitabilitatis*. Illa excludit poſſibilitatem oppoſiti rei, quæ ſemel ineſt, eſtque neceſſitas conſequens, & ex ſuppoſitione, iſta verò importat præterea impoſſibilitatem non exiſtendi in eo, quod de facto eſt; ita ut non potuerit non eſſe. Et iterum duplex eſt, 1. *intrinſeca*, quæ venit ex parte principii agentis, & dicitur *eſſentialis*, quia ſignificat principium ex ſe, & ex natura ſua determinatum ad unum, 2. *extrinſeca*, ſeu *accidentalis*, ſeu *ſimplicis inevitabilitatis*, quam ſibi quaſi ab extrinſeco imponit agens ex intrinſeca ſua rectitudine, quæ non permittit, ut aliter agat. Non loquimur de illa 1. neceſſitate *intrinſeca*; quæ non eſt propria voluntati, ſed potentiæ naturali, ſed de hac 2. quæ ideò vocatur *extrinſeca*, quia venit non ex natura intrinſeca potentiæ, ſed ex illa rectitudine, quæ non ſinit potentiam non agere, nec aliter agere, licèt alioqui agat liberè, ſeu ex propria inclinatione, & determinatione, eligibiliter, delectabiliter, & complacenter.

## CONCLUSIO.

P*Roceſſio Spiritus Sancti eſt neceſſaria neceſſitate ſimplicis inevitabilitatis, & libera libertate eſſentiali*. Ita Scotiſtæ cum ipſo S. Thoma contra plures Thomiſtas, & alios.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quòd neceſſitas hujus productionis moris adæquati, ſicut & neceſſitas dilectionis, qua formaliter habens voluntatem diligit, eſt ex infinitate voluntatis, & ex infinitate objecti, quia neutrum ſine altero ſufficit ad neceſſitatem. Iſta autem duo ſufficiunt hoc modo, quia voluntas infinita non poteſt non eſſe recta, nec poteſt non eſſe in actu recto... ſed infinita voluntas habens tale objectum, quod eſt ex ſe rectè amandum, perfectè præſens eſt ratio neceſſaria tam volendi illud bonum, quàm ſpirandi amorem illius boni*, &c.

Idem docet in Reportatis, [2] & alibi [3] diſtinguit has propoſitiones, & earum neceſſitatem, *Sunt aliter, & aliter iſtæ propoſitiones neceſſariæ, Deus neceſſariò vivit, quia neceſſitate naturæ; Deus neceſſariò intelligit, quia neceſſitate intelligibilis determinantis intellectum ad hoc, ubi eſt aliqua diverſitas rationis; Deus neceſſariò ſpirat Spiritum Sanctum, quia neceſſitate naturali non præveniente, ſed concomitante; Deus neceſſariò amat ſe neceſſitate conſequente infinitatem libertatis abſque aliqua neceſſitate naturæ*. Porrò per *neceſſitatem naturalem* intelligit idem, quod innatum. *Cum voluntas Divina ex ſua perfecta libertate habeat neceſſariò aliquod velle, iſta neceſſitas perfectæ libertatis poteſt dici (iſto modo) neceſſitas naturalis*. Quod notandum eſt, ne æquivocetur in voce *naturæ* aut *naturalis*. Longè enim diſtant *naturaliter agere*, & *neceſſariò agere*, ergo Scotus admittit aliquam neceſſitatem, & aliquam libertatem in proceſſione Spiritus Sancti.

Prob. 2. ex S. Th. [4] *Deus ſua voluntate liberè amat ſeipſum, & neceſſarium eſt, quòd tantum amet ſe ipſum, quantum bonus eſt... Liberè igitur Spiritus Sanct. procedit à Patre, non tamen poſſibiliter, ſed neceſſitate.*, &c.

[1] 1. *d*. 10. *N*. *n*. 10. [2] *n*. 4. *ibid*.
[3] *quodl*. 16. *n*. 11. [4] *De poſt*. *q*. 10. *a*. 2. *ad* 5.

&c. Alibi tamen docet, eum naturaliter procedere, *quamvis per modum voluntatis procedat*, fortè, quia naturale ſumit, prout opponitur violento. Sufficit autem, quòd differentiam agnoſcat inter modum agendi voluntatis, & intellectus.

Prob. quoad 1. p. ratione Scoti. [1] Spiritus Sanct. procedit ut Deus; ergo neceſſariò. Nam Deus eſt ens ſummè neceſſarium, & immutabile, nihil eſt in eo contingens, ſaltem entitativè. *Igitur cùm accipiat eſse procedendo, actus ille quo procedit, eſt ſimpliciter neceſſarius*, inquit. Et de hoc nullus dubitat.

Prob. 2. par. ex Philoſophia. Nam Spiritus Sanct. procedit per voluntatem, ut principium formale *quo*, & elicitivum; ſed voluntas nihil poteſt ſic agere ab intrinſeco, niſi liberè; ergo Spirit. Sanct. procedit liberè. Maj. patet ex dictis. Min. etiam probata eſt in Philoſophia. Nam in hoc diſtinguitur modus agendi voluntatis à modo agendi intellectus, quòd hic agit per modum naturæ ad unum determinatæ, & dicitur potentia naturalis, & intrinſecè neceſſaria, voluntas verò ex ſe non agit ut determinata, ſed ſponte, per modum ponderis, & inclinationis, & incoactè. Unde libertas iſta dicitur *à coactione*, & à ſervitute, quas ſine dubio voluntas Dei penitùs excludit, agitque potiùs cum dominio ſui, & proprio arbitrio, & ſui compos.

Confir. 1. quia per proceſſionem liberam nihil aliud intelligimus, quàm quæ eſt à principio voluntario ſine coactione, & violentia, & eligibiliter, & complacenter; ſed talis eſt productio Spiritus Sanct. ergo & hoc ſenſu libera eſt.

Confir. 2. quia modus agendi voluntatis opponitur modo agendi intellectus; ſed modus iſtius eſt agere naturaliter; ergo modus voluntatis eſt agere liberè, nec alia differentia poteſt aſſignari. Agere autem naturaliter, & liberè opponuntur.

Confir. 3. quia Spiritus Sanct. procedit ut amor, & donum, & eſt ipſamet charitas; ſed hæc non ſunt ſine aliqua libertate; ergo &c. Hinc oritur optima ratio, cur hæc proceſſio non ſit vera generatio, ſicut proceſſio Filii.

Prob. 2. Quod operatur perfectiſſimè ſecundum potentiam

[1] *Quodl. cit. n. 2.*

tentiam perfectiſſimam, operatur ſecundum perfectiſſimum illius potentiæ; ſed Pater, & Filius operantur perfectiſſimè per voluntatem perfectiſſimam ſpirando; & operatio libera eſt modus perfectiſſimus agendi voluntatis; ergo ſpirant liberè.

Objic. 1. con. 2. par. Quod non poteſt non eſſe, nec aliter eſſe, non eſt ullo modo liberum; ſed talis eſt Spiritus Sancti proceſſio; ergo non eſt ullo modo libera.

Reſp. diſt. maj. Non eſt liberum libertate contingentiæ, con. libertate eſſentiali, neg. maj. & conſ. Non aſſerimus libertatem contingentiæ, ſed eſſentialem, quæ eſt inſeparabilis à voluntate in actibus elicitis.

Inſt. Spiratio eſt libera, vel quia eſt ſine coactione, vel quia eſt cum delectatione, vel quia valet ad contraria, aut contradictoria, vel quia ejus principium ſe determinat ab intrinſeco ad illam; ſed nihil horum dici poteſt de ſpiratione illa, ut dicatur verè libera; ergo &c. Prob. min. 1. de libertate contrarietatis, & contradictionis. Nam dicit contingentiam, & opponitur neceſſitati. 2. de aliis patet. Nam bruta agunt, & appetunt ſua objecta ab intrinſeca ſui appetitus determinatione, & incoactè, & delectabiliter, & tamen non dicuntur liberè agere; ergo nihil dici poteſt de illa proceſſione, quod ſalvet ejus libertatem.

Reſp. ad maj. id dici, quia voluntas Divina ſe ab intrinſeco determinat eligibiliter, delectabiliter, & complacenter cum perfecta cognitione finis, ut domina ſui actus; & quoad hoc neg. min. & ant. prob. ejus; falſum enim eſt, bruta ſic ſe determinare ad ſua objecta.

Objic. 2. Liberum, & neceſſarium opponuntur, ſicut determinatum, & indeterminatum; ſed per nos illa proceſſio eſt neceſſaria; ergo non eſt libera.

Reſp. diſt. maj. Liberum contingens, con. liberum eſſentiale, neg. maj. Loquimur de libertate eſſentiali mox explicata, quæ ſtat cum ſumma neceſſitate, & determinatione.

Objic. 3. Spiritus Sanct. procedit naturaliter; ergo nō liberè libertate eſſentiali. Prob. ant. ex D. Cyrillo. [1]

Non

[1] 13. *Theſ.* 11.

*Non eſt alius Spiritus à Deitatis Eſſentia, ſed ex ipſa, & in ipſa naturaliter emiſſus*; ergo &c.

Reſp. diſt. utrunque ant. Naturaliter, id. ab Eſſentia, velut à principio formali remoto, & radicali, con. ut à principio formali *quo*, & proximo, neg. ant. Nec enim id prætendit Cyrillus, ſed tantùm de Eſſentia, ut principio radicali, de qua, & in qua producitur Spiritus Sanct. & ideò *in ipſo Deo eſſentialiter eſt, & inſeparabiliter ex ipſo procedit*, inquit.

Inſt. Unius eſſentiæ unicus eſt modus communicandi; ſed Natura Dei communicatur ut principium naturale in generatione Filii; ergo & in ſpiratione.

Reſp. diſt. maj. Si ſit unicum principium formale *quo*, & proximum, con. ſi non ſit unicum tale principium, neg. maj. & conſ. Nam Eſſentia, ut dictum eſt, non eſt niſi principium formale remotum; formale verò *quo*, & proximum duplex eſt, ſc. intellectus, & voluntas, quæ valdè differunt in modo agendi.

Aliæ objectiones patent ex Philoſophia.

## QUÆSTIO VII.

### *An, & quo ſenſu Pater, & Filius diligant ſe, & creaturas Spiritu Sancto.*

Diximus ſuprà, non rectè dici, quòd *Pater ſit ſapiens ſapientia genita*, ſicut dicitur, quòd Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto, ut SS. Patres ſæpius loquuntur. Videndum hìc, quo ſenſu id dici poſſit.

Notandum autem, quòd ille caſus ablativus junctus verbo activo denotat habitudinem alicujus cauſæ formalis, vel efficientis, vel inſtrumentalis. Ideò, cum dicitur, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*, ille ablativus *Spiritu Sancto* cum verbo *diligunt*, debet ſignificare, quòd Spiritus Sanct. ſit vel forma, per quam ſe diligunt, ut principium formale *quo* effectivum amoris; ſicut calor ignis eſt principium formale *quo* effectivum calefactionis, vel formale *quo* denominativum, & conſtitutivum, ſicut albedo denominat, & conſtituit album, & ſapientia ſapientem, vel quaſi.

[1] *Ibid.*

quaſi inſtrumentum, quo activè ſe amant, ſicut quis dicitur vulnerare enſe, aut ferire baculo, & in hoc ſenſu talis propoſitio eſt falſa: vel denique ſignificat habitudinem cauſæ efficientis ad effectum, à quo illa denominatur, ſicut ignis dicitur calefacere à calore, quem producit, & arbor floreſcere à floribus, quos emittit in ſe. Certè non tam diſputatur, an ſit licitum ita loqui de Spiritu Sancto, quàm quo ſenſu id dicatur, ut ſit verum. Tamen, quia controverſia eſt multùm grammaticalis, breviter ab ea nos expediemus. Certum enim eſt, quòd quicunque locutione illa utuntur, nullam intendunt imperfectionem ſignificare in Deo, ſed explicare hoc myſterium juxta principia fidei, quantùm fieri poteſt.

## CONCLUSIO V.

IN vero aliquo ſenſu dicitur, quòd Pater, & Filius *diligunt ſe Spiritu Sanct. non tamen in ſenſu propriè formali, nec purè effectivo, ſed ut ſignificetur, quòd Pater, & Filius producunt Spiritum Sanctum, qui eſt amborum amor appropriatè*. In re debet eſſe communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Quando dicuntur Pater, & Filius diligere ſe Spiritu Sanct. hoc quippe eſt, Patrem, & Filium producere Amorem, qui eſt Patris, & Filii, ſicut Patrem dicere ſe Verbo, eſt producere Verbum, quod eſt declarans ipſum Patrem*. En ſenſum, in quo hæc propoſitio verificatur, ex Scoto.

Prob. 1. par. ex Patribus, qui ſic loquuntur, ut Auguſt. [2] *Spiritus Sanct. eſt, quo Genitus à Generante diligitur, Genitoremque ſuum diligit*. Et S. Hieron. [3] *Spiritus Sanct. nec Pater eſt, nec Filius, ſed dilectio Patris ad Filium, & Filii ad Patrem, ſeu dilectio, quam habet Pater in Filio, & Filius in Patre*. Et Bernardus, [4] *Pater, & Filius dicuntur diligere Amore, qui ab illis procedit*, &c. Ergo in aliquo ſenſu id verè dicitur. Non enim cenſendi ſunt SS. Patres malè ſenſiſſe de Deo, & potiùs explicandi ſunt in vero aliquo ſenſu, quàm arguendi. Et ita docent Theologi communiter.

Prob.

[1] 1. *d*. 32. *q*. 2. *E*. *n*. 11. [2] 2. *Tr*. 5. [3] *In Pſ*. 17. [4] *De proceſſ. S. S.*

Prob. 2. p. Nam ſi ablativus ille *Spiritu Sancto* ſumeretur in genere cauſæ formalis, ſignificaret, Spiritum Sanct. eſſe formalem dilectionem, qua Pater, & Filius ſe mutuò diligunt, & ſic non eſſet Perſona in ſe ſubſiſtens, ſicut cùm dicitur, *Ignis calefacit calore, vel calefactione;* ſed conſ. eſt falſum, quia Spiritus Sanct. non habet rationem formæ, aut qualitatis, ſed eſt Perſona ſubſiſtens; ergo, &c.

Prob. 2. Pater & Filius ſe amant eodem Amore, quo Spiritus Sanct. ſc. Amore communi, & eſſentiali; ſed Spiritus Sanct. non eſt Amor eſſentialis, nec ipſe Amor ſui, quo ſe amat; ergo nec propriè Amor formalis, quo illi ſe amant.

Prob. 3. par. ex eodem Scoto. Si hoc diceretur in ſenſu verè effectivo, Spiritus Sanct. eſſet vel ipſa ſpiratio activa, qua Pater, & Filius illum producunt, & actus purè notionalis, vel eſſet terminus ſpirationis; ſed in neutro ſenſu verè dici poteſt, quòd ſe amant Spiritu Sanct. ergo & illa propoſitio non eſt vera in ſenſu effectivo propriè. Prob. min. 1. quia ſpiratio activa propriè identificatur Patri, & Filio, & eſt eadem in utroque, & ſenſus eſſet, quòd ſpirant Spiritu S. ſed hoc falſiſſimum eſt; ergo &c. Terminus ſpirationis activæ eſt ſpiratio ipſa paſſiva, & Perſona, quam hæc relatio conſtituit, non afficit, nec denominat formaliter ipſos ſpirantes, ſicut ædificium non afficit ædificantem, nec dicitur, *Ædificator ædificat ædificio*, inquit Doctor; [1] ergo &c.

Prob. 3. p. quia in illo ſenſu hæc propoſitio vera eſt, & conformior loquutioni SS. Patrum, nec poteſt commodiùs explicari. Patet enim ex dictis, quòd Spiritus Sanct. eſt Amor appropriatè, & propriè Amor ſpiratus, & quidem à Patre, & Filio; ergo verè in hoc ſenſu dici poſſunt amare ſe Spiritu Sanct. ſcilicet quatenus eſt Amor utriuſque per appropriationem.

Objic. 1. contra 1. p. Hæc propoſitio in proprio ſenſu non eſt vera, nec aſſerta à SS. Patribus; ergo nec admittenda. Prob. ant. Nam ab ipſo Auguſtino fuit retractata cum iſta, *Pater eſt ſapiens ſapientia genita*; ergo ſenſit, neutram eſſe veram in ullo ſenſu.

Reſp. neg. ant. utrunque. Nam & diximus ſuprà, me-

[1] *Ibid.*

meritò illam retractavit Auguſt. de ſapientia; quia *ſapere*, & *ſapientia* nunquam dicitur de Deo notionaliter; benè verò *diligere*, quod defectu vocum dicitur tam notionaliter, quàm eſſentialiter. Actus notionalis intellectus vocatur *dictio*, ſeu *dicere*, eſſentialis verò *intelligere*, ſed pro voluntate non habemus aliud nomen ſignificans actum ejus notionalem, & eſſentialem præter *diligere*, ſeu *amare*. Falſum autem eſt, Auguſtinum hanc propoſitionem retractaſſe, ſicut aliam, ut notant Theologi.

Inſt. Diligere in hac propoſitione ſumitur eſſentialiter, vel notionaliter; ſed in neutro ſenſu eſt vera; ergo in nullo. Prob. min. 1. ſi eſſentialiter; ergo tam vera eſſet de ipſo Spiritu Sanct. quàm de Patre, & Filio, quos diligeret ſe ipſo, quod eſt abſurdum, & falſum. 2. ſi notionaliter; ergo diligere eſſet ipſum ſpirare, & ſic ſenſus eſſet, quòd ſpirant ſe Spiritu Sanct. quod etiam falſum eſt, & ridiculum.

Reſp. neg. maj. Sumitur enim nec purè eſſentialiter, nec purè notionaliter, ſed permixtè, & ſignificat, quòd *Pater*, *&* *Filius communicant Spiritui Sanct. Amorem*, *quo ſe diligunt*. ſc. activè, ſeu principiativè. Sic *diligere* pro formali dicit quid eſſentiale, pro materiali notionale, ſc. Perſonam productam, cui communicant Amorem illum eſſentialem ſpirando, ſeu producendo ipſum.

Objic. con. 3. part. quæ videtur contr. Thomiſtas. Quando in actione includitur effectus, ſeu terminus ejus, agens poteſt denominari ab illo in ablativo tanquam forma; ſed in actu *diligere* includitur *dilectio* producta, ſeu Spiritus Sanct. ergo poteſt dici, quòd Pater, & Filius ſe diligunt Spiritu Sanct. qui eſt dilectio producta. Prob. maj. De arbore rectè dicitur, quòd *floret floribus*, quia emittit flores; ergo ſimiliter dici poteſt de Patre, & Filio, quòd ſe diligunt Spiritu Sanct. quia ſicut florere includit effectum, ſc. flores, ita & diligere includit dilectionem productam, quæ eſt Spiritus Sanct.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. Nam, inquit Scotus, verbum *florere* eſt intranſitivum, ſeu neutrum, non verò propriè activum, ſicut *diligere*, & ſignificat flores habere potiùs, quã producere. Et, ſi arbor flores emitteret extra ſe per veram actionem, non tam diceretur

flo-

florere, quàm flores producere, &, ſi Deus in illa ſe ſolo flores produceret, ut in virga Aaronis, illa non minùs diceretur florens, aut florida, quamvis non produceret activè flores; ergo illa major non eſt ſemper vera.

Objic. con. ult. p. In eo ſenſu tam diceretur, quòd Spiritus Sanct. ſe diligit ſe ipſo, quàm quòd Pater, & Filius ſe diligant Spiritu Sanct. ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant. Prob. maj. Tam Amor ille, quem Pater, & Filius communicant Spiritui Sanct. per ſpirationem, eſt in eo, quàm in illis; ergo eodem modo prædicaretur de ipſo.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. Nam Spiritus Sanct. non communicat ſibi activè Amorem illum; ergo non poteſt eodem ſenſu dici diligere ſe ipſo, ſicut dicitur de Patre, & Filio, quòd ipſo ſe diligunt. Quòd ſi per illud intelligas tantùm, quòd Spiritus Sanct. amat ſe amore eſſentiali ſibi communicato ab illis, qui Amor appropriatur ei, concedo, id dici poſſe, & tunc neg. min. Nam verè ſinguli ſe amant illo Amore, qui ſingulis ineſt formaliter. Sed de hoc non eſt quæſtio.

## DISPUTATIO II.

*Non poteſt propriè dici, quòd Pater, & Filius amant creaturas Spiritu Sancto, ſed tantùm appropriatè.*

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Non oportet concedere, Patrem, & Filium diligere creaturas Spiritu Sanct. ſicut diligunt ſe Spiritu Sanct. quia iſte modus diligendi, ut ſumitur principiativè, videtur eſſe primò illius termini dilectionis, cujus ipſa dilectio eſt formaliter ex hoc, quòd eſt principiata*, &c. ergo non eodem modo unum dici poteſt, ſicut aliud; quia non eodem communicant utriſque Amorem, & eſſe.

Prob. 2. Quia Pater, & Filius amant ſe neceſſario Amore, & creaturas cõtingenter, & Amor, quo ſe amant Spiritu Sanct. eſt aliqualiter notionalis, & ad intra, ille verò, quo amant creaturas, eſt purè cõmunis, & ad extra, & dicitur tantùm appropriatè de Spir. Sanct. ergo hic nõ dicitur ille Amor propriè, ſed tãtũ appropriatè.

Quæ-

[1] *Ibid. G. n. 14. & Repor. ibid.*

Quæſtio hæc pendet ab illa, in qua quæſivimus, an Verbum procedat ex cognitione creaturarum, & Spiritus Sanct. ex amore earundem. Sed de quæſtionibus nominalibus ſatis.

## DISPUTATIO VII.

### *De circuminſeſſione, & miſſione Perſonarum Trinitatis Divinæ.*

HÆc duo una diſputatione complector, quia pauca de illis, & quidem poſitivè potiùs, quàm ſcholaſticè proponenda ſunt.

## QUÆSTIO I.

### *An, & quid ſit circuminſeſſio in Divinis.*

NOmine *circuminſeſſionis* intelligimus mutuam, & perfectam inexiſtentiam unius Perſonæ in alia, non per continentiam unius ab alia, ut volebant *Metangiſmonitæ*, ſeu *Tranſvaſantes*, apud Auguſtinum [1] dicentes, Filium eſſe in Patre, ut vas minus in majori, ſed per intimam præſentiam, & compenetrationem reciprocam ſalva diſtinctione perſonalitatum, ſeu *Perſonarum aliarum in aliis omninò conjunctam, & nulla comparte confuſam manſionem, & ſedem*, inquit Dionyſ. [2] ſeu *immanentiam, & ſtabilitatem Hypoſtaſeon invicem*, ut ait Damaſc. [3] Denique *circuminſeſſio eſt alicujus ſubſiſtentis in ſubſiſtente realiter diſtincto mutua, & intima præſentialitas in eadem numero natura*, inquit Doctor. [4]

Porrò ad propriam circuminſeſſionem requiritur 1. unitas naturæ circuminſedentium, cujus defectu duo corpora compenetrata non dicuntur circuminſidere propter dualitatem numericam naturarum. 2. ut quodlibet ſit ſubſiſtens. Ideò attributa Divina non ſunt in Eſſentia per circuminſeſſionem, nec Eſſentia in Perſonis. 3. ut illa diſtinguantur realiter inter ſe. Nihil enim dicitur circuminſidere ſibi. Unde nec Eſſentia

[1] *Hær.* 58. [2] *Div. no.* 2.
[3] 1. *fid.* 19.
[4] 1. d. 19. q. 2. B. n. 6.

ſentia in Perſonis, nec Perſonæ in Eſſentia circuminſident. 4. Requiritur mutua præſentialitas. Unde intima Dei præſentia in creaturis non eſt circuminſeſſio, quæ non eſt mutua. Non enim ſumus in Deo per unitatem naturæ, ſaltem realem. Circuminſeſſio propriè fundatur in una Perſona Divina, & terminatur ad aliam, & viciſſim. Quærimus ergo an in Deo ſit talis præſentia, & inexiſtentia mutua Perſonarum, & unde præcisè illa proveniat, an ab Eſſentiæ unitate, an ab ipſis perſonalitatibus.

## CONCLUSIO I.

*PErſonæ Divinæ ſunt verè in ſe invicem per circuminſeſſionem, & quidem adæquatè tam ſecundum Eſſentiam, quàm ſecundum perſonalitates.* 1. pars eſt de fide, 2. verò eſt communior cum Scotiſtis.

Prob. 1. p. ex Scriptura, & Patribus. Dicit enim Chriſtus, [1] *Qui videt me, videt & Patrem, quoniam ego in Patre, & Pater in me eſt, & Pater in me manens ipſe facit opera mea.* Nam inquit Hilar. [2] *Alter ab altero nihil differens, quia vita vivens in vivo eſt.* Et alibi, [3] *In eo Dei naturam intelligimus, cùm in Deo Deus inſit.* Et Ambroſ. & cum ipſo Eccleſia canit, *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater.*

Prob. 2. p. Et ſimul confir. 1. ex eadem Script. & Patribus, qui hanc Perſonarum inexiſtentiam utrinque colligunt, ſcilicet ex Eſſentiæ unitate, & Perſonarum immanentia intima, & reciproca, ut Hymnus ait. *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater.* Nam quomodò totus Filius eſt in Patre, ſi perſonalitas non inſit? Et ita eſt de Patre in Filio. Unde Hilar. [4] docet *ſic ineſſe, ac ſubſiſtere, ut in ſubſiſtente inſit, ut ſit ita in eſſe, ut ipſe ſubſiſtat.* Et Chriſtus dicit, [5] *Tu Pater in me, & ego in te.* Nam tu *Pater* deſignat Perſonam potiùs, quàm naturam, ſicut & vox *ego*. Ideò Patres potiùs tribuunt hanc inexiſtentiam Perſonis. *In ſe autem invicem eſſe Perſonas dicimus*, ait Euthim. [6] *tùm ob mutuam cohærentiam, &* quòd

[1] *Jo.14.* [2] *2.Tr.5.* [3] *Tr. ſer.2.*
[4] *ſer.2.3.Tr.* [5] *Jo.17.*
[6] *panopl.p.1.t.12.*

quòd invicem continent, &c. & Hilar. [1] *Credendus eſt Pater in Filio, & Filius in Patre, per naturæ unitatem, per virtutis poteſtatem, per nativitatis generationem*, quia ſcilicet generatio eſt actus immanens, ſicut & ſpiratio; ergo ex vi generationis Filius eſt in Patre, & Spiritus eſt in utroque ratione ſpirationis. Et Hieron. *Filius eſt locus Patris, & Pater locus eſt Filii, dicente D. Salvatore, Ego in Patre*, &c.

Prob. 2. quia Patrem eſſe in Filio eſt aliquid diſtinctum eſſe in eo; ſed hoc dici non poteſt de ſola Eſſentia præciſis perſonalitatibus, quia hæc non eſt diſtincta, nec ratio diſtinctionis; ergo circuminſeſſio dicitur tam ratione Perſonarum formaliter, quàm Eſſentiæ.

Prob. 3. Id non dicitur de ſola Subſiſtentia, nec de ſola Eſſentia; ergo de utriſque. Prob. ant. 1. de Eſſentia ex præcedenti argumento. Prob. 2. de Subſiſtentia. Nam Perſonæ dicuntur eſſe in ſe invicem uniformiter; ſed Perſonalitates non poſſunt de ſe, & præciſè ab Eſſentia fundare inexiſtentiam uniformem, quia ipſæ per ſe differunt; ergo non dicuntur in ſe invicem ratione ſolius Subſiſtentiæ; ergo ex utroque capite ſimul id dicitur.

Confir. quia ſi Deus Pater produceret Filium diſtinctum in Deitate, ita ut eſſet alius Deus, ſicut Paulus filius eſt alius homo à Petro patre, non poſſent illi duo Dii eſſe ſimul, licèt ſe reſpicerent invicem, ut producens, & productum, ſeu relationibus mutuis paternitatis, & filiationis; ergo ſola relatio, ſeu perſonalitas præciſè ab unitate Eſſentiæ non facit circuminſeſſionem.

Objic. 1. cont. 1. p. Si Pater, & Filius eſſent in ſe invicem, denominarent ſe mutuò; ſed conſ. eſt falſum, alioqui Filius diceretur Pater à paternitate ſibi inexiſtente æquè, ac à filiatione, & ſic de aliis; ergo &c. Prob. maj. Quod eſt primò in alio, & ſecundum ſe totum, quælibet pars ejus eſt in eo æquè primò, & neceſſariò; ergo ſi Pater eſſet in Filio ſecundum ſe totum, ita & paternitas, ſicut & Deitas; ergo tam paternitas denominaret Filium, quam ipſa Deitas, & ipſe tam diceretur Pater, quàm Filius, & Deus.

Reſp. neg. maj. & diſt. ant. prob. Quod eſt in alio per

[1] 9. *T.*

per informationem, vel inhæſionem, con. quod eſt in alio per mutuam inexiſtentiam, ſeu præſentiam, neg. ant. Deitas eſt in Filio, ut quaſi forma ejus eſſentialis, & ſic denominat illum, ſicut & alias Perſonas, paternitas verò eſt in illo per puram præſentiam entitatis in ſe ſola ſubſiſtentis incommunicabiliter, ſcilicet in Patre, & ſic de filiatione, & ſpiratione paſſiva; & ideò quamvis ſint in ſe invicem per intimam præſentiam, non tamen ſe mutuò denominant.

Objicies 2. Perſonæ in Deo ſunt inconfuſæ, *Neque confundentes Perſonas*, inquit Athanaſius; ſed non eſſent inconfuſæ, ſi ineſſent ad invicem ſecundum ſe totas; ergo, &c. Prob. min. ex Philoſopho, [1] *Si quodlibet eſſet in quolibet, eſſet maxima confuſio*; ergo, &c.

Reſp. neg. min. & conſ. prob. Nam modi illi eſſendi in alio, ex quibus Philoſophus infert illud axioma, ſeu ex quibus ſequeretur confuſio, ſunt diverſiſſimi ab iſto, quo Perſonæ Divinæ ſunt in ſe invicem. Illi important continentiam unius in alio per modum formæ, aut partis, perſonæ, Perſonæ verò ſunt in ſe invicem per puram præſentiam in ratione ſubſiſtentium incommunicabiliter.

Inſt. Idem eſſet continens, & contentum reſpectu ejuſdem; ſed hoc repugnat, eſſe enim in alio, & in quo aliud non minùs repugnat, quàm eſſe ab alio, & à quo aliud; ergo & illud. Prob. maj. Filius continetur in Patre, & Pater in Filio totaliter; ergo, &c.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. Non enim ſunt in ſe invicem per veram continentiam, ſed per puram, & intimam ſubſiſtentium præſentiam provenientem ex conſubſtantialitate extremorum.

Objic. 3. Si Pater eſſet in Filio, & Filius in Patre, eſſent etiam in ſe ipſis; ſed hoc repugnat, idem enim eſſet cauſa, & cauſatum; ergo & illa circuminſeſſio. Prob. maj. Si aer eſt in igne, & ignis in Cœlo; ergo & aer eſt in Cœlo. *Quidquid enim ad conſequens ſequitur ad antecedens, & quod eſt prius priore, eſt prius poſteriore*, & *quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati*, &c.

Reſp. neg. maj. & conſ. Axiomatum, quæ ſunt vera

[1] 8. *Ph.* 5.

ra in creatis, ubi modi eſſendi in alio ſunt diverſiſſimi à modo iſto eſſendi Perſonarum per circuminſeſſionem.

Inſt. Filius exit à Patre. *Exivi à Patre*, inquit ipſe; (1) ergo non eſt in Patre.

Reſp. diſt. ant. Exit à Patre per actionem immanentem, con. per exitum localem, vel præſentialem, vel cum diſtinctione ſubſtantiæ, neg. ant. Iſti exitus opponerentur circuminſeſſioni, non ille.

Objic. con. 2. p. In eo ſolo fundatur circuminſeſſio, per quod illa aſſeritur, vel probatur; ſed illa aſſeritur, vel probatur ex ſola unitate Eſſentiæ, ergo in ea ſola fundatur. Prob. min. Nam poſtquàm dixit Chriſtus, *Ego, & Pater unum ſumus*, ſtatim addit, (2) & *Ego in Patre*. Unde Hilar. (3) notat, quòd *Patrem eſſe in Filio, nihil aliud eſt, quam hoc eſſe in Filio, quod eſt in Patre* .... & *Patrem eſſe in Filio non per conjunctionem, ſed per naturæ unitam ſimilitudinem*; ergo &c.

Reſp. neg. min. Nam, ut diximus, nihil unum formaliter, & præciſè dicitur præſens ſibi; ſi in Deo non eſſent Perſonæ diſtinctæ, non dicerentur eſſe in ſe invicem per circuminſeſſionem. Concedo autem, hanc probari ex unitate Eſſentiæ, tanquam ex principaliori, & immediatiori ratione, ſed non plenè, & adæquatè, niſi comparativè, ſeu connotativè ad Perſonas diſtinctas. Et ſic intelligendi ſunt Patres, qui & ipſi aſſerunt hanc præſentiam ex ſubſiſtentiis diſtinctis in una Eſſentia.

## CONCLUSIO II.

HÆc circuminſeſſio importat relationem veram inter Perſonas Divinas.

Prob. 1. ex Scoto, (4) quia *eſſe in non dicit aliquid ad ſe ſecundum omnem opinionem*; ergo dicit relationem Perſonæ ad Perſonam; ergo dicit relationem communem, &c.

Prob. 2. quia independenter ab ullo intellectu Perſonæ Divinæ verè habent illam præſentiam mutuam, & intimam ſe invicem æquè, ac ullam aliam, ver. grat. ſimilitudinis, aut æqualitatis, & habet omnes con-

[1] *Jo.14.* [2] *Ibid.*
[3] *3.Tr.* [4] *Ibid.n.4.*

conditiones veræ relationis inter extrema realiter diſtincta, quales ſunt illæ Perſonæ; ergo &c.

Objic. Una relatio non poteſt fundare aliam, ne detur proceſſus in infinitum; ſed relationes circuminſeſſionis fundarentur in perſonalitatibus, quæ ſunt relationes; ergo relationes illæ non ſunt reales.

Reſp. neg. maj. & rationem ejus, ut patet ex Logica. Quod maximè verum eſt in Divinis, ubi relationes ſunt ſubſtantiales.

Objic. 2. Mutua illa præſentia Perſonarum non eſt in aliquo tertio ab eis realiter diſtincto tanquam in loco; ergo non eſt realis. Prob. conſ. Ideò præſentia in creatis eſt relatio realis, quia eſt duorum in aliquo tertio, ſcilicet in loco; ſed hoc non habet præſentia illa mutua Perſonarum Divinarum; ergo non eſt realis.

Reſp. neg. conſ. & maj. prob. Nam Petrus habet præſentiam realem ad ipſum locum ſine ullo tertio.

## QUÆSTIO II.

### *An, & quid ſit miſſio in Divinis.*

CErtum eſt 1. aliquot Perſonas Divinas mitti, ut conſtat ex Scriptura utriuſque teſtamenti, dicente Chriſto, (1) *Qui me recipit, recipit eum, qui me miſit*. Et, (2) *Non miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum*. Et *Mittam vobiſcum*, ſcilicet Spiritum veritatis. Et (3) *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur*. Et (4) *Qui me miſit, mecum eſt*, & *Qui miſit me Pater*. Et (5) *Quem mittet Pater in nomine meo*, &c.

Certum eſt 2. quòd miſſio Divina ſupponit aliquid de miſſione æterna, & *ad intra*, & aliquid de miſſione temporali, & *ad extra*. Nam miſſio iſta ſupponit illam, ſc. proceſſionem æternam Perſonæ, quæ dicitur mitti in tempore. Una enim ſine altera eſſe nõ poteſt.

Certum eſt 3. hanc miſſionem Divinam non fieri, 1. *per imperium*, aut *juſſionem*, quia in Deo nulla eſt inferioritas, Perſonæ illæ *coæternæ ſibi ſunt, & coæquales*. 2. nec *per conſilium*, aut *directionem*, quia æqua-



[1] *Math.* 10. [2] *Jo.* 3. [3] *Pſal.* 193.
[4] *Jo.* 3. & 5. [5] *Jo.* 14.

æquales ſunt in ſapientia, & indirigibiles ob ſapientiam infinitam. 3. nec per modum *petitionis*, vel obſecrationis, quaſi verò mittens roget miſſum, ut eat, quia id ſapit inferioritatem, & indigentiam in rogante. 4. nec per *motum aliquem localem* Perſonæ miſſæ, quia immenſæ ſunt omnes, & ubique. Reſtat igitur, eam fieri primariò ex vi emanationis æternæ, ſicut arbor dicitur mittere folia, radices, flores, & fructus, ſecūdario verò per manifeſtationem aliquam externam, & temporalem Perſonæ. Ideò ſit

## CONCLUSIO.

*Miſſio Divina eſt manifeſtatio temporalis Perſonæ Divinæ procedentis ab æterno, facta viſibiliter creaturæ rationali in aliquo effectu, vel ſigno ipſi Perſonæ miſſæ appropriato ad ejuſdem creaturæ inſtructionem, aut ſanctificationem.* Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. (1) *Oportet, quòd mitti cum hoc, quod dicit reſpectum ad extra, connotet reſpectum ad intra, & tunc rationabile videtur dicere de mittere, quod licèt dicat principaliter reſpectum actionis activæ ad extra, tamen connotat reſpectum productionis activæ ad intra, & ſic neutrum eſt vere eſſentiale* (ſc. nec mittere, nec mitti) *ſed mitti tantùm convenit Perſonæ productæ, & mittere tantùm Perſonæ producenti.* Habes ergo præcipuas partes hujus deſcriptionis; cæteras habebis ſucceſſivè, ut cùm dicit, (2) quòd in Filio eſt *cognoſci, quòd à Patre ſit; ita Spiritum Sanct. mitti, eſt cognoſci, quòd ab illo procedat. Mitti ergo eſt manifeſtari, Perſonam procedere, & mittere, eſt manifeſtare; & hoc manifeſtare eſt mere commune, quia tota Trinitas manifeſtat, Perſonam procedentem procedere*, &c.

Prob. 2. Quia ex communi uſu Patrum, & Theologorum vocis hujus in hoc myſterio nihil aliud ſignificat; & patet diſcurrendo per ſingulas particulas. 1. dicitur *manifeſtatio*, & quidem *temporalis*, quod habet rationem effectus formalis miſſionis. Ad id enim terminatur actio illa, ut in tempore cognoſci faciat Perſonam miſſam, per bonum, quod nobis procurat. *Temporalis*, inquam. Nam miſſio æterna, &

[1] 1.*d*.14.*L*.*r*.4. [2] *Ibid*.*L*.*n*.5.

& interna eſt inviſibilis, & incomprehenſibilis ad extra.

2. *Perſonæ procedentis ab æterno*. In quo habes cauſam materialem, ſeu ſubjectivam, quæ eſt Perſona procedens. Miſſio activa eſt quidam actus auctoritativus, prout dicit ordinem, ſeu reſpectum ad productionem. Et ad ſolum producentem ſpectat mittere auctoritativè, ſicut illi ſoli dicuntur mitti, qui procedunt, quia hæc miſſio ad extra eſt conſequens ad proceſſionem internam, ſed effectivè eſt à tota Trinitate. Nam opera ad extra, cùm ſint actus eſſentiales, ſunt indiviſa. Unde notat Nazianzenus, quòd Chriſtus loquens de Spiritu ſancto, *quem mittam vobis à Patre*, id dicit, *ut propriam auctoritatem oſtendat*. Manifeſtare autem activè, *eſt commune*, inquit Doctor.

3. *Facta viſibiliter*, ſeu ſigno ſenſibili, quia per hæc ſigna intellectus illuſtratur interiùs per gratiam inviſibiliter agentem. Sic ergo deſignatur modus ordinarius talium miſſionum. Nam licèt Perſonæ Divinæ mitti poſſint, & ſæpiùs mittantur inviſibiliter per illuſtrationes, motiones, & auxilia purè interna, ſic Chriſtus dicit, *Vado, & venio ad vos*, &, *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*, quod de adventu, & manſione interna per gratiam intelligitur; tamen hìc ſpecialiter loquimur de miſſionibus ſenſibilibus ſub aliquibus ſymbolis, aut ſignis externis, ut cùm Spiritus Sanct. mittitur ad Apoſtolos per ſonum, per *ſpiritum vehementem*, & in linguis igneis, & cùm Filius mittitur ſub carne humana.

*Creaturæ rationali*, quæ eſt velut terminus ad quem miſſionum; quia hæc eſt capax cognitionis, & hæc capacitas requiritur ad paſſivam manifeſtationem. Unde miſſio Spiritus Sanct. non dicitur facta columbæ, *ſub cujus ſpecie viſus eſt*, ſed ad Chriſtum, ſuper quem deſcendit, aut ad Joannem, qui vidit eum ſub illo Symbolo in Jordane.

5. *In aliquo ſigno, vel effectu appropriato Perſonæ miſſæ*, quia per illud ſignum debet manifeſtari Perſona illa præ aliis, ergo cum non poſſint manifeſtari Perſonæ Divinæ per proprios characteres, debent ſaltem oſtendi per ſymbola appropriata, ut Spiritus Sanct.

ſub ſymbolo columbæ, quæ eſt puritatis, & ſanctitatis, amoriſque fidelis, quæ appropriantur illi Perſonæ, vel ſub ſpecie ignis, qui eſt Symbolum charitatis, quæ eidem attribuitur. Sic Verbum mittitur ſub humanitate noſtra, quæ eſt imago viſibilis Dei, ſicut Verbum eſt imago inviſibilis ejuſdem, tùm propriè, tùm appropriatè.

6. *Ad ejuſdem creaturæ inſtructionem, & ſanctificationem*. Hæc eſt cauſa finalis proxima miſſionum. Prima verò, & ultima eſt ſine dubio gloria Dei, & manifeſtatio bonitatis, ſapientiæ, & perfectionum ejus. Certum eſt autem, Deum has manifeſtationes ex ſua miſericordia ordinare ad noſtram inſtructionem, & ædificationem, ſeu ſanctificationem. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos... Paraclitus Spiritus Sanct. docebit vos omnia*, &c.

Igitur miſſio, de qua loquimur, importat 1. manifeſtationem temporalem Perſonæ Divinæ, 2. proceſſionem, ſeu miſſionem æternam, & internam ejuſdem Perſonæ, 3. viſibilem, ſeu ſenſibilem ejus apparitionem, 4. directionem miſſionis ad creaturam rationalem, 5. apparitionem ſub aliquo effectu, vel ſymbolo, vel ſigno appropriato Perſonæ illi, 6. ad finem inſtruendi, & ſanctificandi creaturam illam.

Objic. 1. cont. 1. Miſſio vera importat motum localem, ſeparationem, & inferioritatem miſſi, ſed hæc repugnant Perſonis Divinis; ergo & miſſio.

Reſp. neg. maj. Nam miſſio iſta excludit omnes illos defectus. Ideò dicitur ſimplex manifeſtatio Perſonæ miſſæ, quæ manifeſtatio nec motum, nec ſeparationem miſſi à mittente, nec inferioritatem importat. *Nullo modo impedit, ut credamus, Filium æqualem Patri, & conſubſtantialem, & coæternum, & tamen à Patre miſſum, non quia major ille eſt, iſte minor, ſed quia ille Pater eſt, iſte Filius*, inquiunt Patres.

Objic. 2. Eſt actus notionalis, vel eſſentialis; ſed neutrum dici poteſt; ergo non eſt in Deo. Prob. min. 1. non notionalis, quia eſt communis Filio, & Spiritui Sancto, quibus nulla notio eſt communis. 2. non eſſentialis, alioqui Perſonæ mitterent ſe; ergo &c.

Reſp. neg. min. Nam habet de utroque. Habet de eſſentiali, & communi reſpectu volitionis, qua vult

Deus Perſonam illam manifeſtari ad extra, & quoad productionem ſigni, quo manifeſtatur; de notionali verò reſpectu Perſonæ miſſæ, quæ eſt procedens à mittente per miſsionem internam.

Objic. cont. 2. p. Miſsio paſsiva, ex Patribus, eſt formaliter proceſsio Perſonæ miſſæ; ſed hæc proceſsio eſt æterna; ergo & miſſio. Prob. maj. *Miſſio Spiritus Sanct. eſt ejus proceſſio*, inquit Beda, (1) & *eo mittitur Filius, quo generatur*, ait. Gregor. (2) &, (3) *Donum Spiritus Sanct. nihil eſt aliud, quàm Spiritus Sanct.* ergo miſſio eſt formalis proceſſio.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. Nam miſsio temporalis ſupponit quidem æternam, ſed valde ab ea differt; ut patet ex dictis. Nec aliud volunt Patres. Sic de Filio dicit Auguſt. (4) quòd *Pater intelligitur eum miſiſſe, cùm fecit eum ex fœmina*, ſcilicet tunc miſſio ejus apparuit. Et de Spiritu Sancto dicit, (5) quòd *ſicut donum Dei Spiritum Sanctum eſſe, eſt à Patre procedere; ita mitti eſt cognoſci, quòd ab illo procedat*. Vides diſtinctionem miſsionis æternæ, & internæ ab externa, & temporali.

Objic. 2. Mitti, ex Auguſtino, (6) eſt idem, ac cognoſci, & apparere, *Filius tùm ex tempore mitti dicitur*, ſed Pater, licèt non procedat, apparet tamen, & mente concipitur, ergo & mittitur; ergo miſsio paſsiva non eſt manifeſtatio ſolius Perſonæ procedentis. Prob. min. Nam in transfiguratione *vox Patris intonuit*; ergo ſenſibiliter apparuit, & agnitus eſt Pater.

Reſp. diſt. maj. Eſt apparere, & cognoſci, ut procedens ab æterno, con. eſt apparere purè, & ſimpliciter, neg. maj. & conſ. Nam Pater apparet quidem, & agnoſcitur, ſed ut Perſona, ex qua aliæ procedunt, non ipſe ab aliis. Ideò vox Patris intonat, ut Filius appareat productus, & miſſus ab illo, *Hic eſt Filius meus dilectus*, &c. Non negamus Patrem apparuiſſe. *Temerarium eſt dicere, Deum (7) Patribus, aut Prophetis viſibiliter nunquam apparuiſſe*, inquit Auguſt. ſed id facit ex ſe, & non ut miſſus.

Objic. 3. Filius dicitur mitti à Spiritu Sancto; ſed non procedit ab eo; ergo miſſio non eſt procedentis.



[1] *Hom. 1. Dom. Aſcen.* [2] *1. moral.* [3] *Ibid.*
[4] *2. Tr. 5.* [5] *4. Tr. 22.* [6] *Ibid. c. 20.* [7] *3. Tr.*

Prob. maj. ex Script. (1) *Dominus meus miſit me, & Spiritus ejus*, quod Chriſto tribuit Auguſt. (2) Nam *à Patre ſine Spiritu mitti non potuit, quia Pater intelligitur eum miſiſſe, cùm eum fecit de fœmina naſci, quod utique non fecit ſine Spiritu Sancto*. Et Sanctus Ambroſius, (3) *Quis eſt, qui dicit, Me miſit Dominus, & Spiritus ejus, niſi qui venit à Patre? id eſt Chriſtus; ergo & Pater Filium miſit, & Spiritus Sanct*. Et Concil. Tolet. [4] *Filius miſſus non ſolùm a Patre, ſed & à Spiritu credendus eſt*; ergo miſſio activa pertinet etiam ad Spiritum Sanctum, à quo nullus procedit.

Reſp. diſt. maj. Mitti à Spiritu Sancto ſecundum humanitatem, con. ſecundum perſonalitatem Divinam, neg. maj. & conſ. prob. Nam Patres loquuntur de miſſione Chriſti, ut homo eſt, & hoc non ſecundum naturam, neque ex vi proceſſionis, ſed ſecundum impulſum gratiæ, qui eſt à tota Trinitate per voluntatem communem, & ſic a ſe ipſo, ut Deo, dicitur miſſus ab eodem Concilio. Et Sanct. Ambroſ. ſic commentatur illa verba, quæ Concilium, & Patres illi applicant Chriſto, *Spiritus Domini miſit me ad prædicandum*; quod ſine dubio reſpicit Chriſtum hominem. Denique literaliter, & in rigore Iſaias, loquitur de ſe ipſo.

Inſt. Quælibet Perſona Divina, etiam Pater, poteſt dare ſe ipſum, ergo & mittere. Non enim differunt dare, & mittere.

Reſp. neg. conſ. & rationem ejus. Nam ex omnium ſententia, & uſu communi vox *mitto* importat aliquem actum auctoritativum conſequentem miſſionem internam, & diſtinctionem mittentis, & miſſi; dare autem non importat talem actionem. Igitur propriè loquendo una Perſona ſe ipſam non poteſt mittere, benè verò dare. Unde licèt Pater ſe ipſum dare poſſit, non tamen mittere, ſicut à ſe ipſo non dicitur procedere. *Solus Pater non legitur miſſus, quoniam ſolus non habet authorem, à quo genitus ſit, vel à quo procedat*, inquit Auguſt. [5] Filius à ſolo Patre mittitur, quia procedit, & gignitur ab eo ſolo. [6] *Ego ex Deo proceſſi, & veni in mundum*, quod

[1] *Iſa*.48. [2] 2.*Tr*.5. [3] 2.*de Spir. ſanct*.
[4] *confeſſ. fid*.
[5] *con ſer. Arrian*.c.4. [6] *Jo*.8.

quod ſic exponit Cyrillus, (1) *Filius mittitur à Patre, ſicut Verbum à mente, ſplendor à ſole*, &c. Spiritus verò Sanct. mittitur à Patre, & Filio, quia procedit ab utroque, ſed nullum mittit, quia nullus procedit ad ipſo. Unde, ſi quandoque illi tribuitur miſſio activa, intelligenda eſt quoad ſignum, vel effectum, qui de novo producitur ad manifeſtationem Perſonæ miſſæ, ſicut Chriſtus dicitur *conceptus de Spiritu Sancto*.

## QUÆSTIO III.

*Quotuplex ſit miſſio, ſeu de variis miſſionum modis.*

MIſſio, ex Scoto, dividitur 1. in *activam*, quæ eſt communis tribus Perſonis quoad effectus, & quoad omne temporale, & ad extra, & *paſſivam*, quæ eſt propria Perſonæ miſſæ, & per miſſionem manifeſtatæ.

2. Ex parte effectuum temporalium, per quos fit illa manifeſtatio, dividitur in *inviſibilem*, & *viſibilem*. Prima fit per ſigna, vel effectus purè intelligibiles, quibus Filius, aut Spiritus Sanctus veniunt ad creaturas rationales, v. g. per gratias ſanctificantes, vel actuales, aut gratis datas, & quidem magis propriè per ſanctificantes, per quas intimius inhabitant, maximè per primam, qua innovatur anima, & per quam Perſona Divina de non præſente, nec inhabitante fit præſens, & inhabitans. Nam per ſecundam, quæ creſcit per gradus, non tàm mittitur, quàm miſſus inhæret firmius, & operatur fortius. Per actuales autem, & gratis datas etiam mitti dicitur, ut cùm duplex ſpiritus Heliæ deſcendit ſuper Eliſeum. *Viſibilis* verò fit per ſigna aliqua externa ſenſibus perceptibilia, per quæ Perſona miſſa manifeſtatur, & dicitur operari effectus ſibi appropriatos, ut cùm in die Pentecoſtes Spiritus Sanct. deſcendit in Apoſtolos, *ut ſpiritus vehemens*, ut *ſonus de Cœlo*, & *tanquam ignis*, & quidem ad illos illuminandos, & inflammandos, &c.

3. Miſſio *viſibilis* adhuc duplex eſt, *ſubſtantialis*, & *in eſſendo*, cùm ſcilicet Perſona miſſa unitur phyſicè,



[1] *d. 16. cit.*

ficè, ſeu hypoſtaticè rei, ſub qua manifeſtatur, ut Incarnatio, per quam Verbum phyſicè, & hypoſtaticè unitur humanitati, in qua ad nos venit miſſus à Patre. 2. *intentionalis*, ſeu *repræſentativa*, & *moralis*, in qua miſſus non unitur phyſicè rei, ſub qua manifeſtatur, ſed quoad repræſentationem aliquam, ut Spiritus Sanct. non uniebatur phyſicè linguis igneis, nec columbæ, ſub quarum ſpecie apparuit ſuper Chriſtum, & Apoſtolos, nec in illis ſignis erat aliter, quàm repræſentativè. *Non ſic eſt aſſumpta creatura, in qua apparet Spiritus Sanct. ſicut aſſumptus eſt Filius hominis*, ait Auguſt. (1) *Neque enim columbam beatificavit Spiritus, vel illum ignem.*

4. Hæc miſſio viſibilis alia eſt *purè externa*, & *repræſentativa*, quæ nihil aliud operatur, quàm manifeſtationem Perſonæ miſſæ, & alia *effectiva*, quæ præter repræſentationem Perſonæ, & notificationem miſſionis, aliquid etiam operatur in anima, ſeu quæ eſt ſimul cum interna, & coaleſcit ex viſibili, & inviſibili. Tales ſunt ordinariè omnes. Nam fruſtra ferè eſſent externæ, niſi aliquid operarentur interne. Et ipſa notificatio Perſonæ miſſę eſt effectus internus. Et ad hoc per ſe ordinatur miſſio.

Quæres 1. *an de ratione miſſionis viſibilis ſit, ut per illam producatur aliquid de novo in anima.*

Reſp. id quidem ordinariè fieri, ſed non neceſſariò, quia miſſio eſt opus liberum Dei ad extra, & totus effectus ejus pendet ab ejus libertate. Et de facto non fuit quidquam novi factum in anima Chriſti, quando illi apparuit Spiritus S. in columbæ ſpecie in Jordane. Nec enim egebat nova ſanctificatione, vel illuminatione.

Dico, *ordinariè*. Nam quia miſſiones ordinantur ad hominis inſtructionem, & ſanctificationem, debent aliquid operari in eum finem. Ideò crediderim, quòd illa fiebat æquè ad Joannem baptizantem, & ad homines præſentes, quàm ad ipſum Chriſtum, & operabatur in illis fidem in Chriſtum.

Quæres 2. *an miſſio dici poſſit quoad dona aliqua naturæ, an verò debeat ordinari ad dona ſupernaturalia.*

Reſp. ſimiliter, quod licèt ordinariè fiat ad dona ſupernaturalia, nihil vetat, aliquas fieri ad dona naturæ

[1] 2. *Tr.* 6.

turæ conferenda. Nam hoc pendet à libera Dei voluntate, quæ poteſt ſpecialem amorem alicui oſtendere per talia dona.

Quæres 3. *an una Perſona mitti poſſit ſine alia, v. g. Spiritus Sanct. ſine Filio.*

Reſp. poſſe. Et de facto Filius ſolus per incarnationem miſſus eſt, & ſolus Spiritus Sanct. ſub columba ad Filium, & ſub linguis igneis ad Apoſtolos. Ratio eſt, quia, cùm miſſio non ſit aliud, quàm manifeſtatio Perſonæ procedentis in effectu, vel ſymbolo ſibi appropriato, quid vetat, unam ſub ſuo ſymbolo manifeſtari ſine alia? Non nego, quin illa ſigna ſint effectivè à tota Trinitate, ſicut & alia omnia opera ad extra; ſed loquimur de miſſionibus terminativè ad Perſonam manifeſtatam, ex inſtitutione Divina, vel humana, aut naturali ſignorum, ſub quibus apparent.

Quæres 4. *an ſigna, ſub quibus Deus in veteri Teſtamento apparebat, fuerint ab ipſo immediatè formata, an per Angelos.*

Reſp. probabilius eſſe, quòd facta ſint miniſterio Angelorum. Sic enim colligitur ex Scriptura. (1) *Si enim qui per Angelos factus eſt ſermo*, &c. Et Moyſi (2) *apparuit in deſerto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi*, &c. Unde S. Hieronymus dicit, *Quod autem ait*, [3] *lex ordinata per Angelos, hoc vult intelligi, quòd in omni veteri Teſtamento, ubi Angelus primum viſus refertur, & poſtea quaſi loquens Deus inducitur, Angelus quidem verè ex miniſtris pluribus quicunque ſit viſus, ſed in illo Mediator loquatur, qui dicat, Ego ſum Deus Abraham*, &c. Vides, omnia fieri, & dici miniſterio Angelorum.

Quæres 5. *an Chriſtus ut homo poſſit dici mittere Spiritum Sanctum.*

Reſp. non poſſe. Nam miſſio importat quandam auctoritatem in mittente, qualis non poteſt tribui Chriſto ut homini, *qui minor eſt Patre*, & per conſequens Spiritu Sanct.

Dices. Chriſtus dat nobis gratiam auctoritativè ut homo, ergo poteſt mittere Spiritum Sanct. ut homo, quia Spiritus Sanct. datur cum gratia Dei, quæ diffunditur in cordibus noſtris *per Spiritum Sanct. qui datus eſt nobis.*

L 5 Reſp.

[1] 1. *Hebr.* 2. [2] *Act.* 7. [3] *Gal.* 3.

Reſp. diſt. ant. Dat ut homo Deus, & ſubſiſtens in Perſona Verbi, con. ut homo purus, & præciſa Deitate, neg. ant. Nam licèt aliqualiter id dicatur de gratia, non tamen de Spiritu Sancto.

Quæres 6. *an Spiritus Sanctus vere perſonaliter mittatur ad nos, an verò tantùm per dona gratiæ, in quibus ipſe eſt moraliter.*

Reſp. probabiliter, quòd utroque modo ad nos mittitur, & manet in nobis. Nam id videtur ſignificare Scriptura dicens: (1) *Si quis diligit me .... ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*, quod poteſt intelligi literaliter de Manſione Trinitatis per præſentiam ſpecialem aliam, quàm per immenſitatem, & per dona tam naturæ, quàm gratiæ, &, *Alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum*. Et (2) *Charitas Dei diffuſa eſt per Spiritum ſanct. qui datus eſt nobis*, ſc. per charitatem infuſam, & per ipſammet, Et, *Quoniam eſtis filii Dei* (ſc. per gratiam) *miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra.*

Confir. ex Patribus. Ex Cyrillo, (3) *Itaque Spiritus ſanct. per ſemetipſum in nobis operatur, verè ſanctificans, & uniens nos ſibimetipſi.* Et S. Paſchaſius, [4] *Habitatorem cordis humani ſacra Eloquia propriè Spiritum eſſe definiunt.* Vide Auguſtinum [5] ſer. 43. de verbis Dom. & ſer. 185. De tempore.

Ratio id ſuadet. Ratio doni eſt notio ſaltem appropriata Spiritus Sanct. & à fortiori amor; ergo ſicut illi convenit eſſe amorem, & donum in ſe ipſo, ita & convenit & per ſe ipſum nobis donari.

## DISPUTATIO VIII.

*De modis loquendi in myſterio Trinitatis.*

NOn habemus in myſteriis fidei eam loquendi libertatem, quam Philoſophi in rebus naturalibus. *Liberis verbis loquuntur Philoſophi; nec in rebus ad intelligendum difficillimis offenſionem religioſarum aurium pertimeſcunt*, ait Auguſt. (6) *Nobis autem ad certam regulam loqui fas eſt, ne verborum li-* cen-

[1] *Jo.* 14. [2] *Rom.* 5. [3] *Gal.* 4. [4] *Theſ.* 34.
[5] 2. *de Spir. S.* (6) 1. *Civ.* 23.

*centiæ etiam de rebus, quæ his ſignificantur, imp. am gignat opinionem.* Licèt igitur ex hucuſque dictis facilè colligi poſſit, quænam propoſitiones hìc juxta fidei principia fieri poſſint, quæ verò non, tamen pro coronide quædam ſpecialiter notanda reſtant.

## QUÆSTIO UNICA.

*Quænam propoſitiones vitandæ ſint, aut permittantur in materia de Trinitate.*

OMnes propoſitiones, quæ videntur lædere vel unitatem Eſſentiæ, vel diſtinctionem realem Perſonarum ab invicem, vitandæ ſunt in hac materia. Unde

1. Rejicitur iſta de Patre, & Filio, *Deus genuit alium Deum*, permittitur iſta, *Deus genuit Deum*.

Ratio 1. p. eſt ex Scoto, (1) quia hæc alietas in rigore non cadit in Perſonam genitam, quæ verè alia eſt à gignente, ſed in Deitatem, ſecundum quam Filius non eſt alius à Patre; ergo nec alius Deus. Igitur illa 1. propoſitio(2) infert diſtinctionem naturæ, ſeu Deitatis in Patre, & Filio.

Prob. 2. p. 1. quia de facto in Symbolo Nicæno Filius dicitur *Deus de Deo*. 2. quia per id ſignificatur, Deum Patrem genuiſſe Filium, qui Deus eſt, quod eſt veriſſimum.

2. Hæc poſſet admitti, *Deus generat*, non iſta, *Deus non generat*.

Prob. Nam per hanc 2. videtur negari generatio in Deo, & aſſeri, quòd hæc illi repugnet ratione Deitatis, quod eſſet erroneum, per 1. verò aſſeritur, quòd generatio ſit in Deo, ad quod ſufficit, eam reperiri in una Perſona. Quod pendet ab uſu communi talium propoſitionum. Nam licèt in 2. poſſit ſubintelligi Verbum, aut Spiritus Sanct. qui non generant, & tunc vera eſſet, tamen ſecurius eſt eam negare, niſi per aliquam particulam determinetur ad illos, qui non generant.

3. Hæc propoſitio eſt vera; *Deus eſt Pater, Filius,*

L 6 &

[1] 1. *d.* 4. *A. n.* 2.
[2] *Ibid. n.* 3.

*& Spiritus Sanct.* ſicut & iſta, *Pater, & Filius, & Spiritus ſanct. eſt Deus.*

Prob. 1. p. ex Scoto. Nam re vera prædicatum convenit ſubjecto, ut enuntiatur de illo; verè tria illa ſuppoſita ſunt in Deo, & identificantur Deitati. 2. eſt etiam vera, quia hæc propoſitio eſt verè formalis, in qua id, quod eſt quaſi ſuperius, prædicatur in concreto de ſuis ſuppoſitis; ergo ſicut illa prior eſt vera, ita à fortiori & iſta. Nam prior illa diceretur potiùs identica, quàm formalis, quia prædicatum eſt quaſi inferius ſubjecto, ſeu Deo; ſicut in bona Logica hæc eſſet potiùs identica, quàm formalis, *Animal eſt homo*, vel *Homo eſt Petrus*, quia ſuppoſitum, ſeu ſingulare prædicatur de ſpecie, & ſpecies de genere.

Porrò notat Scotus, (1) quod in illa 1. *Deus* non ſupponit pro ſuppoſito ullo, alioqui eſſet falſa, quaſi diceres, *Deus Pater eſt Filius*, quod non poteſt dici ne quidem identicè, ſed ſupponit pro ipſa ſingulari Deitate in concreto præcisè ab ulla Perſona.

4. Rectè dicitur, *Pater, & Filius, & Spiritus S. eſt una res*, &; *iſta res*, ſeu *iſta Eſſentia Divina non generat, nec generatur.* Eſt contra Abbatem Joachim, quem ideò dicit Scotus Hæreticum.

Prob. 1. p. Nam Pater verè communicat Filio, & uterque Spiritui Sancto unam, eamdemque Deitatem totalem, ita ut hæc res poſſit formaliter de illis prædicari, & de fide eſt, quod hi tres ſunt unus Deus unitate numerica. Unde miror, Abbatem illum id potuiſſe negare, niſi fortè putaverit, per eam propoſitionem ſignificari, rem illam diſtingui realiter à tribus illis Perſonis, quod abſit.

Prob. 2. p. ex cap. *Damnamus*, (2) ubi contrarium damnatur contra dictum Abbatem. Et ratio eſt, quia generans, & genitum diſtinguuntur realiter; ergo ſi Eſſentia generat, aut generatur, erit diſtincta realiter à Perſona genita, aut generante, & ſic erit quaternitas in Deo.

Dices. Hæc propoſitio *Deus generat*, eſt vera, ſicut & iſta, *Deus generatur*; ergo & iſtæ, *Deitas generat, & generatur.*

Reſp. neg. conſ. quia in iſtis, *Deus generat*, & *generatur*,

[1] *Diſt.* 5. *B. n.* 2.
[2] *De SS. Trin.*

*tur*, vox *Deus* ſupponit pro ſuppoſito, & ideò verè ſunt. Nam in Deo eſt ſuppoſitum generans, & genitum, & diſtinguuntur realiter inter ſe; in aliis vero generatio activa, & paſſiva cadunt in naturam, & ideò falſæ ſunt.

5. Hæc vera eſt identicè, *Deitas eſt Pater, Deitas eſt Filius*, &c. & viciſſim, *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus eſt Deitas*.

Prob. quia per has propoſitiones ſignificatur tantùm, quòd Deitas identificatur tribus illis Perſonis, & iſtæ Deitati: ſed hoc veriſſimum eſt; ergo &c.

6. Hæc etiam vera eſt, *Deus eſt Trinitas*, & *Deus eſt Trinus*, non autem iſta: *Deitas eſt trina*, vel *triplex*, vel *multiplex*.

Prob. 1. ex Auguſt. *Unum Deum dicimus præſtantiſſimam Trinitatem, & ſolum Deum dicimus eſſe ipſam Trinitatem*. Et ratio eſt, quia in Deo eſt vera Trinitas, & multiplicitas Perſonarum. Vox *Trinitatis* cum ſingulari *Deus* non multiplicat, niſi ſuppoſita: in aliis verò plurificatur ipſa Deitas. Unde quando ex Poetica licentia canit Eccleſia, *Te Trina Deitas*, ſtatim additur, *Unaque poſcimus*, ut per illam unitatem corrigatur, & limitetur illa pluralitas ad ſolas Perſonas, & non extendatur ad Deitatem.

Verum ne cogamus ſigillatim adducere omnes propoſitiones permiſſas, aut vetitas in hoc myſterio, quædam traduntur Regulæ generales.

1. *Eſt non dari propriè, & abſolutè numerum, licèt admittatur aliqualis pluralitas, ſcilicet Perſonarum*.

Prob. 1. p. Nam numerus abſolutè, & propriè eſt quædam quantitas diſcreta importans diviſionem, aut diviſibilitatem entitatum, de quibus ſic abſolutè enuntiatur. Ideò non dicuntur in Deo tria individua, quia de conceptu individuorum eſt, quòd faciant numerum, & diſtinguantur numericè; & unum importat diviſionem ab alio.

Prob. 2. p. quia modo ſic aſſeratur pluralitas, ut ſignificetur cadere in Perſonas ſine præjudicio unitatis naturæ, id veriſſimum eſt, ita ut *unitatem in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur*, inquit Athanaſ. (1) Et ut docet Ambroſius, *Cùm unum dicimus*

[1] *Sym b.*

*cimus Deum, unitas excludit numerum Deorum, nec quantitatem in Deo ponit, quia nec quantitas, nec numerus ibi eſt*. Et S. Bernardus: *Quid ſibi vult, ut ita loquar, abſque numero numerus? ſi unum, ubi numerus? ſed habeo, inquis, quid numerem, ſubſtantia una eſt, Perſonæ tres ſunt*.

Proptereà dicebamus, has eſſe abſolutè falſas, *Triplex Deitas, Triplex ſapientia, bonitas*, &c. quia hæc omnia ſunt unum. Sed modò diſtinctio, & pluralitas cadat in Perſonas, ſalva unitate Eſſentiæ, nihil eſt periculi. Nam illæ rectè dicuntur *diſcretæ, diſtinctæ, ſecretæ*, &c. prout hæc ſunt ſynonyma. Nam ſi *ſecreto* diceret diviſionem, non poſſet dici.

2. Ob eandem rationem admittuntur iſtæ, *Pater eſt alius à Filio, alius à Spiritu Sancto, & viciſſim, ſc. maſculinè, non in neutro*. Nam *alius* maſculinè ex uſu communi ſignificat præcisè alietatem Perſonæ; at in neutro ſignificat alietatem rei, entis, & naturæ. A fortiori dicitur *alia*, vel *altera Perſona*, quia tunc nulla eſt ſuſpicio diſtinctionis, ſeu alietatis naturæ.

3. *Eſſentialia in abſtracto prædicantur de ſingulis Perſonis, non pluraliter, ſed ſingulariter*. Ideò rectè dixeris, *Pater eſt Deitas*, & *Filius eſt Sapientia*, & *Spiritus Sanctus eſt bonitas*, &c. non autem *Sunt tres Deitates, aut ſapientiæ*, &c. Quia hæ entitates ſunt una, & indiviſibilis res in tribus, & ſingulis ſimul, & ſingulæ Perſonæ realiter identificantur illi rei.

4. *Eſſentialia in concreto, & ſubſtantivè prædicantur de ſingulis perſonis, aut de omnibus ſingulariter: adiectivè autem poſſunt dici pluraliter*.

Ideò non poſſunt dici, *Tres Dii, tres Domini, tres omnipotentes, ſed unus Deus, unus omnipotens, unus Dominus*. Quia concreta ſubſtantiva non dicuntur in plurali, niſi multiplicentur formæ, & ſic ſignificaretur in Deo eſſe tres Deitates, potentias, &c. non ita eſt de concretis adjectivis, in quibus ſufficit pluralitas ſuppoſitorum, & eſt in Deo, & ſic dici poſſunt *Tres creantes, tres habentes potentiam, juſtitiam, Deitatem*, &c. quia pluralitas cadit in ſubjecta, ſeu Perſonas, licèt forma denominans ſit una.

5. *Notionalia non prædicantur propriè de eſſentialibus abſtractivè ſumptis, imò nec concretivè, niſi*

con-

*connotentur ſuppoſita*, v. g. non dicitur, *Deitas eſt Filius, Sapientia eſt Pater*, nec *Deitas generat*, *aut ſpirat*.

Ratio eſt, quia illa, de quibus notionalia prædicantur, videntur ex uſu loquendi ſignificari, ut diſtincta, ſicut & ipſa prædicata, niſi addatur aliqua particula limitans ad ſuppoſita. Ut cùm dicitur, *Deus generat*, ly *generat* limitatur ad ſuppoſitum Patris, de quo ſolo verificatur, ſicut & *generatur* verificatur, & ſupponit pro ſuppoſito Filii, per ly *Deus*.

6. *Notionalia ſubſtantiva prædicantur de eſſentialibus tàm in abſtracto, quàm in concreto identicè*, v. g. *Deus*, aut *Deitas eſt Pater*, aut *paternitas*, &c.

Ratio eſt, quia in his propoſitionibus ſignificatur tantum, quòd Deitas ſit idem cum paternitate, & filiatione, quæ hoc ſenſu veræ ſunt.

7. *Actus notionales non prædicantur de ſe invicem in abſtracto*, v. g. non dicitur, *Paternitas*, ſeu *generatio activa eſt filiatio*, vel *ſpiratio paſſiva*.

Ratio eſt, quia tales propoſitiones non poſſunt verificari in ſenſu formali, nec identico, ſed potiùs iſtæ formalitates diſtinguuntur realiter inter ſe, & non ſunt in ſeipſis, & præcisè ab Eſſentia infinitæ formaliter, ut probatum eſt ſupra, ſunt non quantæ.

Et hæc de inſcrutabili, & adorando Trinitatis myſterio ſatis, & quantum licuit, ad laudem, & gloriam ipſiuſmet Dei unius, & trini, ſub cenſura S. Matris Eccleſiæ.

# SUMMA THEOLOGIÆ SCOTISTICÆ.

## TRACTATUS III.

### *De Angelis.*

Poſtquàm Deum in ſe, & ſuis attributis, & Perſonis, ſeu in ſua exiſtentia, unitate, & Trinitate ſpeculati ſumus, quantum licuit per oculorum mentalium infirmitatem, eundem in ſuis operibus deinceps contemplaturi ſumus, in quibus bonitatem, ſapientiam, & potentiam ſuam exhibet admirandas. Et quidem primò meditabimur eas in Angelis, qui cæteris omnibus creaturis, & operibus ejus longè præeminent.

Porrò ſolent Theologi præmittere quæſtiones de creatione, quæ maximè propria eſt omnipotentiæ Divinæ, v. g. an, & quid ſit creatio, an importet in Deo aliquam relationem ad creaturas, an virtus creativa poſſit communicari homini, vel Angelo, an ſit actio notionalis, & propria alicui Perſonæ Divinæ, an eſſentialis, & communis tribus, an mundus creatus fuerit, vel potuerit eſſe ab æterno, an, & quæ ſit rerum multitudo, diſtinctio, & inæqualitas, an in rebus creatis ſit aliquod malum, an malum aliquod ſit, vel eſſe poſſit à Deo, &c. Sed quia hæc, & ſimilia patent, & examinata ſunt partim in Philoſophia, partim in præcedentibus tractatibus Theologicis, ea non repetemus. Sit igitur

# DISPUTATIO PRIMA.

## *De exiſtentia, & eſſentia Angelorum.*

PRimum cujuſque rei quæſitum poſt *quid nominis* eſt exiſtentia. Si enim res non exiſtat, vel exiſtere non poſſit, non eſt res, neque objectum ſcientiæ. Tùm examinatur penitùs quidditas ejus. Quod præceptum hìc ſequemur.

## QUÆSTIO I.

### *An exiſtant Angeli, & quomodo probetur, quòd ſint.*

ANgeli nomen ex prima inſtitutione ſignificat nuntium, & impoſitum eſt ab officio nuntiandi, ſed deinde uſus invaluit, ut ſpecialiter dicatur de ſubſtantiis ſpiritualibus creatis, & completis, & mediis inter Deum, & hominem, quia eis utitur Deus ad veritates, & voluntates ſuas hominibus annuntiandas. Unde Auguſtinus explicans illud Pſalmiſtæ, [2] *Qui facis Angelos tuos ſpiritus*, &c. ait, *Spiritus Angeli ſunt, & cum ſpiritus ſunt, non ſunt Angeli, cùm verò mittuntur, fiunt Angeli. Angelus enim officii nomen eſt, non naturæ. Quæris nomen ejus naturæ? Spiritus eſt. Quæris officium? Angelus eſt*. Idem docent alii Patres.

Hinc fit, ut Angeli Dei dicantur illi omnes, qui legatione aliqua, maximè Dei nomine funguntur. Sic Chriſtus Dominus dicitur (2) *magni conſilii Angelus*, quippe (3) *oportet me evangelizare, quia ideò miſſus ſum*, inquit ipſe. Sic de Spiritu Sancto dicit Aug. (4) *Quanquam Spiritum Sanct. alicubi dictum eſſe* (Angelum) *non recolam, ſed ex opere poteſt intelligi. Scriptum enim de illo eſt, Quæ ventura ſunt, annunciabit vobis*. Sic de Sacerdotibus legimus, (5) *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam .... Angelus enim Domini exercituum eſt*. Et de Joanne Baptiſta, *Ecce ego mitto An-*

[1] *Pſal.* 103. *con.* 1. [2] *Iſa.* 9. [3] *Luc.* 4.
[4] 2. *Tr.* 13. [5] *Malach.* 2.

*Angelum meum*. At communi uſu hoc nomen ſpecialiter tribuitur his Spiritibus.

Igitur Angeli nomine deinceps utemur ad ſignificandum *ſubſtantiam ſpiritualem completam*, *& creatam*, *quæ Deo eſt inferior*, *& homine ſuperior*, & quidem genericè, prout comprehendit omnes illos Spiritus cœleſtes, cujuſcunque ſint Hierarchiæ, vel Ordinis, tam malos, quàm bonos. Nam ſtrictè, & ſpecificè reſtringitur hoc nomen ad ſolos Spiritus infimæ Hierarchiæ, qui hominum cuſtodiæ communiter deputantur à Deo.

Aliis etiam nominibus leguntur deſignari tùm apud Fideles, tùm apud Ethnicos. Nam apud Philoſophos appellantur *Intelligentiæ*, *Genii*, *Dii*, aut *Dii ſecundarii*, *cœlorum animæ*, *ſpecies ſeparatæ*, *& Dæmones*. Nam Dæmonis nomen, ut notat Rhodiginus, ex vi vocis ſignificat *ſapientem*, & ſæpè in bonam partem ſumitur. Sed apud nos ſemper malè auditur. *Omnes*, *vel penè omnes Dæmonum nomen exhorrent*, ait Auguſt. (1) Apud Platonem verò Angeli boni dicuntur *Dii minores*, mali autem, *Dæmones*. Ideò notant Interpretes, quòd in aliquot Scripturæ locis, & apud Hebræos vocantur *Eloim*, ſicut & Deus. Apud Ariſtotelem dicuntur *ſubſtantiæ immobiles*, ſeu incorruptibiles, & *abſtractæ*, (à materia ſeparatæ) *intelligentiæ*, &c.

Quærimus ergo an tales Angeli de facto, & verè exiſtant; & quomodò id probetur, an ſolo fidei lumine, an etiam naturali.

## CONCLUSIO I.

*Dari Angelos fides docet*, *ratio ſuadet*, *ſed non demonſtrat*. Eſt communis contra Saducæos, qui *neque reſurrectionem fore credunt*, *neque Angelum eſſe*, *neque Spiritum*, & contra Atheos, & alios.

Prob. 1. ex Scoto, [2] qui ex S. Thoma dicit, hanc propoſitionem, *Angelus eſt cauſabilis*, eſſe tantum creditam, non demonſtrabilem. & alibi docet, (3) quod *non eſt neceſſe ponere aliquid novum ſine aliqua ſuc-*

[1] 8. *de civ*. 14. [2] *art*. 23. *quodl*. 7. *EE*. 37.
[3] 1. *d*. 2. *q*. 1. *E*. 18.

*ſucceſſione in aliquo Angelo, quod ſcilicet ſit in eo formaliter*, &c. ergo ſupponit, Angelos exiſtere, & hoc eſſe de fide, non de ſcientia.

Prob. 2. quoad 1. par. ex Script. ubi fit ſæpius mentio de Angelis, ut cùm de Agar dicitur, (1) *Angelus Domini dixit ad illam .... Dixitque ei Angelus Domini, revertere ....* Et *Vocavit Angelus Domini Abraham ſecundò dicens*, &c. Et de Jacob, *Fueruntque illi obviam Angeli*. Et (2) *Angelus Domini præcedebat caſtra Iſrael*. Et in novo Teſtamento, (3) *Miſſus eſt Angelus Gabriel*. Et (4) *Ecce Angelus Domini ſtetit juxta illos* (Paſtores ſc.) .... *dixitque illis Angelus*, &c. *Profectus eſt Chriſtus in Cœlum ſubjectis ſibi Angelis*, &c.

Prob. 3. ex Sanctis Patribus. *Eſſe Angelos novimus ex fide* (ait Auguſt. (5) *& multis apparuiſſe ſcriptum legimus*. Et Irenæus, (6) *Multi ſunt, & innumerabiles circa Factorem Angeli*. Et Euſeb. Cæſar. (7) *Ex Salvatoris decretis accepimus, eſſe quaſdam poſt ſupremum Deum Poteſtates, natura incorporeas, intelligentes, rationales, omnique virtute præditas, quæ circum Regem univerſi choros exerceant*. Et ſic de aliis.

Prob. 4. ex Conciliis. Nam in Lateran. (8) definitur, quòd *Deus condidit utranque naturam, ſpiritualem, & corpoream, Angelicam ſcilicet, & mundanam*. Et in Nycæno Deus dicitur creator *viſibilium, & inviſibilium*.

Prob. 2. p. Nam rationes, quibus aliqui nituntur hoc demonſtrare, ſaltem probabiliter id ſuadent, ut mox patebit examinando illas. Si enim aliquibus viris doctis videntur demonſtrativæ, & convincentes, debent videri ſaltem valdè probabiles aliis, & de facto tales ſunt, ut patebit.

Prob. 3. p. 1. Si poſſet demonſtrari Angelorum exiſtentia, id fieret demonſtratione à priori, & per cauſam neceſſariam, & evidenter connexam, vel à poſteriori, & per effectus pariter neceſſarios, & evidentes; ſed neutro modo id poteſt demonſtrari; ergo &c. Prob. 1. de demonſtratione à priori. Nam cauſa *efficiens* Angelorum eſt ſolus Deus; ſed Deus non cauſat, nec agit

[1] *Gen.17.& 12. & 32.* [2] *Ex.14.* [3] *Luc. 1.*
[4] *Hebr.1.* [5] *Pſ. 103.* [6] *con.1.l.2.c.6.*
[7] *3. demonſtr. 5.* [8] *c.firmiter.*

agit neceſſariò, ſed liberè ad extra; ergo &c. 2. Cauſa finalis intrinſeca eſt ipſa entitas Angeli; ſed hæc nō includit exiſtentiam, neq; ut totam eſſentiam, neq; ut partem ejus, neq, ut proprietatem 4. modo; ergo &c. 3. Finalis extrinſeca eſt ipſe Deus, gloria ejus, perfectio univerſi; ſed gloria Dei non eſt neceſſariò cōnexa, nec dependens ab exiſtentia Angeli, nec ullius creaturæ, & quamvis eam exigeret perfectio, & decor univerſi, non ideò neceſſitaret Deum ad illos creandos; ergo &c. 4. Non ex cauſis materiali, & formali, quæ non reperiuntur in entibus merè ſpiritualibus, & ſimplicibus, ut ſunt Angeli; & quamvis iſti eſſent compoſiti ex talibus cauſis, adhuc illæ non exiſterent neceſſariò, nec demonſtrarentur exiſtentes ſaltem à priori; ergo, &c.

Prob. 2. par. ejuſdem minoris de demonſtratione à poſteriori per effectus. Nam, ut mox patebit, nullus aſſignari poteſt effectus Angeli, qui cum eo neceſsariam, & evidentem habeat dependentiam, & connexionem; ergo nec ipſius Angeli exiſtentia per ullum ejus effectum demonſtrari poteſt.

Objic. 1. con. 1. p. pro Saducæis. Loca Scripturæ, quibus videtur aſseri exiſtentia Angelorum, intelligenda ſunt de inſpirationibus Divinis internis, quibus velut nuntiis Dei voluntas nobis indicitur; ergo ex Scriptura non habetur certitudo exiſtentiæ Angelorum.

Reſp. neg. ant. Neque enim, niſi ineptè, & violenter, poteſt detorqueri ſenſus Scripturæ loquentis de Angelis ad inſpirationes internas. Deinde multa in illis locis dicuntur de Angelis, quæ de illis inſpirationibus dici nō poſſunt, ut patet diſcurrenti per ſingula.

Inſt. 1. Moyſes in Hiſtoria creationis nullam facit mentionem de Angelis; ergo nulli ſunt. Non enim præteriiſſet nobiliſſimas creaturas.

Reſp. neg. conſ. & rationem ejus. Nam inſtitutum Moyſis fuit ſcribere Hiſtoriam creationis mundi viſibilis, & rerum viſibilium, non verò inviſibilium, quales ſunt Angeli, & hoc propter ruditatem populi Iſraelitici, & pronitatem ejus ad idololatriam.

Inſt. 2. Sanct. Auguſtinus, (1) & alii Patres dicunt, hominem eſſe immediatè ſub Deo; ergo non putant

da-

[1] 83. q. 51.

dari Angelos, qui eſſent ſuperiores homine, & immediatè ſub Deo. Prob. ant. *Homo*, inquit, *ſecundum ſe ipſum eſt ad imaginem Dei, ut nulla creatura interpoſita formetur, & Deo nihil ſit conjunctius. Sapit enim, & vivit, & eſt, qua creatura nihil eſt melius*. Et alibi, (1) *Quemadmodum fatendum, animam humanam non eſſe Deum, ita præſumendum eſt inter omnia, quæ creavit Deus, nihil eſſe Deo propinquius*. Et ſanctus Bernardus, (2) *Spiritus eſt Deus, & Angeli, & hi ſuper te: ſed Deus natura, Angeli gratia ſuperiores ſunt*, &c. ergo ex ſanctis Patribus nulla creatura eſt ſuperior homine.

Reſp. diſt. utrunque ant. In ſenſu Patrum immediatè ſub Deo quoad animam in ſpiritualitate ſubſtantiæ, & quoad finem ultimum attingendum, con. quoad naturæ totalis dignitatem, neg. ant. Nec enim prætendunt, hominem ſecundum ſe totum eſſe immediatè ſub Deo, ita ut nulla creatura completa ſit ſuperior. Anima, & Angelus in ſpiritualitate ſubſtantiæ, & in deſtinatione ad finem ultimum pares ſunt; in naturæ autem totalis dignitate præſtant Angeli. Hominem enim Deus [3] *minuit paulò minùs ab Angelis*, & ex ipſo Auguſtino cit. [4] *Angelica natura omnia cætera, quæ Deus condidit, naturæ dignitate præcedit*. Et quæ objiciuntur, videtur retractaſſe l. 1. Retractat. c. 26. Bernardus verò ibi Angelorum exiſtentiam docet, quod ſufficit nobis pro nunc.

Inſt. 3. Angelus eſt propter hominem; ergo iſte nobilior eſt. Nam finis, & quod propinquius eſt fini eſt nobilius remotiore. Prob. ant. ex Scriptura. (5) *Angelis ſuis mandavit de te, ſcilicet homine*. Et Apoſtolus, [6] *Omnia veſtra ſunt*, id. propter vos, & vos propter Chriſtum; ergo Angeli ſunt propter hominem, homo propter Chriſtum, & Chriſtus propter Deū; ergo homo eſt propinquior Deo, quàm Angelus.

Reſp. diſt. ant. & rationem ejus. Propter hominem ad opitulandum, & ſupplendos defectus ejus, con. propter hominem, quaſi ſit bonus Angelo, ſeu in ratione finis, neg. ant. & conſ. Angelus eſt propter hominem ut perficiendum, ſublevandum, & juvandum,

[1] *De quantit. An.* 34. [2] 5. *conſid.* 3. [3] *Pſ.* 8.
[4] 11. *civ.* 5. [5] *Pſ.* 141. [6] 1. *Cor.*

dum, non verò ut finem perfectivum, quaſi verò Angelus aliquod bonum recipiat ab homine, ut à fine.

Objic. 1. con. 3. par. Motus Cœlorum non poteſt eſſe niſi ab aliqua Intelligentia, inde enim Philoſophi agnoverunt Angelos; ergo tàm evidens eſt, Angelos eſſe, quàm Cœlos moveri; ſed iſtud eſt evidens, & demonſtratur; ergo & illud.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam licèt fortè de facto ſic moveantur, tamen non eſt certum, nec evidens. Unde multi hoc negant, ut diximus in Philoſophia. Et præterea Philoſophi per Intelligentias, à quibus putarunt Cœlos moveri, non agnoverunt Angelos, quales hìc aſſerimus.

Objic. 2. Ea, quæ fiunt ab Energumenis, & Magis ope Dœmonum, non ſunt à Deo, neque ab homine; ergo ſunt à creaturis inferioribus Deo, & ſuperioribus homine; ergo ab Angelis: ergo evidens, & certum eſt, eſſe Angelos. Prob. ant. Energumeni, idiotæ, & Magi loquuntur linguis variis, & de ſcientiis, quas non didicerunt, & de rebus occultiſſimis, ferunt pondera, & movent corpora ſupra vires humanas, breviſſimo tempore feruntur ad loca remotiſſima, prædicunt futura, indicant fures, & furta ignota, &c. ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. utranque, quia licèt non poſſent excogitari veræ cauſæ creatæ talium effectuum, non tamen evidenter tribuerentur Angelis bonis, aut malis, imò dubitari poſſet, an illi effectus eſſent poſſibiles ulli creaturæ etiam ſpirituali, quales ſunt Angeli.

Reſp. 2. negari poſſe ant. Nam licèt de facto hæc non tribuantur Deo, tamen non eſt evidens, quòd hoc non ita ſit, cùm poſſent ab eo hæc fieri per providentiam particularem. Poſſent etiam tribui animabus ſeparatis, quarum vires, & ſcientia longè ſuperant noſtras, dum ſumus in hoc corpore; & quidem iſtis poſſent tribui mala, & turpia, quæ magis videntur dedecere Deum.

Objic. 3. Certum, & evidens eſt, poſſibilem *eſſe ſubſtantiam* ſpiritualem, & completam, quia certum, & evidens eſt nullam in hoc dari contradictionis implicantiam; ſed certum eſt, Angelos eſſe tales; ergo & certũ eſt, eos eſſe poſſibiles; ergo & certum eſt, eos

eos exiſtere. Prob. ſubſumptum. Nam certum eſt, Deum non feciſſe mundum imperfectum, & nihil omiſiſſe eorum, quæ ad perfectionem univerſi faciunt; ſed talis creatura ſpiritualis, & completa eſt maxima perfectio completiva univerſi, & hoc evidens eſt; ergo & quòd exiſtat.

Reſp. neg. min. Nec enim evidens eſt, Angelos eſſe puros Spiritus. Multi de hoc dubitarunt, ut vidimus.

Reſp. 2. neg. ſubſumptum, & maj. prob. ejus. Nec enim Deus neceſſitatur ad faciendum omne poſſibile, etiamſi faceret ad majorem perfectionem univerſi, ſaltem prout nos eam perfectionem concipimus.

Reſp. 3. neg. 1. ant. Nec enim evidens eſt nobis poſſibilem eſſe creaturam completam, nec etiam incompletam purè ſpiritualem.

Fateor tamen, illas, & alias ſimiles rationes, quas proponunt aliqui, ut demonſtrativas, eſſe ſaltem ſatis urgentes, & valdè probabiles, ita ut debeant cuilibet viro cordato perſuadere exiſtentiam creaturarum inviſibilium, perfectiſſimarum, majoriſque virtutis, quàm ulla creatura viſibilis, & à quibus ſint tales effectus ſuperhumani. Et ideò aſſerimus Angelorum exiſtentiam tum ex fidei, tùm ex naturalis rationis lumine.

## QUÆSTIO II.

*Quando, & ubi creati ſint Angeli, ſeu de tempore, & loco creationis Angelorum.*

Dico *creati*, & *creationis*, & quidem à Deo. Nam ſuppono 1. eos non eſſe à ſe, nec incauſatos, ut putant aliqui apud Sotum (1) ſenſiſſe Ariſtotelem, alioqui eſſent Deus. Et id conſtat ex Scriptura, [2] *in ipſo condita ſunt univerſa in Cœlis, ſive quæ in terris, viſibilia, & inviſibilia, ſive Throni, ſive Dominationes*, &c. 2. illos exiſtere per veram creationem, & ex nihilo prorsùs fuit. 3. illos eſſe creatos in tempore, non autem ab æterno. Nam ſolus Deus eſt æternus. Et id videtur definitum in Concilio Lateranenſi

[1] *Quodlib. 17. n. 38.* [2] *Coloſſ. 1.*

ſi ſub Innoc. III. *ſua omnipotenti virtute in principio temporis utranque de nihilo condidit naturam, Angelicam ſcilicet, & mundanam*. Reſtat ergo dubium de tempore, in quo creati ſunt, an ante, vel poſt, vel ſimul cum Cœlis, & terra, & aliis partibus univerſi. Quidam enim putant, eos eſſe creatos ante mundum viſibilem, ut Origenes, Baſilius, Nazianz. Damaſc. Chryſoſt. & alii tum Græci, tum Latini. Hodie verò communiter creditur, eos fuiſſe creatos ſimul cum aliis rebus.

Dubium etiam eſt de loco, ubi primùm poſiti ſunt, antequam boni in Cœlum gloriæ admitterentur, & mali ad inferos detruderentur.

## CONCLUSIO I.

A*Ngeli non ſunt creati ante, nec poſt mundum ſenſibilem, ſed ſimul, & eodem tempore cum Cœlo, & terra*. Eſt communis inter Theologos, quorum aliqui damnant contrariam, ſaltem ut temerariam; quod ego non auderem ob tantorum Patrum reverentiam.

Scotus (1) autem videtur aſſentiri Damaſceno, cum ſcribit, *Si omnes Angeli fuiſſent creati ante creaturam corporalem, ſicut videtur verum ſecundum Damaſcenum c. 17. & 21.* & ſatis ſupponit, [2] non eſſe creatos ante Cœlum, quia docet eos fuiſſe in Cœlo, quando peccarunt, & quòd peccarunt in morula viæ, & quòd tunc erant in Cœlo, ex quo deturbati ſunt poſt peccatum, juxta illud Apocalypſis, *Factum eſt prælium in Cœlo*, &c.

Prob. 1. ex Script. [3] *In principio creavit Deus Cœlum, & terram*. Et [4] *Initio Domine terram fundaſti*, &c. ergo anteà nihil creaverat, alioqui terræ, & Cœli creatio non eſſet *in principio*, nec *initio*. Et Moyſes [5] dicit, *Sex diebus fecit Deus Cœlū, & omnia, quæ in eis ſunt*; ergo & Angelos, qui ſunt in Cœlis. Et [6] *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul*; ergo non priùs creavit Angelos, quàm Cœlum, & terram, ſaltem longa diſtantia temporis, & ante ſex illos dies.

Prob. 2. ex Concil. Nam in VI. Synodo (7) recepta
eſt

[1] *2.d.2.q.8.A.n.2.* [2] *d.5.q.1.&c.* [3] *Gen.1.* [4] *Pſ.101.* [5] *Exo.20.* [6] *Eccl.8.* [7] *Act.4.*

eſt epiſtola Sophronii dicentis, *De principio viſibilis mundi, & conſtitutione, quæ facta eſt, confiteor, quòd omnia, non tantum viſibilia, ſed etiam inviſibilia, unus Deus condidit*, Et in Concilio Lateran. [1] *Firmiter credimus quod unus eſt ſolus verus Deus... qui ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utranque de nihilo condidit creaturam, corporalem, & ſpiritualem*, ergo non antè, ſed ſimul condidit Angelos, & mundum.

Prob. 3. quia Angeli ſunt pars, & quidem nobiliſſima univerſi; ergo non debuerunt creari ante totum, ſaltem congruenter, & ſine gravi ratione id aliter factum dici non debet.

Confir. Nam ſi longè ante mundum fuiſſent conditi, ubi fuiſſent collocati; quò fuiſſent relegati dæmones, qui non diù ſteterunt ante rebellionem, nec debebat differri eorum ſupplicium? ubi collocati fideles, qui pariter debebant præmiari?

Prob. 2. p. quòd non fuerint creati poſt mundum, & partes ejus, tùm ex Script. citata, quæ docet omnia creata eſſe ſimul, & ex illis verbis Dei ad Job, [2] *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ? cùm me laudarent aſtra matutina, & jubilarent omnes filii Dei*, ſcilicet Angeli. In ipſa fundatione terræ Angeli laudabant Deum. Et de *Behemot*, qui ſignificat Diabolum dicitur [3] *principium viarum Domini*, ſeu operationum ejus ad extra. Item ex tentatione Adæ. Niſi enim tunc extitiſſent Dœmones, non tentaſſent Adam in ſerpente. Et cùm ejectus eſt Adam ex Paradiſo, Cherubim poſitus eſt ad januam ejus ad cuſtodiam; ergo Angeli non ſunt creati diù poſt mundum.

Prob. 2. quia congruum fuit, ut ab ipſo mundi exordio eſſent creaturæ, quæ laudarent Creatorem; ſed nullæ aptiores erant huic muneri, quàm Angeli, qui dicuntur aſtra matutina, & filii Dei jubilantes. Tunc enim nondum exiſtebat homo, qui ante ſextam diem non extitit.

Prob. 3. quia creatura ſpiritualis eſt altera, & nobilior pars univerſi; ergo debuit creari ſimul cum altera comparte, ſcilicet cum corporali.

Prob. 4. Non decebat, ſummum Opificem incipe-



[1] *c. firmit.* [2] *Job* 38. [3] *Job* 40.

re ab imperfectiori, ut ſolent homines propter defectum virtutis, ſed ſaltem ſimul cum ignobiliori opere producere nobilius, ut eſt natura Angelica reſpectu corporum.

Prob. 3. p. Reſtat ergo ut ſint creati ſimul cum Cœlo, & terra juxta textus citatos ex Scriptura, & Conciliis, quibus docemur, utranque naturam, corpoream, & ſpiritualem creatam fuiſſe ſimul.

Confir. ex Patribus. Nam, inquit Epiphan. [1] *Illud Divinus ſermo declarat evidenter, neque poſt ſidera productos Angelos, neque ante Cœlum, terramque conſtitutos. Eſt enim certa illa, & immutabilis ſententia ante Cœlum, & terram nihil omninò conditarum rerum extitiſſe; quoniam in principio creavit Deus Cœlum, & terram.* Et Auguſt. [2] docet, eos primo die factos, & lucis nomine deſignari. Quod confirmari videtur ex hoc, quòd illa die dicatur terra inanis, & vacua, non verò cœlum, quod habitabatur ab Angelis.

Objic. 1. con. 1. p. citata verba Dei ad Job, [3] *Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ? & dum me laudarent aſtra matutina?* Et cùm Behemot, id. Diabolus, dicitur *initium viarum Domini*; ergo Angeli boni erant, quando Deus ponebat fundamenta terræ, & eam creabat, & priùs fecerat Diabolum, quàm mundum, alioqui non eſſet initium operum ejus.

Rſp. neg. utranque conſ. Neutra enim infertur ex illis textibus. Non ex 1. Nam hoc ipſo inſtanti, quo creati ſunt Angeli, poterant laudare Deum, ſcilicet eodem tempore, quo creabatur Cœlum, & terræ fundamenta ponebantur, & quidem ante creationem aſtrorum, quæ contigit 4. die. Non ex 2. Nam dato, quòd *Behemot* non ſignificet literaliter draconem aliquem, aut elephantem, ſed Dæmonem, dici poteſt *initium viarum*, (ſeu operum) *ordinis prælatione, non temporis quantitate*, ait Beda. [4]

Objicies 2. Sanct. Patres Græcos, & Latinos, qui dicunt, Angelos creatos, ante mundum; ergo ita dicendum eſt ob traditionis auctoritatem, cùm Scriptura non eſt clara.

Reſp. neg. conſ. Nam ſi Patres illi non poſſint expplica-

[1] *Hær.65.* [2] 11.*civ.*32.
[3] *Job.*38. [4] *Q.*9.*ex var.*

plicari, & adduci in ſenſum Theologicum hodie communem, eis opponi poſſunt alii Sancti, & Doctores, qui meliùs ſentiunt.

Inſt. S. Baſilius cenſet, [1] quòd erat *ſtatus quidam mundi Generatione ſuperior, abſtractis illis à concretione materiæ potentiis mundo præſtantioribus pro decoro accommodatus, temporis etiam conditione anterior, æternus nimirùm, ac perpes*, ergo non tantùm Angeli ſunt ante mundum; ſed etiam ab æterno.

Reſp. neg. con. tum ob rationem allatam, & fundamenta concluſionis, ex quibus conſtat, omnia condita eſſe in tempore, tum quia benignè interpretando verba ſancti Baſilii, æternitatis nomen ſumit largè pro duratione longiſſima, & incertæ menſuræ, ac inceptionis, ſicut æternum dicimus id, cujus initium neſcimus.

Inſt. 2. Non eſt probabile, Deum voluiſſe otiari tot ſæculis, & per æternitatem ante mundi creationem, & manere incognitum, & illaudatum; ergo probabile eſt, eum creaſſe Angelos ab æterno, vel ſaltem longiſſimè ante mundi inceptionem, ut in eis, & ab eis agnoſceretur, & laudaretur.

Reſp. neg. ant. Dato enim, quòd ab æterno creaſſet Angelos, adhuc diceretur otioſus, dum nihil deinceps crearet, & idem dici poteſt pro mundi æternitate æquè, ac Angelorum. Et præterea non ex defectu operationis ad extra debet argui Dei otioſitas, cùm ſit in ſe infinitè occupatus, ut diximus aliàs.

Objic. 3. Si Angeli creati eſſent cum aliis mundi partibus, Moyſes feciſſet de illis mentionem ut de eximiis operibus; ſed nihil dixit de Angelis; ergo tunc non ſunt creati.

Reſp. ut ſuprà, neg. maj. quia intentum Moyſi erat narrare creationem rerum ſenſibilium, non verò ſpiritualium propter craſſitiem Iſraelitarum, & eorum pronitatem ad idololatriam.

Reſp. 2. cum Auguſt. [2] & Beda, neg. min. Nam, ut dicebamus, multi volunt, creationem Angelorum exprimi ſub nomine lucis.



[1] *Hom. 1. Exam.* [2] *De Gen. lit.*

# CONCLUSIO II.

P*Robabile eſt, Angelos fuiſſe creatos in Cælo ſydereo, ſeu in firmamento, non autem in Empyreo*. Eſt communior.

De mente Scoti hoc in puncto nihil certi habemus. Nam juxta textum citatum in præcedenti, ſi putaverit cum Damaſceno, Angelos fuiſſe creatos ante mundum, non creati ſunt ullibi, ſeu in loco ullo reali, & determinato.

Prob. autem 1. ex Script. & Patribus. Nam, ut notat ſanctus Hieronymus [1] ſi Lucifer creatus fuiſſet in Cęlo Empyreo, non dixiſſet [2] *In cœlum conſcendam*. Nam *cùm eſſet in firmamento, in Cœlum, ubi ſolium Domini eſt, cupiebat aſcendere*, Idem docent Rupertus, [3] & Eugubinus de perenni Philoſophia, cap. 38.

Prob. 2. Nam videtur, Angelos fuiſſe creatos in Cœlo, ex quo mali cecidiſſe dicuntur. *Quomodò cecidiſti de Cœlo Lucifer?* Et, *Prælium magnum factum eſt in Cælo*. Et, *Videbam Sathanam de Cœlo cadentem*. Et hoc, quia decebat, nobiliſſimam creaturam in nobiliori loco poni, ſcilicet in Cœlo; ſed non debebat poni in Empyreo, & ſede gloriæ ante meritum; ergo probabilius eſt, Angelos creatos eſſe in Cęlo ſydereo, ſeu in firmamento, quod eſt vicinius Empyreo. Prob. min. quia non decebat ſedem gloriæ, & Beatorum fedari peccato, nec turbari prælio. *Nihil inquinatum intrabit in Regnum Cælorum*: Ibi *neque luctus, neque clamor*, &c. Inde nullus cadit, ibi nulla viciſſitudo, ſed *perpetuæ æternitates*; ergo non decebat, Angelos peccaturos, præliaturos, & caſuros, aut damnandos creari in Empyreo.

Objic. 1. Angeli dicuntur *Aereæ Poteſtates*; ergo creati ſunt in aere.

Reſp. neg. conſ. Sic enim dicuntur, quia fortè plures Dæmones permiſſi ſunt remanere in aere ad tentandos homines, aut ex aliis motivis Divinæ providentiæ.

Objic. 2. Scriptura, & Patres dicunt, Luciferum cecidiſſe de Cœlo, ſed nomine Cęli communiter intel-

[1] *Iſa.* 14. [2] *in cap.* 14. *Iſa.* [3] *Gen.* 11. *l.* 1.

telligitur Empyreum; ergo ibi creatus eſt. Prob. min. Nam de Chriſto dicitur, *Aſſumptus eſt in Cœlum, et ſedet à dextris Dei.* Et ſic uſi ſæpe; ergo Cęli nomine intelligitur Empyreum.

Reſp. neg. min. & conſ. prob. Nam licèt aliquando per excellentiam deſignetur ſedes gloriæ per nomen Cęli abſolutè, ſæpe etiam eodem nomine ſignificantur alii orbes.

¶ Inſt. Lucifer dicitur non ſolùm cecidiſſe de Cęlo, ſed etiam fuiſſe in deliciis ejus; ergo & in Empyreo, ſeu Paradiſo. Prob. ant. [1] *Qui in deliciis fuiſti*; ergo, &c.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam illas per delicias intelligit magnas dotes naturæ, & gratiæ, quibus donatus fuerat à Deo Lucifer in ſua creatione, non autem delicias Paradiſi, quæ ſunt inamiſſibiles.

Objic. 3. Creatura nobiliſſima, & incorruptibilis debuit creari in loco ſupremo; ergo in Cęlo Empyreo, quod eſt ſupremum, & immobile.

Reſp. diſt. ant. In loco ſupremo, & condecente ſtatum ejus, con. abſolutè ſupremo, & immobili, neg. ant. Imò quia Angelus creatus eſt in ſtatu viæ, ſeu merendi, aut demerendi, creatus eſt mobilis, decuit, eum creari in loco mobili, & inferiori, à quo poſſet aſcendere, vel deſcendere per merita, vel demerita, ut contigit.

Dixi, *probabile*. Nam, cùm hoc totum dependeret à pura Dei volũtate, de qua nihil conſtat ex Scriptura, vel traditione, ut potuerit eos creare intra, vel extra, vel infra Paradiſum, aut mundum hunc, quiſque poteſt, quod ſibi veriſimilius videbitur, opinari.

## QUÆSTIO III.

*Quid ſit Angelus, an ſit ſubſtantia purè ſpiritualis, & incorporea.*

ANgelus à Damaſceno deſcribitur, *ſubſtantia intellectualis, ſemper mobilis, arbitrio libera, Deo miniſtrans, in natura immortalis, quod eſt, accipiens, cujus ſubſtantiæ definitionẽ, & formam ſolus Deus novit.*



[1] *Ezech.* 28.

*novit*. Dico, *deſcribitur*. Nam explicat non ſolùm eſſentiã, ſed & virtutes, & operationes, & officia Angelorũ. Dion.[1] eos vocat *Divini ſilentii interpretes, & tanquam perſpicua, & micantia Deitatis lumina, quæ eum, qui in abditis latet, manifeſtant*. Nos Angeli nomine intelligimus ſubſtantiam intellectualem; ſpiritualem, & completam, quæ eſt Deo inferior eſſentialiter, & homine ſuperior. Quæſtio eſt, an vox illa *ſpiritualis* ſumatur hic pro re admodùm tenui, ac ſubtili, quæ vel penetrat alias, ut formæ ſubſtantiales corporeæ penetrant materias, quas informant, vel quæ vix cadit ſub ſenſus, ut aer, vel leviſſima eſt, ut ſunt ſpecies intentionales, quas objecta emittunt in oculos ad formandam viſionem, quamvis ipſæ non videantur, an verò ſumatur ſtrictè pro re prorsùs experte molis corporeæ, & quantæ; & rurſus quærimus, an Angelus ſit ita ſpiritualis ſecundum ſe totum, an ſecundum partem ut homo, qui conſtat corpore, & anima prorsùs ſpirituali, & quidem ex ſe. Nam certum eſt, eum poſſe aliquando ſumere ſibi corpora, & ea movere, non quidem ut formã informantem; ſed ut aſſiſtentem, & moventem.

## CONCLUSIO.

A*Ngelus eſt ſubſtantia purè, & totaliter ſpiritualis, ſeu incorporea*. Eſt jam communiſſima contra plures antiquos, inter quos citantur aliqui ſancti Patres, qui videntur dixiſſe, Angelos eſſe corporeos. Quoad Scotiſtas verò, notat Ferchius noſter, [2] quòd *ad honorem noſtræ Religionis, & Scholæ intereſt dicere eſſe de fide, quòd Angeli ſint prorsùs incorporei; quia ex noſtra Religione, & Schola Seraphica, & ſubtili neminem ſcio*, inquit, *qui dicat, Angelos eſſe corporeos*. Ille tamen unius Scholæ conſenſus non facit rem de fide, ſaltem in rigore:

Prob. 1. ex Scoto, qui ubique dicit, aut ſupponit Angelos ſpirituales, ut cùm dicit, [3] quòd *poſſet fieri Angelus ſine creatione creaturæ corporalis, vel facta creatura corporali poſſet fieri, & eſſe extra omnẽ creaturam cor-*

[1] *divin. nom.* 4.
[2] *de Angel. t.* 2. *q.* 68. 7.
[3] 2. *d.* 2. *q.* 6. 1. *n.* 11. & 23.

*corporalem*, Non ſic loqueretur, ſi putaret, Angelos ipſos eſſe corporeos. Nec diceret, quòd *Angelus ſit indiviſibilis, non tamen habet indiviſibilitatem, ſicut punctus*. Indiviſibilitas eſt proprietas ſpiritualitatis. Et alibi dicit, [1] animam rationalem, & Angelos eſſe ſpirituales, licet in eis admittat materiam, & compoſitionem metaphyſicam, ſcilicet ex genere, & differentia. Et alibi [2] quærit, quomodò ignis inferni dici poteſt cruciare ſpiritum, ſc. dęmonem, & dicit, quod aliter cruciatur anima damnata, quàm Angelus, illa cruciatur in corpore, cui unitur, & quod informat. *Non ſic eſt in Angelo damnato, quia ſimplex eſt, & nullius corporis combuſtibilis realiter, vel formaliter perfectivus*. Nullibi autē quæſtionē tractat directè.

Prob. 2. ex Script. quæ ſæpius Angelos bonos, & malos vocat Spiritus, quod nulla ratio cogit intelligi aliter, quàm ſtrictè, & literaliter, [3] *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus*. Et [4] *Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus*. Et cùm Chriſtus ejiceret dæmones, [5] *Ejiciebat ſpiritus*. Et *Spiritus ſubjicientur vobis*. Et [6] *Cum exierit ſpiritus ab homine .... aſſumit alios ſeptem ſpiritus nequiores ſe*, &c.

Prob. 3. ex Conc. Later cit, [7] in quo definitur quòd Deus utranque de nihilo condidit naturam, *ſpiritualem, & corpoream, Angelicam, & humanam*. Et in Nicæno I. [8] Angeli, & anima rationalis ponūtur intellectualium naturarum, ergo ſicut iſta eſt purè ſpiritualis, ita & illi, & ex alio Lateran. ſub Leone X. [9] & Nicæno II. *Cherubin illorum*. (arcæ federis) *exemplaria ignota juxta naturam omnibus hominibus exiſtentia ſpiritus, & ignis exiſtunt, ut ab omni corporea figuratione, & natura aliena*, ut ſcribit S. Athanaſ. in profeſſione fidei: [10] *Spiritus* autem ibi *dicitur ignis tanquam purgativam vim habens*, ſicut dicitur de Deo, quod ignis conſumens eſt, & ponitur ibi ſpiritualiter, non ut elementum.

Prob. 4. ex SS. Patribus, maximè ex Auguſtino, [11] quem adverſarii pro ſe citant. Nam, ut notat Ferchius cit. ex illo videtur Concilium Lateranenſe verba illa



[1] *de rer. princ.* q. 7. n. 9. [2] *Rep.* 4. d. 44. q. 3. n. 7. 10. & 11. [3] *Pſal.* 103. [4] *Hebr.* 1. [5] *Matth.* 8. [6] *Luc.* 10. [7] *c. firmit.* [8] *Act.* 2. [9] *Act.* 4. [10] *Orat.* 34. [11] *Soliloq.* 32.

ſumpſiſſe. Idem eſt de Origene, [1] qui tamen dicit, *Nos incorpoream ſubſtantiam non putamus igne conflagrare, neque in ignem reſolvi hominis animam, vel Angelorum ſubſtantiam*. Et Nyſſen. (2) *Omnis natura rationalis dividitur in incorpoream, & corpoream: incorporea eſt Angelica natura, altera nos ſumus homines*. Alios plures citat S. Bonaventura.

Prob. 5. Si Angeli eſſent corporei, eſſent vel totaliter, ut bos, equus, &c. & ſic eſſent inferiores homine, vel ex parte, ut homo, & ſic non eſſent homine ſuperiores: ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. Nā ipſe homo, qui ſuperior eſt omnibus purè corporalibus, dicitur *paulò minus Angelis minor*, & quaſi medius inter res purè corporales, & purè immateriales; ergo neutrum dici poteſt de Angelis. 2. quia pars ſpiritualis eſſet in corpore per identitatem, vel per unionem, & informationem; non per identitatem, quia idem non poteſt ſubjici prædicatis oppoſitis, ut ſunt materiale, & ſpirituale, non per informationem, alioqui pars illa non differret ab anima rationali, nec homo ab Angelo.

Prob. denique, quia non implicat natura creata purè ſpiritualis; ergo ſicut in univerſo dantur creaturæ totaliter materiales, & aliæ partim materiales, & ſpirituales, ut homines, ad gloriam Dei opificis, & decorem operis univerſi debebant eſſe creaturæ totaliter ſpirituales; ergo ita factum credendum eſt, & maximè, quia id ita eſſe de Angelis innuūt ſatis clarè Scriptura, Concilia, SS.PP. & Theol. hodie communi ſenſu. Propterea opinio contraria cenſetur à multis errori proxima, vel temeraria. Et qui hoc putant definitum in Conciliis citatis, eam cenſent hæreticam: Alii benigniùs cenſent.

Objic. 1. Scriptura 1. tribuit Angelis Actiones corporeas, ut eſt generatio juxta illud, (3) *Videntes filii Dei*, (ideſt Angeli) *filias hominum, quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi in uxores*. 2. D. Paulus [4] jubet feminas in templo eſſe velatas *propter Angelos*, quod de cœleſtibus explicat Tertullianus, [4] *debet adumbrari facies tam periculoſa, quæ uſque ad cœlum ſcandala jaculata eſt*. 3. ipſi apparent in corpore, ut Angelus Tobiæ.

(1) *l.6.con.Celſ.* (2) *Orat.4. Orat. Dom.*
(3) *Gen.6.* (4) *1.Cor.11.* (5) *De velam. vir. 7.*

biæ. 4. delectantur bonis odoribus, & quidem materialibus, & offenduntur pravis, ut ruta, & ab igne infernali; ergo ſunt ſenſitivi, & corporei; nam puri Spiritus non ſic patiuntur.

Reſp. neg. conſeq. Nec enim id ſequitur ex illis textibus benè intellectis. 1. loquitur de filiis Seth, & Enos, qui ob juſtitiam patrum dicuntur filii Dei, ſicut filiæ Cain dicuntur filiæ hominum ob patris iniquitatem, & maximè quia Chriſtus D. de Angelis dicit quòd *non nubunt, neque nubentur*. 2. D. Paulus per Angelos ſignificat Sacerdotes, qui tales ſunt officio. Ideò dicitur, [1] quòd *labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, quia eſt Angelus Domini*. 3. Angelus Tobiæ erat in corpore, nō ut informās, ſed ut aſſiſtēs, ut ſæpè contingit: ideò ſtatim diſparuit, & omnia apparenter faciebat potiùs, quàm verè, [2] *Videbar quidem vobiſcum manducare, & bibere, ſed ego cibo inviſibili utor*. 4. odores illi placent, & diſplicent actione morali, non phyſica, ſc. ex ordinatione Divina, & objectivè; ut fumigationes religioſæ; quæ in exorciſmis adhibentur, diſplicent ex fide, & orationibus Eccleſiæ. Idem de igne inferni, ut dicemus ſuo loco.

Objic. 2. ex Conciliis. Nam in Niceno cit. approbata fuit Epiſtola Joannis Theſſalonicenſis dicentis, Angelos conſtare corporibus aereis, & igneis. Hic enim legitur, *Sanctus dixit de Angelis, & Archangelis, & eorum poteſtatibus, quibus & noſtras animas adjungo; ipſa Eccleſia catholica ſic ſentit, eſſe quidem intelligibiles, ſed non omninò corporis expertes, & inviſibiles ..: Verùm corpore tenui præditos, & aereo, ſive igneo*, &c. Et citat SS. Baſilium, Athanaſium, & alios: ſed hæc approbarunt Patres Concilii; ergo Angeli ſunt aliquo modo corporei, non verò purè ſpirituales.

Reſp. neg. min. Nec enim ea verba, prout jacent, approbavit Concilium, ſed tantùm prout à Tharaſio Patriarcha Conſtantinopolitano limitata ſunt, ſcil. quod & *Angelos pingere oporteat, quando circumſcribi poſſunt, & ut homines apparuerunt*. Approbat ergo, quòd Angeli pingantur ſub forma humana, & corporea, non verò, quod dicantur corporei, de quo



[1] *Malach.* 2. [2] *Tob.* 12.

non erat quæſtio, ſed tantùm de imaginibus eorum.

Objic.3.plures SS.Patres,quos citabat ille Joannes, qui docent, Angelos eſſe corporeos; ergo ita dicendum eſt, quia in iis, quæ in Scriptura non ſunt ſatis clara,credendum eſt traditioni. Prob. ant. Nam Methodius Martyr [1] dicit eos aereos. Baſilius, quod *ſiunt ſpectabiles in ſpecie propriorũ corporum.* Cæſarius,*quod incorporei quidem ſunt Angeli ſecundum nos, corpus verò ſecundum ſe, ut ignis, & ventus*, &c. Ambroſ.[2] *quòd nihil materialis compoſitionis immune eſt præter Deum*. Auguſt.[3]*Dicit dæmones aerea eſſe animalia, quia aereorum corporum natura vigent.* S. Fulgent. Ex *duplici eſſe aſſerunt eos magni, & docti viri*, ideſt,*ſpiritu incorporeo, quo à Dei contemplatione nunquam recedunt, & ex corpore per quod hominibus apparent*. Et Origenes dat Dæmonibus corpora aerea, & dicit, ſolum Deum eſſe ſine corpore; ergo Sancti Patres communiter docent, Angelos eſſe corporeos.

Reſp.1. cum Gaudent.[4]maximam partem locorũ illorum, quæ ex PP. illis adducuntur, loqui de corporibus aſſumptis, ut ex ſingulis colligit clarè ſatis, ſc. corporei ſunt,quando apparent in corpore aſſumpto ex aere, aut alia materia, quæ ſtatim evaneſcit, quando recedunt.

Reſp.2.quòd ſi non poſſent explicari Patres illi ad ſenſum communem Eccleſiæ, quæ hodie docet, illos eſſe incorporeos, adhuc ſtandum eſſet opinioni noſtræ, nec mirum, quòd poſteri meliùs videant, quia Scripturas accuratiùs examinarunt.

Reſp. 3. Quòd Patribus alii Patres opponuntur, imò & illi aliter aliquando ſenſerunt, ut patet ex probationibus noſtris. Præterea ſic loquuti ſunt de ſubſtantia Angelica, non abſolutè, ſed comparative ad Divinam infinitè puriorem, & in ejus comparatione meritò illi dicuntur materiales. Sic intelligitur Hilarius dicens [5] *Nihil eſt, quod in ſubſtantia ſua, & creatione corporeum non ſit, ſpiritus nec circumſcribitur, nec tenetur, quia per virtutem naturæ ſuæ ubique eſt*. Vides, qualem ſpirtualitatem neget

[1] *L. de Spir. ſanct.* [2] 1 1. *de Abr.* 8.
[3] *Gen. litt. & Ep.* 175. [4] *d.* 2.*q.*1.*n.*7.
[5] *Can.* 5. *Matth.*2.*Tr.fin.*

neget Angelis. Et ut loquitur S. Gregorius [1] *Angelus commparatione corporum noſtrorum eſt ſpiritualis, ſed comparatione ſummi Spiritus eſt corpus*:

Objic. 4. Anima noſtra, licèt ſpiritualis, informat corpus, ergo idem eſt de Angelo. Prob. conſeq. 1. quia id videtur petere pulchritudo univerſi, ut ſc. contineat omnes gradus viventium, ſc. compoſita ex ſpiritu, & corpord ſenſibili, & corruptibili, ut homines, & compoſita ex corpore æthereo, inſenſibili, & incorruptibili, ſicut Angeli. 2. quia ſi ſint ſine corpore, non poſſunt eſſe in loco, qui debet commenſurari locato; nullus autem locus poteſt commenſurari puro ſpiritui; ergo &c.

Reſp. neg. conſeq. & antec. 1. prob. Nec enim omnis ornatus poſſibilis de facto datur; imò nec fortè eſſet perfectio in Angelo habere corpus velut mortuum, & inſenſibile. Eſt enim perfectio in homine, quòd ſentiat, & vegetet, ac intelligat. Ad 2. probat. diſt. antec. Non poſſet in loco commenſurativè, & circumſcriptivè, conc. definitivè, neg. antec. & rationem ejus. Nec enim commenſuratio loci, & locati eſt neceſſaria, niſi corporeis. De quo infra.

## QUÆSTIO VI.

*An ſubſtantia Angeli ſit ſimplex, an compoſita ex materia, & forma.*

EX Philoſophia, compoſitio alia eſt 1. *phyſica ex* partibus realiter diſtinctis, quarum una ſe habet per modum potentiæ realis, & perfectibilis, ut materia phyſica, alia, ut actus perfectivus, ut forma item phyſica. 2. alia *metaphyſica*, ex partibus realiter identificatis, quarum una ſe habet per modum potentiæ, ſeu determinabilis metaphyſicè, ut genus, alia per modum actus, ſeu determinativi, etiam metaphyſicè, ut differentia. Dicitur etiam *compoſitio formalis*, aut *virtualis*, quia partes componentes diſtinguuntur formaliter, aut virtualiter. 3. Alia *eſſentialis*, quæ conſtat partibus eſſentialibus, quales ſunt materia, & forma in compoſito phyſico, & genus, & diffe-



[1] 2. Mor. 3.

differentia in compoſito metaphyſico. 4. alia *integralis*, quæ conſtat partibus integrantibus, ut homo e x capite, & brachio, & numerus ternarius ex tribus unitatibus. 5. alia *accidentalis*, quæ eſt ex natura, & ſuis proprietatibus, ut homo ex humanitate, & riſibilitate, vel ex ſubjecto, & accidente, ut album ex pariete, & albedine. Totuplex autem eſt ſimplicitas his compoſitionibus oppoſita. Quærimus, an aliqua ex his compoſitionibus ſit in Angelo.

## CONCLUSIO.

*Angelus non eſt phyſicè compoſitus eſſentialiter ex materia, & forma, nec integraliter, & phyſicè, bene vero, accidentaliter phyſicè, & eſſentialiter metaphyſicè*. Eſt communis, & ſequitur ex præcedenti quoad 1. p.

Prob. 1. ex Scoto. [1] qui videtur quidem admittere materiam, & formam reales in Angelo, ut putat Poncius, ſed in Quodlibetis videtur aliter ſentire, ſcribens, [2] *Intelligere eſt operatio immaterialis, quia proprium receptivum habet; non includere materiam ſaltem corporalem, & ideo poteſt ipſa operatio haberi ſine tali materia. Nunc autem potens habere operationem ſine materia, poteſt habere eſſe ſine materia; ergo natura illa, cujus eſt iſta operatio* (ſcil. intelligere) *propria, poteſt habere eſſe ſine materia*. Sed intelligere eſt operatio propria Angelo; ergo Angelus poteſt eſſe ſine materia, ſaltem corporea, & phyſica: Unde concludit, [3] quòd ex hac operatione, quæ eſt communis *animæ, & Angelo, poteſt concludi immaterialitas communis utrique*.

Ego idem ex aliis ejus verbis colligere mihi videor. Nam in illo tr. de rerum principio ſic loquitur, [4] *Indeterminatum, & determinativum in genere ſubſtantiæ, puta materia, & forma, habent maximam unitatem in ſubſtantiis ſpiritualibus*. Et infra [5] dicit explicitè, *Habent maximam unitatem in Angelis.... ac per hoc nec in quantitatem prorumpunt, quia ſunt virtutis unitivæ, nec habent aliquam* for-

[1] *De rer. princ. q.7.a.2.n.2.* [2] *Quodl. 7.23.* [3] *Ibid.* [4] *n.15. concl.11.* [5] *n.25.*

*formam corporalem, propter quam recedant à ſimplicitate*; ergo Scotus non agnoſcit in Angelis nec materiam, nec formam phyſicam, nec talem compoſitionem.

Prob. 2. quoad 1.p. Nam illa compoſitio eſſet vel ex partibus, ſc. ex materia, & forma, corporeis, ut equus, vel ex materia corporea, & forma ſpirituali, ut homo, vel ex utraque parte ſpirituali; ſed nullum horum dici poteſt; ergo nec quòd Angeli ſint compoſiti phyſicè. Prob. min. Non 1. nec 2. Nam, ut patet ex precedenti, Angeli non ſunt materiales, & corporei, nec in toto, nec in parte. Non 3. Nam ſine ulla prorſus neceſſitate multiplicarentur in Angelis partes eſſentiales.

Confir. In anima ſeparata non admittitur talis compoſitio; ergo multò minùs in Angelis, qui ſunt nobiliores.

Prob. 3. ex Patribus. Nàm Dionyſius (1) Angelos vocat *Intelligibiles, ſpiritualeſque ſubſtantias, incorporales, omnique materia carentes*. Et Nazianz. (2) dicit *Angelos incorporeos, omniſque materiæ expertes*. Et alii eos dicunt *ſimplices*, & *incorporeos*; ergo, &c.

Prob. 2. p. quia licèt fortè non repugnet ſubſtantia ſpiritualis diviſibilis in partes integrantes, nulla tamen eſt ratio id dicendi de Angelis, & de facto, ſicut nec dicitur de anima rationali; ergo ſicut anima noſtra non dicitur compoſita integraliter, multò minus id dici debet de Angelis, qui ſunt perfectiores, ergo & ſimpliciores. Nam major ſimplicitas excludit majorem potentialitatem; ergo & dicit majorem perfectionem.

Prob. 3. p. de compoſitione accidentali, quia componuntur ex ſua ſubſtantia, & donis gratiæ, & gloriæ, quæ illis ſuperaddita ſunt, & quæ boni potuerunt amittere, ſicut mali amiſerunt illa, & potuerunt mereri iſta; item recipiunt in ſe novas intellectiones & volitiones; uno verbo, *prima Intelligentia eſt mutabilis ab intellectione ad intellectionem*, inquit Scotus; ergo Angeli ſubjacent compoſitioni accidentali.

Prob. 4. p. de compoſitione metaphyſica. Nam verè conſtant genere, & differentia. Sunt *ſubſtantiæ ſpirituales*, quod habet locum generis, per id enim con-

[1] *Div. nom.* 4. & 7. [2] *Orat.* 38. [3] 1. *d.* 8. *q.* 5. *T. n.* 22.

conveniunt cum anima rationali: & *completa*, quod habet locum differentiæ, per id enim differunt ab anima, quæ eſt incompleta; ergo, &c.

Confir. ex illis Patribus, qui videntur velle, eos componi phyſicè. Nam iſti à fortiori admitterent in eis compoſitionem metaphyſicam.

Objic. 1. con. 1. p. Scotus (1) docet, quòd *neceſſe eſt tam animam, quàm Angelum inniti materiæ fundamento, accipiendo materiam pro illo potentiali, quod habet eſſe actu, quod contra formam diſtinguitur ..... & illa potentia facit aliquam compoſitionem in rebus, quæ eſt indeterminata, & illud indeterminatum eſt materia realiter a forma diſtincta*; ergo ex Scoto Angeli compoſiti ſunt ex materia & forma realiter diſtinctis, & phyſicè.

Reſp. diſt. conſ. Ex materia, & forma metaphyſica, con. ex materia, & forma phyſica, neg. conſ. Nec enim id ſomniavit Scotus, nec ſequitur ex illo textu benè intellecto. Nam forma, & materia, quas ibi admittit, *habent maximam unitatem in ſpiritualibus*; ut patet in textu à nobis allato ex eodem tractatu. (2)

Inſt. ex Scoto ibidem. (3) Opinio negans compoſitionem in Angelis *eſt contraria dictis SS. Patrum*, & citat Auguſtinum dicentem, quòd non *temporali, ſed cauſali ordine priùs facta eſt informis, formabiliſque materies, & ſpiritualis, & corporalis, de qua fieret, quod faciendum eſt .... ſic fortaſſe potuit anima habere materiam pro ſuo genere ſpiritualem ....* De ſpirituali ergo *materia anima facta congruentiùs creditur*. Et Boetius (4) dicit de Angelo, & anima, *Quorum unumquodque eſt unum conjunctione materiæ, & formæ*. Et Damaſcenus. (5) *Angelus incorporeus, & immaterialis dicitur quantum ad nos. Omne autem comparatum ad Deum, qui ſolus immaterialis eſt, craſſum, & materiale invenitur*; ergo ex Scoto, & Patribus Angeli conſtant materia ſaltem ſpirituali; ergo componuntur phyſicè.

Reſp. 1. neg. conſ. Nam Scotus citat Patres illos pro materia, & compoſitione metaphyſica, quam negant in Deo, & id ſolum colligitur ex illis textibus. Augu-

[1] *De rer. prin. q. 7. n. 14. Concl. 5. ibid.*
[2] *Ibid. concl.* 11. [3] *Concl.* 12.
[4] 5. *Gen.* 5. & 7. *c.* 6. [5] *De unit. c.* 2.

guſtinus autem loqui videtur non de materia *in qua*, ſeu intrinſeca, ſed de extrinſeca, & *ex qua*, dicens, *De materia ſpirituali congruentiùs creditur facta*. Boetius verò, & Damaſc. loquuntur de Angelo, & anima non abſolutè, ſed comparativè ad Deum, qui infinitè ſimplicior, & ſpiritualior eſt, & præ illo omnis ſpiritus eſt craſsus, & materialis.

Reſp. 2. Scotum ibi citare Patres pro opinione de compoſitione Angeli ex materia ſpirituali, in quam ſententiam ibi videtur inclinare, ſed alibi ex proprio ſenſu aliter ſentit, ut dicebamus cum P. Poncio. Nec diffitemur, quia multi Patres putarint, eos componi ex materia non ſolum ſpiritali, ſed etiam corporea, in quo non audiuntur hodie. Aliqui etiam nomine materiæ intelligunt totam Angeli ſubſtantiam quoad accidentia, & mutationes accidentales, quibus ſubjacet. Nam, inquit Boetius, *nihil, quod eſt verè forma, poteſt accidentibus ſubjici*. Et Auguſt. (1) *Omne mutabile inſinuat quandam informitatem, qua forma capitur*. Et hoc ſenſu non negamus, Angelos ſe habere ut materiam, ſeu ut ſubjectum, & in potentia ad mutationes, & formas accidentales. At hic negamus materiam, & formam ſubſtantialem realiter diſtinctas, & facientes compoſitionem phyſicam ſubſtantialem.

Objic. 2. Angeli poſſunt agere, & pati; ergo componuntur ex materia, & forma realiter. Prob. conſ. Non enim poſſunt agere, & pati ſecundum idem; & agere niſi à forma, & pati niſi à materia, quæ eſt potentia.

Reſp. diſt. ant. Agere, & pati intentionaliter quoad actiones immanentes, & æquivocas, & ſub diverſo reſpectu, con. actione, & paſſione phyſica, & univoca, & tranſeunte. neg. ant. & conſ. Nam anima ipſa agit producendo verbum mentis, & illud in ſe recipit, & idem poteſt docere Logicam, & doceri Medicinam, nec in his eſt inconveniens.

Objic. 3. Simplicitas eſt proprietas Dei; ergo non convenit Angelo, nec ulli creaturæ. Ant. patet ex dictis.

Reſp. diſt. ant. Simplicitas ſumma, & abſoluta, excludens omnem prorſus compoſitionem, con. ſimpli-

(1) *Trin.* 3.

plicitas imperfecta , & ſecundum quid , neg. ant. & conſ. Simplicitas Angeli excludit ſolam compoſitionem phyſicam eſſentialem , non phyſicam accidentalem ex ſubjecto , & accidente , nec metaphyſicam ex genere , & differentia , neque ex actu , & potentia objectiva , neque ex natura , & ſubſiſtentia . Ideò non eſt ſimplicitas ſimpliciter , & abſoluta , ſed ſecundum quid .

## QUÆSTIO V.

### *De immortalitate , & incorruptibilitate Angeli.*

INcorruptibilitas excludit vel quamlibet deſitionem rei , ſive totalem , ut eſt annihilatio , ſive partialem , ut corruptio , ſeu diſſolutio compoſiti remanente una , vel utraque parte ejus, ut in morte hominis , cujus corpus , & anima non pereunt , vel excludit quamlibet mutationem etiam accidentalem , ut immutabilitas Dei .

Porrò certum eſt , 1. Angelos non eſſe corruptibiles per diſſolutionem compoſiti phyſici eſſentialis, vel integralis , quia carent utraque illa compoſitione , 2. eos non eſſe incorruptibiles,ſeu immutabiles accidentaliter , cùm ſubjaceant ſucceſſivè diverſis accidentibus perdendo aliqua , & acquirendo alia , & movendo ſè localiter , ut dictum eſt de bonis , qui novas gratias , & dotes gloriæ acceperunt , & de malis qui acceptas amiſerunt , & utrique novas cognitiones poſſunt acquirere , 3. eos eſſe corruptibiles ab extrinſeco , & à potentia objectiva ad actum entitativum , ut de facto illis contigit per creationem , & ab illo actu ad non eſſe per annihilationem , ſi Deus ceſſarèt ab eorum conſervatione , 4. ſunt mutabiles quoad locum , ut cùm aſcenderunt boni in cœlum gloriæ , & mali deſcenderunt ad inferos , & quotidie ad nos veniunt , & recedunt . Nec de his eſt difficultas .

5. Certum eſt , quòd de facto ſunt immortales , nec ceſſabunt exiſtere . Nam boni gaudent vita æterna , & mali addicti ſunt ignibus æternis , ut docet Evangelium . Et in VI. Synodo (1) approbata fuit Epiſto-

(1) *XII.* 12. & 13.

ſtola Sophronii dicentis, quòd Deus *ſenſibilia fini temporali ſuppoſuit, intellectualia verò, & inviſibilia nullatenus moriuntur, neque corrumpuntur*. Et S. Dionyſ. [1] docet, *Angelos habere vitam ſempiternam, & quæ imminui non poſſit*. Et Athanaſ. *Sicut initium habuerint, immortales ſunt, & in æternum vivunt*.

Quæritur, quæ ſit cauſa iſtius immortalitatis, an ſit debita illorum naturæ, quæ ſic exigat conſervari, ut ſine miraculo, & violentia illis facta Deus non poſſit ab eorum conſervatione ceſſare, an verò id fiat ex pura Dei liberalitate, ut velit eos conſervare, & illi talem conſervationem nec poſitivè exigant, nec poſitivè repugnent, ſed quaſi negativè ad illam ſe habeant.

## CONCLUSIO.

*Licèt Angeli non ſint ita immortales ab extrinſeco, quin poſſint à Deo deſtrui, & annihilari, tamen dici poſſunt immortales, & incorruptibiles ab intrinſeco, ſaltem negativè, quatenus nihil habent in ſe, quod exigat finem eſſendi*. Eſt communior.

Prob. 1. ex Scoto, [2] & Philoſopho. *In omnibus natura deſiderat, quod melius eſt, melius eſt autem ſemper eſſe, quam non eſſe, ſaltem eo modo, quo ſemper eſſe eſt poſſibile*; ſed eſt poſſibile naturæ Angelicæ perpetuo eſſe; ergo conſervatio perpetua eſt conformis appetitui naturæ Angelicæ ex Scoto, & Philoſopho, & ratione.

Prob. 2. quoad 1. p. ex eodem, [3] *quia nihil præter Deum eſt immutabile, loquendo de mutatione, quæ eſt verſio* (de non eſſe ad eſſe, ſeu corruptio ſubſtantialis) *Et nihil aliud à Deo propter perfectionem ſuam eſt immutabile*, & maxime reſpectu cauſæ extrinſecæ, ita, ut ſic poſitivè exigat exiſtere: & conſervari, ut ſine violentia, vel miraculo non poſſit ceſſare Deus ab ejus conſervatione. Et certè, ſicut nulla creatura ſic exigit primò produci, ut ſibi hoc debeatur, nec ſibi debeat denegari ſine injuria, vel vio-

[1] *de Div. nom.* 4.
[2] 4. *d.*49.*q.*6. *A.n.*21.
[3] 1. *d.*8.*q.*5.*Y.n.*22.

violentia, aut miraculo, quantum eſt ex ejus principiis intrinſecis; ita nec poteſt exigere ſic conſervari; ergo Angeli non ſunt ita immortales , quin poſſint ab extrinſeco deſinere eſſe, ceſſante conſervatione Divina.

Prob. 2. p. quia nihil poſitivum eſt in Angelo , ſicut nec in anima rationali , per quod exigat deſtrui, ſed potius appetit conſervari; ergo conſervatio eſt illi connaturalis; ergo & immortalitas. Prob. ant. Nulla res creata habet exigentiam , vel diſpoſitionem poſitivam ad corruptionem , niſi ratione materiæ, quæ cùm appetat omnes formas, appetit etiam illas, quas non habet actu, & per conſequens appetit corruptionem compoſiti præſentis, ſine qua non poteſt eſſe ſub alio ; ſed in Angelo non eſt materia phyſica , ut probatum eſt ; ergo nec ille appetitus ad corruptionem, ſed potiùs diſpoſitio intrinſeca ad conſervationem in illo eſſe , quod habet.

Confir. Nam conſervatio Angeli per æternitatem non eſt miraculoſa, nec violenta; ergo non eſt contra, nec præter, ſed juxta naturalem naturæ ejus inclinationem. Ant. videtur certum , imò potiùs deſitio, vel annihilatio ejus vidêretur miraculoſa. Prob. conſ. Nam ex Philoſophia patet, quòd illud eſt violentum , quod fit contra inclinationem poſitivam paſſi , ut motus lapidis ſurſùm , & illud dicitur miraculoſum , quod *eſt arduum , & inſolitum ſupra ſpem , & facultatem admirantis* ; ex Auguſtino, [1] illud autem eſt arduum , quod eſt ſupra facultatem naturæ , & fit à ſolo Deo ſupernaturaliter agente ; ergo conſervatio Angeli eſt juxta inclinationem ejus , alioqui eſſet violenta , & miraculoſa , violenta quidem , ſaltem negativè , miraculoſa autem , quia inſolita & ſupra omnium agentium naturalium vires, & nequidem à Deo venire poſſet , niſi agente ſupernaturaliter, ſeu ſupra naturam.

Confir.2. quia ſi conſervatio Angeli eſſet ſupernaturalis, eſſet ſupra exigentiam ſubjecti, ſed nullus dicit eam eſſe ſupernaturalem ; ergo dici debet juxta exigentiam Angeli ; ergo ille eſt ab intrin-

(1) *De util. cred.*

trinſeco immortalis, & incorruptibilis. Prob. maj. Illud dicitur ſupernaturale, quod eſt ſupra id, quod exigit ſubjectum, vel ſupra id, quod ei debetur naturaliter à Deo, vel ab agentibus creatis.

Prob. 2. & ſimul confir. præcedens ratio. Nam Concilium Lateran. III. ſub Leone X. definit, (1) quod *cum diebus noſtris nonnulli auſi ſint dicere de natura animæ rationalis, quòd mortalis ſit, ſacro approbante Concilio, damnamus, & reprobamus omnes aſſerentes animam rationalem mortalem eſſe*; ergo à fortiori Angeli natura ſua non ſunt mortales, ſed immortales, Item in VI. Synodo (2) dicitur, *Deum creaſſe Angelos incorruptibiles, & immortales*, ergo ex vi creationis ſuæ, & ab intrinſeco ſunt immortales.

SS. Patres idèm paſſim aſſerunt: & quod docent de animæ immortalitate, à fortiori dicendum eſt de Angelis, *Anima cùm ſit ſimplex, neque ex differentibus conſtans partibus, non eſt compoſita, neque diſſolubilis, ideòque corruptionis erit expers, & immortalis*, inquit S. Maximus. (3)

Prob. denique Nam de fide eſt. Angelos de facto non eſſe morituros, ſed in æternum extituros, & conſervandos; ergo Deus eos tales fecit, ut eſſent naturaliter in æternum conſervandi. Nec enim videtur congruum, ut Deus eos præter, aut contra eorum naturam, & miraculo æternos conſervaret.

Objic. 1. Ex Script. & Patribus *ſolus Deus habet immortalitatem, ſicut eſt ſolus verax, ſolus bonus*, ſc. ex natura ſua. Unde S. Ambroſ. (4) *Nec Angelus eſt naturaliter immortalis, cujus immortalitas eſt in voluntate Creatoris.* Idem docent Cyrillus Alexand. [5] & Sophron. [6] approbante Concilio cit. ſc. quòd *Deus eis gratiam largitus eſt à corruptione, & à morte coercentem*. Et Auguſtinus, [7] *Non ob aliud res habent deficere, vel poſſe deficere, niſi quia ex nihilo factæ ſunt, ut quod in eis eſt, & quod manent .... ad ejus bonitatem pertineat.* Angeli autem ſunt ex nihilo; ergo &c. Et Damaſc. [8] *Immortalis eſt Angelus, non natura, ſed gratia. Nam quidquid initium habuit, ſuapte natura deficere poteſt*; ergo Angeli non ſunt immortales, niſi ab extrinſeco.

Reſp.

[1] *Sſ.*8. [2] *Act.*11. [3] *De An.immor.* [4] 1. *Tim.*6. [5] 3. *de fid.*2. [6] 8. *Theſau.* (7) *Ep.*56. (8) *L.*2.*c.*3.

Reſp. neg. conſ. Nec enim id ſequitur ex illis locis Scripturæ, aut Patrum, ſed ſolùm, quòd Deus ſicut habet eſſe à ſe, & per eſſentiam, ita & immortalitatem, & ſicut omnis creatura habet eſſe à Deo liberaliter volente, ita & immortalitatem; ſed non dicunt, quòd conſerventur in eſſe accepto contra, vel præter ſuam exigentiam, & licèt liberum ſit Deo ſic eos conſervare, non tamen eſt gratia ſupernaturalis, quòd ſic eos conſervet, ſed ſecundum naturam eis conceſſam, & eodem ſenſu hæc conſervatio dicitur gratia, quo ſenſu creatio dicitur gratia. *Non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati ſumus*, ait Auguſt. [1] ex Concilio Africano.

Inſt. Quod immortale eſt ab intrinſeco, eſt neceſſarium ab intrinſeco; ſed neceſſitas eſſendi ab intrinſeco ſoli Deo competit; ergo & immortalitas ab intrinſeco. Maj. patet. Nàm illi repugnat deficere. Prob. min. Nam omnis creatura de ſe eſt contingens; ergo neceſſitas eſſendi ſoli Deo competit ab intrinſeco.

Reſp. diſt. maj. Quod eſt immortale ab intrinſeco poſitivè, & abſolutè per eſſentiam per omnimodam indefectibilitatem, eſt etiam abſolutè, & eſſentialiter neceſſarium, con. maj. & min. immortale ab intrinſeco negativè, & ſecundum quid, neg. maj. & min. Deus ſolus eſt de ſe, & per eſſentiam abſolutè, & ſimpliciter indefectibilis, & neceſſe eſſe, ita, ut nec de ſe, nec ab alio poſſit deſtrui; omne aliud ens, ſicut eſt à Deo liberè dante illi eſſe; ita & ab ipſo deſtrui poteſt, & defectibile eſt; licèt ex ſe non petat deſtrui, nec habeat in ſe aliquod principium exigitivum deſtructionis vel corruptionis. Tales ſunt Angeli, ſubjacent quidèm Divinæ voluntati, & libertati, quoad creari, & conſervari, ſed ex ſe ſunt conſervabiles in æternum, nec in ſe habent quidquam, quod exigat à Deo ceſſationem conſervationis, vel finem eſſendi.

Objic. Antequam Angelus crearetur, non habebat exigentiam intrinſecam ad eſſe, & ad illud non fuit determinatus, niſi ab extrinſeca Dei voluntate, quia tunc erat de ſe purum nihil; ergo nec determinatur, niſi ab eadem extrinſeca Dei voluntate ad durare, & conſervari. Prob. conſ. Nam ſicut ante creationem ſe

(1) *Ep. 95.*

ſe habet ad creari, & ad primum eſſe, ita poſt creationem ſe habet ad conſervari; ergo ſi tunc erat de ſe indifferens ad creari, ita & nunc ad conſervari.

Reſp. neg. conſ. & ant. prob. Nam ante creationem Angelus habebat tantùm poſſibilitatem, ſeu non repugnantiam ad eſſe, ſed poſt creationem, ſicut eſt ens, ſic habet principia naturaliter exigitiva ad conſervari, aut ſaltem ad non deſinere, licèt ei non repugnet ab extrinſeco non conſervari.

Objic. 3. Si Angelus eſſet ab intrinſeco indefectibilis, Deus eum non poſset annihilare; ſed conſ. eſt erroneum; ergo &c. Prob. maj. Quod non eſt natura factibile, per nullam potentiam fieri poteſt; ergo quòd eſt natura ſua factibile, non poteſt non fieri, nec annihilari. Prob. ant. Non enim res ſunt factibiles, quia Deus eas facere poteſt, ſed potiùs ideò Deus eas facere poteſt, quia ſunt factibiles.

Reſp. diſt. maj. Si eſſet ex ſe indefectibilis, & appetens conſervari cum repugnantia deſitionis per quamcumque potentiam, conc. ſine tali repugnantia, neg. maj. Et diſt. ant. prob. Quod non eſt factibile abſolutè, & ſimpliciter, con. factibile ſecundum quid, neg. ant. Accidens ex ſe non eſt ponibile extra ſubjectum, & non ſequitur, quin de potentia abſoluta ſic poni poſſit. Sic Angelus de ſe non eſt defectibilis, ſed non ſequitur, quin de potentia abſoluta deficere poſſit, quia id illi non repugnat.

Inſt. Angelus conſervatur à Deo, vel quia eſt defectibilis ex ſe, vel quia non eſt defectibilis; ſed neutrum dici poteſt; ergo quod conſervetur, non eſt ab intrinſeco. Prob. min. Si eſt indefectibilis ex ſe; ergo non eget conſervari à Deo, ſi eſt ex ſe defectibilis; ergo ab intrinſeco non exigit conſervari, ſed potiùs non conſervari, & annihilari, & ſi conſervatur, id venit purè ab extrinſeca Dei voluntate.

Reſp. neg. min. & ant. 1. par. prob. Nam ideò debet conſervari, & conſervatur, quia id de ſe exigit in ordine ad potentiam ordinariam, non verò abſolutam: & hoc ſenſu eſt indefectibilis ex ſe.

Objic. 4. Angelus ex ſe poteſt creari; ergo & annihilari; & hæc potentia eſt quid abſolutum in illo; alioqui non eſſet tam verè annihilabilis, quàm creabilis.

Reſp.

Reſp. neg. conſ. quoad 2. par. ſeu ſubſumptum. Nam ſicut creabilitas non eſt quid poſitivum, ſed pura non repugnantia ejus ad eſſe, ita & annihilabilitas. Utraque eſt pura negatio, non quid reale, ſed denominatio extrinſeca petita à potentia Dei, qui poteſt eum creare, aut annihilare. Imò annihilabilitas videtur realior, quia denominat ſubjectum reale, nempe Angelum exiſtentem, creabilitas verò dicitur de re non exiſtenti.

Inſt. Potentia annihilativa in Deo eſt poſitiva, & realis, ergo & potentia annihilabilitatis in Angelo, quia omnipotentiæ activæ reſpondet paſſiva, quia ſunt correlativæ.

Reſp. neg. conſ. & prob. ejus Nam ſufficit, ut correſpondeat potentia paſſiva Logica, quæ eſt mera non repugnantia, quæ quidem realis eſt in Angelo, quia fundatur in natura ejus prout eſt in potentia obedientiali ad Deum; & ſicut ad creabilitatem ſufficit illa potentia paſſiva Logica reſpondens potentiæ activæ creativæ Dei, ita & ad annihilabilitatem.

Objic. 5. Scotus cit. docet, *ſolum Deum eſſe immutabilem mutatione, quæ eſt verſio, & omnem ſubſtantiam creatam eſſe mutabilem ſubjectivè*, etiam Angelum, & non agnoſcit aliam incorruptibilitatem, quàm quæ venit ex defectu cauſæ corruptivæ creatæ, & extrinſecæ; ſed ſi Angelus ab intrinſeco eſſet immortalis, eſſet immutabilis quoad verſionem (ſeu ab eſſe ad non eſse) & non eſſet contingens, ſed neceſſe eſſe; & ejus incorruptibilitas non eſſet tantùm ab extrinſeco defectu cauſæ corruptivæ creatæ, & extrinſecæ; ergo ex Scoto Angelus non eſt incorruptibilis ab intrinſeco.

Reſp. neg. min. Nam in ſenſu Scoti ſolus Deus eſt abſolutè, & ſimpliciter immutabilis, quia eſt ens à ſe, & ſimpliciter neceſſarium, Angelus verò exiſtit à Deo, qui eum liberè creat, & conſervat; & ideò eſt mutabilis reſpectu Dei, à quo poſſet non conſervari, ſicut & non creari, ideò eſt mutabilis ab eſse ad non eſſe, quoad potentiam Dei abſolutam, licèt id non timeat à cauſa ulla creata intrinſeca, vel extrinſeca. Eſt etiam mutabilis ſubjectivè, & accidentaliter, ut diximus. Non ergo habet in ſe principium poſiti-

vum

rum mutabilitatis, quæ ſit verſio, ſeu principium corruptionis ſubſtantialis, ut eſt mortalitas.

## QUÆSTIO VI.

*De pluralitate Angelorum ſpecifica, individuali, graduali, & hierarchica.*

Diſtinctionem, & convenientiam Angeli cum anima noſtra vidimus in Philiſophia, ubi aſſerimus in intellectu, & voluntate illos ſpecie differre, ſicut & in natura. Angelus quippe eſt ſubſtantia ſpiritualis completa, anima autem incompleta. Hic examinamus Angelorum unitatem, & diſtinctionem inter ſe, an ſpecie differant, vel etiam numero, ita, ut intra eandem ſpeciem ſint plures ſolo numero differentes, ſicut Petrus, & Paulus intra ſpeciem humanam. Pro quo videre juvabit, quæ diximus de principio individuationis in Metaphyſica. Nam qui putant, individuationem peti à materia, vel quantitate, ut Thomiſtæ, non admittunt in Angelis pluralitatem individualem, ſed dicunt, ſingulos differre ſpecie. Quidam è contra putant illos omnes eſſe ejuſdem ſpeciei, & ſolo numero diſtingui.

Certum eſt autem, eos eſſe plurimos ſive ſpecie, ſive numero diſtinctos, ut conſtat ex Scriptura (1). *Millia millium miniſtrabant ei* (Deo) *& decies centena millia aſſiſtebant ei.* Et (2) *Facta eſt cũ Angelo multitudo militiæ cœleſtis.* Et Chriſtus dicebat Petro, (3) *Poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam 12. legiones Angelorum.* Hæc, & ſimilia loca ſignificant ingentem admodum Angelorum multitudinem. Et ratio eſt, quia ſicut creaturarum ſenſibilium multitudo, & diverſitas facit ad ornatum, & complementum hujus mundi ſenſibilis; ita & creaturarum ſpiritualium diverſitas, & multitudo complet, & ornat mundum inviſibilem, & quidem à fortiori, cum ſit longe nobilior. Quippe *in multitudine populi gloria Regis, & in paucitate plebis ignominia Principis*, inquit Sapiens, (4). Quanta autem ſit preciſè illa Spirituum multitudo, quis dinumeravit?

Cer-

(1) *Deu.7.* (2) *Luc.1.* (3) *Math.26.* (4) *Prov.14.*

Certum etiam eſt, eos in quaſdam Hierarchias, & ordines inter ſe diſtinctos eſſe. Hierarchia autem *eſt ſacer quidam principatus*, ſive, ut loquitur Sanct. Bonaventura, [1] *rerum ſacrarum, & rationabilium ordinata poteſtas in ſubditis debitum retinens principatum*. Et triplex eſt, 1. *Divina*, ſeu *increata*, in Sanctiſſima Trinitate. Sed hæc impropriè dicitur, quia ibi ſumma æqualitas, & nulla ſubordinatio. 2. *Angelica*, ſive *cæleſtis*, quæ eſt inter Angelos. 3. *humana*, ſeu *Eccleſiaſtica*, conſtans Summo Pontifice, Epiſcopis, Sacerdotibus, miniſtris, & plebe.

Ordo verò deſcribitur ex Gregorio, [2] *Multitudo cæleſtium Spirituum, qui inter ſe in aliquo munere gratiæ ſimilantur, ſicut & in naturalium donorum participatione conveniunt*. His ſuppoſitis

Quærimus an inter Angelos ſit pluralitas ſpecifica & in ſingulis ſpeciebus poſſibilis ſit pluralitas numerica, quæ, & quot ſint Hierarchiæ, & ordines, &c.

## CONCLUSIO I.

PRobabile eſt, *plures Angelos eſſe inter ſe ſpecie diverſos*. Eſt communior.

Prob. 1. ex Scoto (3), qui id ſupponit ex D. Damaſceno dicente, quòd *ſecundum unamquamque ſpeciem fecit Deus Angelos*, & in tota hac quæſtione ſuſtinens plures eſſe intra eandem ſpeciem, nuſquam allegat impoſſibilitatem plurium ſpecierum, ſed potius ſupponit de facto plures eſſe.

Prob. 2. ex Patribus. Nam præter Damaſc. cit. id docet Dionyſ. [4] *Enuntiant Sanctorum Voluminum traditiones, ſuperiores Subſtantias, eſſe graduum inter ſe celſitudine differentes*. Nam differentia illa graduum vix eſſe poteſt ſine differentia naturarum. Unde Nazianz. (5) *eam vocat naturæ proportionem*. Chryſoſt. [6] dicit *genera cæleſtia innumerabilia eſſe*. Nam multi putant aliquos etiam genere, & pluſquam ſpecie diverſos. Et Methodius apud Epiph. [7] docet, *diverſos Angelorū ordines diverſæ eſſe ſpeciei*. Aug. [8] verò

(1) 2. *compend. c. 12.* (2) *Hom. 34. Eu.* (3) 2. *d. 3. q. 7. A. n. 2.*
(4) *Concil. Hierar. 5.* (5) *Or. 2. Theol.* (7) *Hom. 2.*
(7) *de incarnat. D. Hær. 64.* (8) *con. Priſcil. 1.*

verò non audet ſe declarare, contentus dicere, *Eſſe Sedes, Dominationes, Principatus, Poteſtates in cœleſtibus apparatibus firmiſſimè credo, & differre inter ſe aliquid indubitata fide teneo, ſed .... quænam ſint iſta, quid inter ſe differant, neſcio.*

Prob. 3. Non repugnat pluralitas ſpecifica ſub eodem genere ſpiritualitatis; ergo poſſibiles ſunt plures Angeli ſpecie diverſi. Patet ant. quia ſicut ſub eodem genere ſenſitivitatis ſũt plures ſpecies animalium, cur non ſub eodem genere ſpiritualitatis? unde peteretur illa repugnantia? Prob. conſ. Nam illa diverſitas facit ad decorem mundi intelligibilis, & ad oſtenſionem omnipotentiæ, ſapientiæ, & bonitatis Dei, ſicut diverſitas ſpecierum ſenſibilium, v. g. brutorum in mundo ſenſibili.

Confir. Nam qui ſunt in ſupremo ordine, v. g. Seraphin, plus differunt ab infimis, v. g. ab Archangelis, quàm à ſe invicem; ſed à ſe invicem differunt ſaltem numero; ergo differunt ſaltem ſpecie ab infimis.

Ob. 1. Patres vel dubitant de hac diverſitate ſpecifica, aut eam negant; ergo nos temerè aſſerimus. Prob. ant. 1. ex Auguſtino citato, & Baſilio dicente, quòd *Angeli ſunt priores alii aliis, & tamen ſunt ejuſdem eſſentiæ*. Et Gregor. Nyſſen. (1) *Non enim, ut Eunomio placet, illa, quæ à Paulo recenſita ſunt ſuperiorum mundo Virtutum nomina, naturas aliquas inter ſe differentes ſignificant .... non naturarum differentias, ſed cœleſtis militiæ varias functionum proprietates oratione exprimi.* Et Cyrill. Alex. (2) *Angelus ab altero Angelo nulla re differt ſecundum id, quod ſunt Angeli, nempe pro eo, quòd ſunt omnes ejuſdem ſpeciei*; ergo Patres negant differentiam ſpecificam inter Angelos.

Reſp. diſt. ant. & conſ. prob. Dubitant, vel negant diverſitatem ſpecificam ſubalternam, con. infimam, neg. ant. & cõſ. prob. Nam ipſimet Patres ibidẽ indicãt differentiam pluſquam numericam, ut patet de majoritate, & ſuperioritate, quam agnoſcit Baſilius, & *de functionum proprietatibus*, quas admittit Gregor. & Angeli nomen, & munus eſt quidem commune, & eadem ſpecie ſubalterna, non infima. Et de ſubalterna, ſeu generica unitate loquuntur ferè omnes, non



[1] 5. *con. Eunom.* [2] 6. *con. Euno.*

de infima, quam non examinarunt in rigore.

Inſt. Sub ſpecie ſubalterna, ſeu genere ſubſtantiæ ſpiritalis incompletæ, ubi ſunt animæ noſtræ, non dantur plures ſpecies infimæ; ergo neque ſub genere ſubſtantiæ ſpiritualis completæ, ubi ſunt Angeli; ergo ſub utroque genere omnes ſpecies ſunt infimæ; ergo non ſunt plures in Angelis, ſicut nec in animabus.

Reſp. diſt. ant. Non dantur de facto plures ſpecies infimæ, con. de poſſibili, neg. ant. Nulla enim in hoc repugnantia. De facto tamen omnes ſunt unius ſpeciei infimæ, ut alias diximus, quia homines omnes ab uno deſcendunt, quod non eſt verum de Angelis.

Objic. 2. Ratio aſſerendi talem diverſitatem petitur ex diverſitate munerum, & ordinum, & donorum, quæ Angelis tribuuntur in Scriptura, & Patribus; ſed hæc ratio nulla eſt, nam unitas ſpecifica animarum non impedit illam diverſitatem, & inæqualitatem munerum, graduum, & donorum, ut patet de Anima Chriſti, & Mariæ, &c. ergo.

Reſp. diſt. maj. Petitur, ut à poſteriori, & ab extrinſeco, con. ut à priori, & quaſi ab intrinſeco, ſeu à differentiis intrinſecis, & eſſentialibus, neg. maj. & conſ. Non enim hanc differentiam ſumimus præciſe ab his capitibus, niſi ſecundariò, & ab extrinſeco, & quaſi ex congruentiis, ſed ex principiis aſſignatis, quæ non militant pro animabus, ſicut pro Angelis.

Dixi autem, *probabiliter*, quia de facto, nullam de hoc habemus certitudinem ex Scriptura, vel traditione, vel definitione Eccleſiæ, & Plures Patres videntur dubii, aut contrarii in hac parte.

## CONCLUSIO II.

*NOn repugnant intra eandem ſpeciem infimam plures Angeli ſolo numero diſtincti, imò & probabilius eſt, de facto tales dari*. Eſt Scotiſtarum, & aliorum magis communiter contra Thomiſtas aliquos.

Prob. 1. ex Scoto. (1) *Tenenda eſt ergo concluſio, quòd ſimpliciter poſſibile eſt, plures Angelos eſſe in eadem ſpecie*. Idem docuerat Seraphicus Doctor, (2) *Qui-*

[1] *2. d. 3. q. 7. A. n. 3.*
[2] *d. 3. p. 1. a. 1. q. 1.*

*Quidam docuerant*, inquit, *quòd in Angelis tot ſunt ſpecies, quot ſunt individua .... Sed hoc non videtur rationabile in Spiritibus*, &c. *Alia eſt poſitio ſobria, & Catholica, quæ in Angelis diſtinctionem ponit quantum ad perſonalitatem tantummodò, aut in omnibus aut in aliquibus*. Imò & ipſe Sanct. Tho. (1) pro eadem citatur ab Iſamberto, & Capreolo.

Prob. 2. ex illis Patribus cit. in Concil. ſuperiori pro unitate ſpecifica. Nam cùm videantur docere, quòd omnes Angeli ſunt ejuſdem ſpeciei, ſi loquantur de ſpecie infima, ergo putant, eos de facto eſſe ſolo numero diſtinctos in eadem ſpecie. Unde inquit Duhamel, *Nulli, arbitror, ex veteribus in mentem venit, ut omnes Angelos ſpecie, & natura inter ſe differre crediderint*, &c. Idem colligitur ex Auguſtino (2) dicente, non defuiſſe Deo *facultatem ad creandos alios Angelos, quos in eiſdem ſedibus collocaret, quas alii peccando deſeruiſſent*. Et iſti ſine dubio eſſent ejuſdem ſpeciei, ac deſertores.

Prob. 3. Ex Facultate Pariſienſi damnante has propoſitiones inter alias, (3) 1. *quia Intelligentiæ non habent materiam, Deus non poteſt facere plures ejuſdem ſpeciei*, 2. *Deus multiplicare non poteſt individua ſub una ſpecie ſine materia*, & 3. *Formæ non recipiunt diviſionem niſi ſecundum materiam*. Sic enim evertitur præcipuum fundamentum adverſariorum, ut patet ex Gabriele à ſancto Vincentio (4) dicente, quòd *implicat contradictionem, dari plures Angelos ſub eadem ſpecie atoma, quia Angelus eſt forma ſimplex omninò irreceptibilis in materia*; ergo cùm ex cenſura Facultatis erroneum ſit illud fundamentum, vera eſt concluſio illata ex oppoſito. De quo latè diximus in Metaphyſica. (5) Imò 3. propoſitionem damnatam ſic aliqui referunt apud Ferchium, ut explicitè hanc quæſtionem definiat Facultas, *quia Intelligentiæ non habent materiam, Deus non poteſt facere plures ejuſdem ſpeciei*. Et hanc propoſitionem judicat erroneam; ergo ex cenſura Facultatis, opinio noſtra illis erroribus contraria debet cenſeri veriſſima, ſcilicet poſſibiles eſſe plures Angelos in eadem ſpecie atoma contrà citatum Vincentium.



[1] *de unitat. intell.* [2] *de lib. ar. c. 12.* [3] *an. 1325.* [4] *Hic dub. 7. n. 107.* [5] *Jo. 2. q. 86. n. 19.*

Prob. 1. Specialiter quoad 2. p. quia inquit Scotus, (1) *Omnis quidditas eſt communicabilis, quantum eſt de ſe*, etiam quidditas Divina; ſed omnis natura Angeli eſt verè natura; ergo quantum eſt de ſe, omnis natura Angelorum eſt communicabilis pluribus individuis. Prob. maj. Nulla natura creata de ſe eſt ſingularis, id enim ſoli naturæ Divinæ proprium eſt; ergo omnis natura creata, etiam Angeli, eſt de ſe multiplicabilis. Prob. ant. Si talis communicabilitas repugnaret naturæ Angelicæ, id eſſet vel propter ejus perfectionem, vel imperfectionem; ſed neutrum dici poteſt; ergo communicabilitas illa non repugnat naturæ Angelicæ, nec ulli alteri creatæ. Prob. min. 1. non ob perfectionem, nam ipſa natura Divina communicatur tribus Perſonis; ergo à fortiori, non repugnat naturæ Angeli quantumcunque perfectæ; eſt enim finita. 2. non ex imperfectione, quia convenit naturæ humanæ, & brutali, & vegetali, quæ ſunt longè imperfectiores.

Prob. 2. Si repugnaret naturæ Angeli ſic communicari, & multiplicari, maximè quia eſt irreceptibilis in materia; ſed hæc ratio nulla eſt, imò eſt erronea, juxta cenſuram allatam; ergo non repugnat. Prob. maj. ex ipſis adverſariis, qui non aliam rationem afferunt.

Prob 3. Omnis eſſentia creata poteſt ſine contradictione intelligi ſub ratione univerſalis, poteſt intelligi ut prędicabilis de multis cum ſui multiplicatione, univerſale enim eſt unum aptum ineſſe, & dici de multis; ergo omnis natura Angelica ſpecifica poteſt eſſe in multis individuis cum ſui multiplicatione. Dico, *eſſentia creata*, propter Eſſentiam Divinam, quæ ob ſuam infinitatem non poteſt multiplicari.

Prob. 4. Poteſt Deus Michaelem in ſua ſpecie annihilare, & alium in eadem ſpecie creare, ſed iſte eſſet alius numero à Michaele, nam ex adverſariis non poteſt idem numero individuum ex nihilo redire, ergo in eo caſu eſſent plura numero individua ejuſdem ſpeciei ſaltem ſucceſſivè, ergo non repugnant eſſe ſimul. Cur enim potiùs non repugnarent ſucceſſivè, quàm ſimul? Maj. prob. Nulla enim in hoc apparet contradictio, ergo Deus id poteſt.

Prob. 5.

[1] *Ibid.*

Prob. 5. Plures animæ licèt ſpirituales exiſtunt ſub eadem ſpecie atoma, & ſolo numero diſtinctæ; ergo idem poteſt eſſe de Angelis. Ant. negari non poteſt. Prob. conſ. Si eſſet aliqua diſparitas de animabus, & de Angelis, eſſet, quia illæ reſpiciunt corpora; ſed hæc ratio ſubeſt cenſuræ prædictæ; ergo nulla eſt diſparitas de animabus, & Angelis. Certè ſubſtantia animæ eſt tam abſoluta, quàm Angeli, & inclinatio animæ ad corpus eſt relatio extra eſſentiam ejus.

Prob. denique p. A facto ad poſſe valet conſequentia; ſed de facto dantur plures Angeli in ſingulis ſpeciebus; ergo, &c. Min. mox patebit.

Prob. 2. p. 1. ex Patribus, maximè ex Auguſtino dicente, Deum miſertum eſſe hominis, non Angeli, quia tota humana ſpecies perierat, non Angelica; ergo cenſet, aliquam tantùm partem unius ſpeciei Angelicæ periiſſe peccando, & aliam ſtetiſſe; ergo & plures eſſe in unaquaque ſpecie. Item ex aliis citatis, qui putant, omnes eſſe ejuſdem ſpeciei, & quidem de facto.

Prob. 2. quia Michael, & Gabriel, ut exiſtunt, ſunt in ſe ſingulares, nam quidquid exiſtit, eſt ſingulare, nec datur univerſale ſeparatum, & tamen illi duo in aliquo conceptu conveniunt; ſed ille conceptus communis erit ſpecificus; ergo de facto ſub una ſpecie ſunt plures Angeli numero diſtincti.

Dices, conceptum illum eſſe genericum, & remotum, illum verò, in quo diſtinguuntur, eſſe ſpecificum ſpecie ſubjicibili.

Contra 1. Ex omnium ſenſu conceptus ultimus, in quo plura conveniunt, dicitur ſpecies atoma, & ultimus, in quo differunt, dicitur individualis; ſed conceptus, in quo Michael, & Gabriel conveniunt, eſt ultimus, & ſimiliter ille, in quo differunt; ergo ille eſt ſpecificus, & iſte individualis. 2. Non magis repugnant duo ſingularia ſub eadem ſpecie, quàm ſub eodem genere, & ratio ſpeciei non magis ſalvatur in unico individuo poſſibili, quàm ratio generis in unica ſpecie pariter poſſibili; ſed ex adverſariis, Mich. eſt unicus poſſibilis in ſua ſpecie, & ſimiliter Gabriel; ergo conceptus, in quo conveniunt, non magis dicitur genericus, quàm illi, in quibus diſtinguuntur, ſint

ſpecifici. 3. Denique ille conceptus Michaelis, quo diſtinguitur, non dicit ordinem ad materiam, & tamen eſt ſingularis; ergo aliquid ſingulare eſt ſine tali ordine.

Objic. Individua non multiplicantur in eadem ſpecie, niſi per materiam diviſibilem ſub quantitate, ex qua eſt omnis diviſibilitas; ſed Angeli non dicunt ordinem ad materiam, nec quantitatem; ergo nec multiplicantur numero ſub una ſpecie. Ecce principale fũdamentum adverſariorum.

Reſp. neg. maj. cujus falſitas patet ex Metaphyſica. Individua multiplicantur in qualibet ſpecie per ſuas hæcceitates. Sic ruit illud fundamentum.

Objic. 2. Angelus eſt forma ſimplex; ergo non poteſt diſtingui ab alio, niſi formaliter, id. ſe ipſo, & per formam ſuam ſpecificam, quia diſtinctio formalis eſt per eſſentiam, ſicut individualis, ſeu numerica eſt per materiam, ſeu quantitatem.

Reſp. diſt. ant. Eſt ſimplex phyſicè, con. metaphyſicè, neg. ant. & conſ. Nam 1. Angelus conſtat genere, & differentia, ut diximus, 2. conſtat natura, & ſingularitate, 3. natura, & perſonalitate. Et ſic inter ſe diſtinguuntur alii per eſſentiam, alii verò per ſolam hæcceitatem, & perſonalitatem.

Inſt. 1. Omnis diſtinctio per formam eſt formalis; ſed Angeli non poſſunt diſtingui niſi per formam, quia carent materia; ergo omnes diſtinguuntur formaliter tantùm, ſeu per ſuam eſſentiam.

Reſp. diſt. maj. Per formam, ſeu eſſentiam, vel per aliquid formæ, con. per ipſam eſſentiam præcisè, neg. maj. Duæ animæ ſunt ſimplices formæ, & tamen diſtinguuntur etiam numero, ſcilicet per propriam hæcceitatem. Minor eſt etiam falſa. Nam in Angelis præter eſſentiam reperitur perſonalitas, & ſingularitas, per quas ſinguli diſtinguuntur ab invicem.

Inſt. 2. Omnis forma abſtracta à materia habet ſe ipſa omnem perfectionẽ ſuę ſpeciei, & ſic eſt ſeipſa ſubſiſtens; ſed Angelis eſt talis forma; ergo quilibet Angelus habet in ſe totam perfectionem ſuæ ſpeciei; ergo eſt neceſſariò unicus in ſua ſpecie. Prob. ſubſumptum, quia ſi ſint duo, unus ceſſat habere perfectionem alterius; ergo ceſſat habere totam perfectionem ſuæ ſpeciei, niſi ſit unicus in illa. Nam Petrus non habet perfectionem, quæ eſt in Paulo, & Michael non haberet

eam,

eam, quæ eſſet in Gabriele; ergo neuter haberet totam perfectionem ſuæ ſpeciei.

Reſp. 1. diſt. maj. Totam perfectionem ſpecificam, ſeu eſſentialem, con. individualem, & perſonalem, neg. maj. & idem dico ad prob. Petrus habet totam perfectionem humanitatis, quæ eſt in Paulo, & viciſſim, ſed non habet entitatem individualem, ſeu pauleitatem. Ita eſt de Michaele; & Gabriele.

Reſp. 2. diſt. eandem maj. Totam perfectionem intenſivam, con. extenſivam, neg. maj. & conſ. Perfectio intenſiva naturæ conſiſtit in concurſu omnium partium, ſeu formalitatum, conceptuum: prædicatorum eſſentialium ejus incluſivè, extenſiva autem dicitur penes multitudinem ſubjectorum, in quibus ſimilis natura poteſt eſſe.

Objic. 3. In entibus perfectiſſimis debet eſſe ordo, per ſe; ſed Angeli ſunt entia perfecta, & ordo individuorum non eſt per ſe, ſed per accidens, ſolus ordo ſpecierum eſt per ſe; ergo inter Angelos eſt ſolus ordo, & diſtinctio ſpecierum. Min. pat. Nam ordo individuorum non intenditur per ſe à natura, ſed per accidens, ſcilicet ad conſervationem ſuæ ſpeciei, quæ perire poſſet in uno individuo; ſed hæc ratio non valet in Angelis; ergo &c.

Reſp. neg. min. quoad 2. & 3. par. prob. ejus. Non enim deſunt naturis alii fines ad ſui multiplicationem præter ſui conſervationem, nempe fecunditatis exercitium, decor univerſi, magnificentiæ Divinæ gloria. Ordo, ex Auguſt. [1] eſt *parium, & imparium rerum unicuique ſua loca diſtribuens congrua diſpoſitio*; res autem *impares* ſunt ſpecie diverſæ, quia inæquales, *pares* autem, ſunt individua unius ſpeciei; ergo ordo tam reſpicit individua, quàm ſpecies. Ordo verò individualis in Angelis congruebat, *ut communicantes ad invicem naturam, gaudeant invicem, & naturali beatitudine copulati, ad invicem ſecurè, & amicabiliter copulentur*, ait Damaſcenus apud Scotum. [2]

Inſt. In rebus corporeis excellentiſſimis Deus unicum individuum creavit in ſpeciebus, v. g. in Sole, Luna, & Stellis. ſingula enim ſunt unica in ſua ſpecie; ergo à fortiori in Angelis.

N 4 Reſp.

[1] 19. *civ.* 13. [2) *Quodlib.* 2. *A. n.* 3.

Reſp. 1. neg. ant. ſaltem in pluribus. Non enim dubito, quin ſtellæ plures ſint ejuſdem ſpeciei, nec dubito, quin potuerit facere plures Soles, & Lunas, ſi voluiſſet. Cur autem non fecerit, *quis conſiliarius ejus fuit?* Aliunde falſitas ant. patet de animabus, quæ ſunt longè nobiliores Sole, & tamen plures in eadem ſpecie.

Reſp. 2. neg. conſ. Id enim probaret quidem de facto, ſed non de poſſibili.

Objic. 4. Si plures Angeli eſſent in eadem ſpecie, eſſent æquales, nullus eſſet inferior, nec ſuperior, & ſic nullus ordo; ſed in illis eſt ordo ſuperiorum, mediorum, & infimorum, ergo non ſunt ejuſdem ſpeciei.

Reſp. diſt. maj. Æquales quoad eſſentialia, con. maj. & neg. min. in accidentalibus, v. g. in donis gratiæ, & in meritis, quæ pendent ab eorum libera operatione, & Dei liberalitate, neg. maj. & conſeq. Ita eſt de hominibus. Omnes ſunt æquales eſſentialiter, ſed accidentaliter inæquales, & ordinati.

## CONCLUSIO III.

D*Ata pluralitate ſpecifica Angelorum, probabile eſt, ſingulos ordines differre ſpecie.* Hæc videtur ſatis clara.

Prob. Nam ſi detur talis differentia, non poteſt argui rationabilius, quàm ex diverſo illorum ordine, quo elevantur inter ſe, nam Deus largitus eſt ſingulis gratias, & talenta ſecundum propriam virtutem, & diſpoſitionem naturalem ad fines, ad quos Deus eos creaverat, & qui benè uſi ſunt, præmiati ſunt in ſuo ordine, & qui malè, puniti ſunt pariter; ergo ex diverſis ordinibus, & Hierarchiis probabiliter valdè colligitur Angelorum diſtinctio ſpecifica.

Confir. ex diverſis titulis, & officiis, quibus ſinguli ordines deputantur. Nam hinc non immeritò infertur differentia diſpoſitionum naturalium æque, ac donorum ſupernaturalium. Ideò probabiliter putant aliqui, non tantùm ſingulos ordines inter ſe differre ſpecie, ſed etiam genere ſecundum ſuas Hierarchias. Iſtud enim non minùs poſſibile, nec minùs it ad commendationem omnipotentiæ, & ſapien-

tiæ

tiæ Dei, ac bonitatis, imò & ad decorem mundi intelligibilis, quàm talis diverſitas faciat hæc in mundo ſenſibili.

## CONCLUSIO IV.

*Maximus eſt numerus Angelorum; ſed quantus ſit determinatè, neſcimus, neque, an excedat numerum ſpecierum, vel individuorum ſenſibilium, imò nec hominum.* Hæc patet ex dictis ab initio quæſtionis ex Scoto. (1)

Prob. ex Script. cit. quoad 1. & 2. p. quæ ingentem ſignificat multitudinem. *Nunquid eſt numerus militum ejus?* ajebat Job. [2] Et Joannes dicit, quòd erat numerus *millia millium*. Nuſquam tamen præcisè determinatur numerus.

Prob. 3. p. eadem ratione, quia nullibi conſtat de multitudine Angelorum comparativè ad alia entia corporalia, ergo cùm nec Scriptura, nec traditio id definiat, nec nos definire poſſumus, niſi temerè divinando. Confirmatur ex ſequenti parte. Nam ſi hoc incertum eſt de comparatione ad homines, multò magis erit incertum comparativè ad omnia.

Prob. denique de hominibus. Nam qui videntur docere, numerum hominum eſſe majorem, fundantur in eo, quòd in gloria tot erunt homines, quot Angeli; ſed plures erunt homines damnati, quàm Dœmones, nam Lucifer non traxit ſecum, niſi *tertiam partem ſtellarum*, ſeu Angelorum, & ſic duæ aliæ partes ſunt in gloria, & totidem homines (ut putant) longè aut plures ſunt reprobi, quàm electi; ergo juxta hanc hypotheſim numerus hominum excedit numerum Angelorum, ſed ut vides, hæ rationes ſunt conjecturæ. Non enim certum eſt, 1. tot homines ſalvandos, quot Angeli ſunt in Cœlo, ſed contrarium probabilius eſt propter illorum fragilitatem, & iſtorum perfectionem. 2. nec certum eſt, tertiam illam partem ſtellarum deſignare Angelos malos, nec tertiam illam partem ſumi mathematicè, ſed tantùm moraliter pro magna parte. 3. nec tot homines ſalvandos, quot Angeli ceciderunt, & non plures, nec pauciores. 4. nec duplo plures homines damnandos.

N 5 Prob.

[1] *diſt.* 18. [2] *Job.* 25.

los, ut quæreret unam perditam, nempe hominem, aut fortè 99. relictæ deſignant Dæmones in ſua damnationes relictos; ergo ex illa parabolâ Angeli, aut Dæmones ſunt 99. præ uno homine.

Reſp. neg. ant. utrumque, 1. quia multi expoſitores, ut Lyra. Theophylatus, Gorranus, & alii per oves derelictas intelligunt iuſtos, & per ovem perditam peccatores. Nam, inquit Sylveira, Chriſtus loquitur de ſolis hominibus, 2. quia ille numerus 99. ovium non ſignificat in rigore talem eſſe exceſſum numeri Angelorum præ hominibus arithmeticè, ſed Angelorum multitudinem ſpecificam præ humana, quæ unica eſt in ſua ſpecie, & tota perierat in ſuo parente Adamo. 3. quia tales explicationes ſunt myſticæ, & morales, & quaſi arbitrariæ ad pietatem, non literales, ut faciant certitudinem ſcientificam, aut fidei, de quà hic loquimur. Tene, quòd veriſimilius videris.

## CONCLUSIO V.

A*Ngeli dividuntur in tres Hierarchias, & ſingulæ Hierarchiæ in tres ordines*. Ita communiter Theologi Catholici contra *Calvinum*, qui hanc diſtributionem dicit eſſe ſine fundamento, & *Eraſmum*, qui eam dicit eſſe figmentum, & *Magdeburgenſes*, qui nugas vocant hanc Patrum traditionem.

Prob. 1. ex Scoto,(1) qui ubique docet, aut ſupponit hanc veritatem, & docet in Angelis, aliquos eſſe ſuperiores, alios inferiores, qui illuminantur ab illis.

Prob. 2. ex Script. quæ de ſingulis ordinibus mentionem facit, ut Seraphin Iſajæ 6. de Cherubin Gen. 3. de Principatibus, Poteſtatibus, Virtutibus, & Dominationibus Epheſ. 1. de Thronis Coloſſ. 1. de Angelis, & Archangelis Judæ 9. de Angelis pluribus, ut 1. Petri, 3. Et quaſi ſinguli numerantur in Liturgiis.

Prob. 3. ex SS. Patribus, qui ſingulos ordines enumerant ab infimo ad ſupremum, ut S. Dionyſ. (2) & Cle-

N 6

(1) *L.4.a.2.1.d.g.q.1.& Repor.d.10.q.2.*
(2) *Hierar.5.6.& 7.*

Clemens 1.(1) in conſt. Apoſt. à ſupremis ad infimos, ſc. *Cherubin, & Seraphim, Exercitus, Virtutes, Poteſtates, Principatus, Thronos, Archangelos, & Angelos*. Et ſic de aliis paſſim.

Prob. 4. Nam, ut dicebamus, nomine *Hierarchiæ* Angelicæ intelligitur quædam Angelorum collectio aliqualem inter ſe ſubordinationem habentium, & nomine *ordinis*, ſeu *chori* ſpecialis quædam eorundem collectio ſub eadem Hierarchia contentorum. Debet autem diſtingui ſecundum quaſdam operationes Hierarchicas, ut ſunt *purgare, & purgari, illuminare, & illuminari, perficere, & perfici*. Et ſecundum hæc tria diſtinguuntur tres Hierarchiæ, & ſingulæ in tres ordines, ſeu Choros. 1. à ſolo Deo immediatè purgatur, illuminatur, & perficitur, & purgat, illuminat, & perficit 2. ſeu *mediam*, quæ ſimiliter purgat. 3. quæ hæc præſtat hominibus. Ita eſt de ſingulis *choris*, ſeu *ordinibus*, ſcilicet primi illuminant, & perficiunt medios, & medii infimos in ſuis Hierarchiis. (2)

Porrò illa purgatio non arguit ſordes in illis, qui dicuntur purgari, nec illuminatio tenebras, nec perficientia defectus, hæc non ſunt in puriſſimis illis Spiritibus, ſed tantùm ſignificant, primos eſſe Deo fonti puritatis, lucis, & perfectionis viciniores, qui hæc copioſiùs, & immediatiùs ab eo accipiunt, & ab iſtis inferiores.

Sanctus Dionyſius (3) ſic Hierarchiarum ordines diſtribuit. *Primam Hierarchiam clariſſimus præceptor noſter tradidit, qua non eſt alia Deo ſimilior, & quæ in primis divinitatis in agendo illuſtrationibus ſine intervallo majore ſtudio occupatur*. In ea collocat Seraphinos, Cherubin, & Thronos. Alteram eſſe dicit eam, *quam Poteſtates, Dominationes, Virtuteſque expleant. Tertiam in extremis cœleſtibus Hierarchiis Angelorum, Archangelorum, & Principatuum deſcriptione*.

Prima deſumitur ex intimiori habitudine ad Deum, cujus ſunt veluti primarii aſſeſſores, & velut cubicularii, & comprehendit, 1. *Seraphin*, ſic dictos ab ardore charitatis, qua Deo adhærent, & inde alios

[1] *l. 8. c. 12.* [2] *Dionyſ. div. nom. 3.*
[3] *Ibid. cap. 6.*

alios inflammant, 2. *Cherubin*, dictos ab eminentiſſima Divinorum ſcientia, quam inferioribus communicant, & 3. *thronos* ſeu *myſticas Sedes*, quatenus alienis affectibus vacui Divinos fulgores, & virtutes pleniùs excipiunt, in eiſque Divina Majeſtas ſpecialiter enitet, ac veluti conquieſcit.

2. Reſpicit ſtatum prælationis, ſeu præfecturæ generalis, ac univerſale regimen agendorum, in qua excellunt, 1. *Dominationes*, qui liberi ab omni affectu ſervili, & peccati judicant, diſponunt, & ordinant, quæ agenda ſunt ad Dei gloriam. 2. *Virtutes*, qui velut inconcuſsa, & maſcula Dei fortitudo prompti, & expediti ſunt ad Dei obſequium, & ad opem cæteris præſtandum in arduis. 3. *Poteſtates*, qui inſuperabili conſtantia intenti ſunt eidem obſequio, & reprimendis aereis Poteſtatibus, & ea quæ poſt ſe ſunt Angelorum agmina promovent.

3. Continet ordines officiorum, & dignitatum ad executionem eorum, quæ à ſuperioribus ordinantur, diſtinctorum, & 1. *Principatus*, qui ſunt velut primi duces in iis executionibus, & deſtinantur ſpecialiter ad regimen Principum, 2. *Archangeli*, ſeu *principes Angeli*, qui ſub prioribus militant, & deſtinantur Regnorum directioni. 3. *Angeli*, qui ſunt in his executionibus infimi, & deſtinantur ordinariis functionibus, & ſingularium cuſtodiæ. Denique in ſingulis ordinibus poſsunt ſub diviſiones imaginari. Sed de his tantùm mentio in Scripturis, & traditionibus Patrum habetur.

Quæres 1. *an hæc diſtinctio Hierarchiarum, & ordinum ſit à natura, vel gratia.*

Reſp. eſse a natura fundamentaliter, & inchoativè, & à gratia completivè.

Ratio petitur tùm à deſcriptione prædicta ordinis ex D. Gregorio, tùm quia valdè probabile eſt, quòd in creatione receperunt dotes ſpirituales, ad quarum menſuram data ſunt eis gratiæ; & talenta proportionata ad operandum conformiter ad illos gradus, ad quos deſtinabantur ex providentia Dei, ſed principalis eorum elevatio venit à gratia Dei. Id colligitur ex variis Sanctorum Patrum dictis, imò & Apoſtoli [1] qui donorum creationis mentionem facit,

[1] *Coloſſ.* 1.

facit, quando Chriſtus D. ſuper illos extollit in donis gratiæ, *In ipſo condita ſunt univerſa, ſive Troni .... omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes*. Quod videri poteſt ſignificatum in parabola talentorum, in qua dicitur homo Rex diſtribuiſſe *unicuique ſecundum propriam virtutem*. Quid enim vetat, per hos ſervos deſignari Angelos?

Quæres 2. *an illi ordines ſint æternum in illa diſpoſitione duraturi*.

Reſp. duraturos eſſe quoad inæqualitatem donorum, non verò quoad actualia miniſteria, maximè circa creaturas, & homines.

Ratio eſt, quia dotes naturæ ſunt in eis inalterabiles, & dona gratiæ, & gloriæ ſunt æterna ſine diminutione, vel augmento propter ſtabilitatem imperturbabilem felicitatis, & gloriæ. At quia nihil ampliùs erit agendum circa homines poſt judicium, & mutabitur ſtatus rerum, ceſſabunt miniſteria actualia, & manebunt denominationes illæ, vel ab exercitio præterito, vel à priori deſtinatione ad ea, vel à talentis ad eadem peragenda receptis.

Quæres 3. *an homines ſint evehendi ad aliquos illorum ordinum*.

Reſp. nullum hominem fore ordinibus admiſcendum quoad naturalia, vel miniſteria, benè verò quoad gradum gratiæ, & gloriæ.

Ratio eſt, quia dona naturæ non mutantur, nec miſcentur, & qui ſunt unius ſpeciei, non confunduntur cum aliis alterius ſpeciei, at in donis gratiæ, & gloriæ nihil vetat, aliquos homines evehi ad ſimilitudinem, æqualitatem, imò ſuper illos, ut certum eſt de Chriſto D. & Maria Deipara.

Id colligitur ex Gloſſa Pſalmi 44. *Apoſtolos elegit pauperes, ut exaltaret ad ordines Cœli, qui ſunt ex hominibus, & Angelis*. Et in c. 1. Joſue, *Si Diabolum vincere potuero, locum ejus in Cœlo habebo*.

Quæres 4. *in qua Hierarchia, & ordine ſint Michael, Gabriel, Raphael*.

Reſp. probabiliter Michaelem eſſe de ordine Seraphinorum, de aliis nihil certum, niſi quòd ſunt de primis.

Prob. de Michaele, quia dicitur, (1) quod *Michael &*

(1) *Apoc. 12.*

*& Angeli ejus prœliabantur*. Per ly, *Angeli ejus*, ſignificatur, quòd aliis omnibus præeſt. Ideò dicitur (1) *Princeps militiæ cœleſtis*, & ab Eccleſia talis agnoſcitur, *Princeps magnus*, & *Unus de principibus primis*.

De Gabriele legimus *Ego ſum Gabriel, qui adſto ante Deum*. Aſſiſtentes autem præcipui ſunt Seraphini. Idem de illius ſublimitate arguitur ex ejus miſſione pro myſterio Incarnationis, ſcilicet ſummus debuit eſſe, *qui ſummum omnium nuntiabat*. Et ex ſumma dignitate Chriſti, & Mariæ. Hæc, inquam, videntur indicare, Gabrielem inter ſummos illos Spiritus eſſe. Sed non ſatis determinant ordinem.

De Raphaele minus eſt dubium. Nam videtur miſſus extraordinariè ad purum hominem, & longè inferius miniſterium, ſcilicet ad Tobiam filium ducendum, & protegendum, Dæmones compeſcendos, & patris ejus oculos curandos, Tamen ſe dicit (2) *unum ex ſeptem, qui adſtant ante Deum*, & fortè ex (3) *ſeptem Spiritibus, qui in conſpectu Throni ejus ſunt*, & qui ſint *ſeptem Spiritus Dei miſſi in omnem terram*. Sed quid ſint illi 7. Spiritus, & cur ſub hoc numero limitentur, lis eſt apud Interpretes, quos conſulere licebit.

## DISPUTATIO II.

### *De intellectu Angelorum.*

VIdimus, quæ ſpectant ad exiſtentiam Angelorum, jam ad facultates eorum, & operationes internas eorum deſcendimus. Scilicet de intellectu, & voluntate, & actibus harum potentiarum erit hæc diſputatio, quæ pleniùs explicabit eorum naturam.

QUÆ-

[1] *Dev.* 12. 28. 10.
[2] *Tob.* 82. [3] *Apoc.* 1.

## QUÆSTIO I.

*An, & qualis ſit intellectus Angeli, an diſtinguatur ab intellectu humano.*

Diximus in Philoſophia, quòd in Angelis æquè, ac in nobis datur intellectus agens, & quòd Angelicus, & noſter diſtinguuntur ſpecie. Ideo pauca hic reſtant ad propoſitum examinanda Theologicè.

Angelos intellectivos eſſe, nemo dubitat, & quidem intellectu perſpicaciſſimo, qui uno intuitu plus videt, & intelligit perfectiùs, quàm doctiſſimus hominum in toto vitæ decurſu, & ſpeculatione aſſidua. Ideò quaſi per Antonomaſiam dicuntur Intelligentiæ. *Angeli ſemper vident faciem Patris*, non oculis corporeis, quibus carent, & quibus fortè Deus non eſt viſibilis, ſed mentis, & ſunt beati, ac fruuntur Deo per viſionem, & amorem.

Quæritur, an, & quomodò intellectus Angeli, & intellectio ejus diſtinguantur inter ſe, & ab eſſentia, an ipſemet ſit ſua intellectio, & operatio, an ſit diſcurſivus, ut noſter. Et hæc etiam facilè ſolventur ex dictis de anima rationali.

## CONCLUSIO I.

*Intellectus Angeli eſt potentia, non realiter, ſed formaliter ex natura rei diſtincta ab eſſentia ejus, & per illum cognoſcit ſe, & alia objecta.*

Prob. 1. ex Scoto (1) citato pro intellectu noſtro, quem dicit *eſſe aliquid ipſius animæ intellectivæ*, & patet ex dictis de diſtinctione, & identitate intellectus Dei ab Eſſentia ejus. Nam ſi iſte diſtinguitur formaliter à parte rei ab Eſſentia, quantò magis ille? Et ſi humanus non diſtinguitur realiter ab animæ ſubſtantia, quantò minùs in Angelo, qui eſt natura perfectior, & ſimplicior? Et ſpecialiter pro identitate reali, (2) *Dico, quòd potentiæ non diſtinguuntur rea-*

[1] *Quodlib.* 15. *EE.n.* 5.
[2] 2. *d.* 16. *H.* & *K. n.* 15. 16.

*realiter inter ſe, nec ab eſſentia .... Et, non eſt neceſſe quòd iſtæ potentiæ ſint accidentia abſoluta, vel relativa, nec partes animæ eſſentiales, ſive integrales.* Et pro diſtinctione formali addit, *Quæ ſunt unum realiter, manent tamen diſtincta formaliter .... diſtinguuntur tamen formaliter ab invicem, & quidditativè... ſic poſſumus accipere de intellectu, & voluntate, quæ non ſunt partes eſſentiales animæ, ſed ſunt in anima quaſi paſſiones, per quas anima eſt operativa .... ſunt formaliter diſtinctæ.* Hinc

Prob. 2. Intellectus humanus non diſtinguitur realiter ab anima; ergo nec Angelus diſtinguitur ab ejus eſſentia. Nulla enim eſt neceſſitas diſtinctionis in Angelo, imò minor eſt quàm in nobis, cùm ſit ſimplicior, & perfectior. Ant. patet ex Philoſophia.

Prob. 3. ex Patribus, *Hæc tria*, ait Auguſtinus (1) *memoria, intelligentia, & voluntas, quia non ſunt tres vitæ, ſed una vita, nec tres mentes, ſed una mens, conſequenter utique nec tres ſubſtantiæ, ſed una ſubſtantia*, realiter. Et ſanct. Bernard. (2) *Quædam in anima intueor, memoriam, intelligentiam, & voluntatem, & hæc tria ipſa anima ſunt*, ſaltem realiter. Et Hugo Victor loquens de iiſdem facultatibus animæ, *Iſta non differunt in ſubſtantia, quemadmodum in hominibus, quoniam omnia una ſunt ſubſtantia* realiter. Et ſpecialiter de Angelis Dionyſ. (3) *in tria divinæ Mentes cœleſti ratione ſua diviſæ ſunt, in eſſentiam, & virtutem, & actionem.* Et Anſelmus (4) eadem diſtinguit, & aſſerit, *voluntatem non eſſe ſubſtantiam, licèt ſit aliqua eſſentia*; ſc. formaliter diſtincta.

Prob. 2. p. quia vis intellectiva eſt proprietas manans ab eſſentia Angeli, ſicut & ab eſſentia animæ; ergo ab illa diſtinguitur formaliter, ſicut aliæ proprietates, ut patet ex dictis de anima, & auctoritatibus citatis. Idem eſt de conſeq.

Confir. Quia in Angelis, ſicut in Deo, & in anima illæ potentiæ ſunt principia diverſarum operationum, ſcilicet intellectionis, quæ eſt operatio naturalis, & volitionis, quæ eſt actio libera meritoria, vel demeritoria; ergo diſtinguuntur ſaltem formaliter

Objic.

[1] 1. *Tr.* 11. [2] *Ser.* 11.
[3] *Cœl. Hie.* 11. [4] *Concep. orig.* 4.

Objic. 1. Si eſſentia Angeli identificaretur cum intellectu, illa identitas veniret vel ex ſubſtantialitate, vel ex ſpiritualitate, ſed neutrum dici poteſt; ergo non ſunt idem realiter in Angelo. Prob. min. Nam nec ſubſtantialitas, nec ſpiritualitas dicunt in ſuo conceptu intellectivitatem, ſed ſunt ſeparabiles; ergo ex neutro capite ſunt realiter idem. Prob. ant. 1. de ſubſtantialitate, id patet in lapide, ligno, in quibus ſubſtantialitas eſt ſine intellectu, & 2. de ſpiritualitate patet ex accidentibus ſpiritualibus; nec fortè repugnat ſubſtantia ſpiritualis non intellectiva; ergo &c.

Reſp. neg. min. & diſt. ant. prob. Nec ſubſtantialitas, nec ſpiritualitas, ſeorſim, con. conjunctim, & ſimul ſumptæ, neg. ant. Nam implicat ſubſtantia ſpiritualis, quæ non ſit intellectiva, & volitiva, ut ſuppono ex Philoſophia.

Objic. 2. Actus, & potentia ſunt ejuſdem rationis; ſed intellectiones ſunt accidentia in Angelis; ergo & ipſa potentia, ſeu intellectus. Idem eſt de voluntate.

Reſp. diſt. maj. Actus entitativus, & potentia objectiva, con. nam roſa objectivè eſt ejuſdem rationis cum ipſamet roſa exiſtente: potentia operativa, neg. maj. & conſ. Nam intellectus eſt potentia proximè operativa intellectionis, non autem potentia purè objectiva. Aliæ objectiones ſolutæ ſunt in Philoſophia de potentiis animæ.

## CONCLUSIO II.

A*Ngelus non eſt formaliter, nec realiter ſua intellectio; ſed hæc eſt accidens ab ejus ſubſtantia realiter diſtinctum*. Eſt communis contra Durandum.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui reſpondens argumento, quo prædenditur identitas intellectionis Angeli cum ejus eſſentia, dicit, quòd, & ſi *aliqui concedant concluſionem illam ibi illatam, videtur impoſſibilis, quia tunc ſequeretur, quòd illa intellectio eſſet actu infinita* (& ipſe intellectus, & ipſa eſſentia.) *Poteſt enim quicunque intellectus eſſe infinitorum intelligibilium, &, ſi tunc haberet intellectionem eandem ſibi pari ratione intellectio cujuslibet eſſet eadem ſibi*; ergo identificaret ſibi infinitas intellectiones; ergo eſſentia illa eſſet infinita. Hinc

[1] 1. *d.* 3. *q.* 8. *N.* 27.

Prob.

Prob. 2. quia ſi intellectio quælibet Angeli eſſet ipſiuſinet ſubſtantia, omnis intellectio poſſibilis eſſet actu, & neceſſariò in illo, quidquid enim eſt de eſſentia alicujus entis, neceſſariò exiſtit cum illo, & in illo; ſed Angelus de ſe poteſt intelligere infinita, ſc. omnia intelligibilia; ergo in Angeli ſubſtantia eſſent infinitæ intellectiones, ergo & ipſa eſſet infinita; quod abſurdiſſimum eſt.

Prob. 3. Sequeretur, Angelum eſſe realiter ſuum ſapere, & ſuam ſapientiam independenter à Deo, quia eſſet id per ſuam eſſentiam; eſſentiæ autem rerum ſunt æternæ; ſed conſequens eſt falſiſſimum, id enim ſoli Deo competit; ergo &c. Prob. min. ex ſancto Leone, *Sicut ſolius Dei proprium eſt increatum eſſe, ſic etiam nemo hominum veritas, nemo ſapientia eſt.*

Prob. 4. Si Angelus eſſet ſuum intelligere per eſſentiam, eſſet actus purus, nunquam eſſet in potentia ad aliquid intelligendum, aut volendum, intelligeret, & vellet neceſſariò, & immobiliter, ſicut ſemper eſt in actu; ſed conſeq. eſt falſum, & contra ſanctos Patres, qui (ut dicebamus) diſtinguunt in Angelis, & creaturis *ſubſtantiam*, *virtutem*, & *operationem*, & dicunt, ſoli Deo proprium eſſe, quòd ſit ſua operatio, & de facto conſtat, Angelis multa fuiſſe revelata à tempore creationis, & maximè, quia non habuerunt ſtatim ab initio viſionem beatam, quod à fortiori verum eſt de Dæmonibus, & quis dicet, eos per eſſentiam eſſe beatos? ergo &c. Et id magis patebit per ſequentia. Nam ſi intellectio realiter diſtinguitur ab intellectu; ergo non eſt de ejus eſſentia.

Prob. ergo 2. p. quod intellectio Angeli diſtinguatur realiter ab ejus ſubſtantia, & ab ipſo intellectu, 1. quia realiter ab ipſo producitur, 2. quia eſt realiter ab ipſo ſeparabilis, quæ ſunt ſigna diſtinctionis realis, ergo &c.

Confir. ex Doctore (1) qui expreſsè dicit, quòd *intellectio Angeli eſt ſibi accidentalis*, quia intellectus ille poteſt determinatè intelligere quodcunque intelligibile, etiamſi eſſent infinita intelligibilia diſparata in eſſe, & in ratione cognoſcendi, ita ut nullum juva-

[1] 4. *d.* 1. *q.* 1. *M.* & *T.* *n.*18. & 22.

juvaret ad intellectionem alterius. Sed repugnat, quòd id poſſit per unicam indiviſibilem intellectionem, niſi hæc eſſet infinita, ergo id non poteſt, niſi per aliam, & aliam diviſivè, aut ſucceſſivè; ſed eſſentia Angeli non poteſt eſſe alia, & alia diviſivè, nec ſucceſſivè, nec ſimul, ergo intellectio Angeli non poteſt eſſe idem realiter cum ejus ſubſtantia, vel intellectu ipſo; ergo Angelus non eſt realiter ſuum intelligère. Alia vide apud ipſum argumenta; nobis hæc ſufficiant.

Objic. 1. Angelus eſt actus purus, & eſſentialiter intellectivus; ergo intellectio Angeli non diſtinguitur ab eo, ſed eſt ſua intellectio realiter: alioqui eſſet in potentia ad ſuam intellectionem, ut ad accidens diſtinctum.

Reſp. diſt. antec. Actus purus à materialite, conc. ab omni potentialitate, neg. ant. Eſt enim in potentia receptiva ſuarum operationum immanentium, ut ſunt intellectiones, & volitiones ejus, ut diximus.

Objic. 2. Angelus eſt purè independens a materia; ergo eſt ſua intellectio, ſeu intelligit immediatè per ſuam eſſentiam. Prob. conſ. Ideò anima noſtra non intelligit per ſuam eſſentiam, quia ob unionem cum corpore dependet ab eo in operari; ſed hæc ratio ceſſat in Angelo, ergo &c.

Reſp. neg. conſ. & maj. prob. Non enim ob id ſolùm intelligit per intellectionem diſtinctam, quia unitur corpori, ſed adhuc, quia eſt potentia finita, & ne quidem in ſtatu ſeparationis intelligit immediatè per ſe ipſam, ſed per actum realiter diſtinctum. Intelligere verò per ſe ipſum eſt proprium ſoli Deo, quia eſt actus infinitus, & undecunque purus abſolutiſſimè.

## CONCLUSIO III.

*INtellectus Angeli eſt diſcurſivus, & ſpecie diverſus ab humano*. Eſt communior contra Thomiſtas, qui putant, in hoc ſolùm diſtingui à noſtro, quòd ille non ſit diſcurſivus ut noſter.

Prob. 1. ex Scoto. (1) *Quod negatur in Angelis omnis diſcurſus, non videtur probabile*, ſicut probatur ſupra in proœmio, ubi docet negari poſſe, *quòd An-*

[1] 2.*d*.7.*D*.*n*.8.

*Angelus aſſequatur omnem ſuam perfectionem naturalem ſine diſcurſu . Non enim eſt neceſſe , quòd ſimul cognoſcat principium , & omnes concluſiones virtualiter contentas in principio* . Et alibi docet, (1) quòd Beati habent ſcientiam diſcurſivam de veritatibus incluſis ex objecto beatifico. Quantò magis intellectus Angeli ex natura ſua?

Prob. 2. Quod eſt perfectionis in homine, debet tribui Angelo, niſi hoc repugnet illi, ſed vis diſcurſiva eſt perfectio in homine, & non repugnat Angelo; ergo debet ineſſe Angelo intellectus diſcurſivus. Major patet. Nam Angelus eſt perfectior homine. Prob. min. quoad 2. p. Nam quoad 1. non negatur ab ullo. Non eſt imperfectio in re, ut quod non habet neceſſariò, & ex ſe, id poſſit ſibi acquirere; ſed Angelus ex ſe, & neceſſariò non habet cognitionem rerum omnium, nec illi debetur; ergo eſt perfectio in illo, ut poſſit per diſcurſum acquirere illas perfectiones, quas ex ſe, & neceſſario non habet. Prob. min. Angelus neceſſariò non agnoſcit iutuitivè ſecreta cordis, quæ poſſet cognoſcere diſcurrendo ex aliquot ſignis, & effectibus, vel cauſis eorum notis; ergo &c.

Prob. 3. Vis formaliter diſcurſiva eſt ea, qua unum ex alio cognoſcitur; ſed Angelus poteſt cognoſcere unum ex alio; ergo in eo eſt vis diſcurſiva formaliter. Prob. min. Angelus viſis Chriſti miraculis, v. g. reſurrectione mortuorum, poterat inferre, illum eſſe pluſquam hominem, aut creaturam, quia hæc ſuperant vires creaturæ, & de facto Diabolus ex converſione lapidum in panes voluit inferre divinitatem ejus, de qua ſuſpicabatur ex jejunio quadrageſimali, ſicut ex aliquot ſignis, motibus, effectibus externis cognoſcit paſſiones, & cogitationes internas, ſed hoc eſt formaliter inferre ignotum ex noto, ergo &c.

Objic. 1. Patres docent, Angelos eſſe *Intelligentias ſimpliciſſimas*, quia (inquit Dionyſius) (2) *ſine verbis, aut rationibus Divinam ſcientiam colligunt*, ſed *purè ſpiritualiter extra materiam unicè diviſibile penetrant*. Et, ut ait Bernardus, *ſola vivacitate ſua, ac virtute naturæ ſumma, & infima pe-*

[1] *q.3.prol.27.& q.4.&5.Later.A.* [2] *de Div.nom.7.*

*netrant*, &c. ergo Angeli non diſcurrunt. Nam diſcurſus non eſt ſimplex, ſed compoſitus.

Reſpond. neg. conſeq. Nam Patres ſic loquuntur de facto comparativè ad nos, qui intelligendo pendemus à phantaſmatibus, & ſenſibus, & ſucceſſivè, longoque diſcurſu, & labore colligimus ignota ex notis; Angeli verò ferè omnia uno intuitu vident, alia verò ſaltem facillimè, & celerrimè, & ferè ſine ſucceſſione actuum colligunt.

Inſt. Sanctus Auguſtinus (1) docet Angelos ab initio creationis cognitionem omnium naturalium accepiſſe; ergo non egent diſcurſu ad ullam cognitionem.

Reſp. neg. conſeq. Nec enim ſequitur ex verbis S.Doctoris; qui vult ſolùm, quòd Angeli vident omnia ab initio, (2) *non ſecundum temporis moras, ſicut dies iſti, cùm oritur Sol, & occidit.... ſed ſecundum potentiam ſpiritualem mentis Angelicæ cuncta, quæ voluerit, ſimul notitia facillima comprehendentem. Nec ideò tamen ſine ordine, quo & apparet connexio præcedentium, conſequentiumque cauſarum.* Sed non poſſunt cognoſcere ſecundum ordinem, & connexionem illam ſine diſcurſu: ergo ex Auguſtino, Angeli diſcurrunt, licèt faciliùs, & celeriùs, quàm nos.

Objicies 2. Intellectus Angeli differt ſpecie a noſtro; ergo non diſcurrit ſicut noſter, alioqui non eſſet ratio differentiæ, nec Angelicus eſſet perfectior noſtro.

Reſp. neg. conſ. & rationem ejus. 1. quia quoad vim iſtam diſcurſivam, ex adverſariis, eadem eſt ratio inter omnes Angelos, in hoc conveniunt omnes, quòd non diſcurrant, licèt omnes differant ſpecie inter ſe; ergo differentia ſpecifica intellectuū non eſt præcisè à diſcurſivitate, 2. differunt per ſuam ſubſtantiam, ſicut Anima, & Angelus. 3. quia intellectus noſter aptus eſt intelligere dependenter à ſenſibus, & phantaſmatibus in ſtatu unionis, quod non convenit Angelico; ergo nulla ſunt alia principia differentiæ inter illos intellectus.

Objic. 3. Angeli in conſecutione ſuæ perfectionis ſervant ordinem, quem ſervant corpora cœleſtia: ſed hæc

[1] 4. *gen. lit.* 32. [2] *ibid.*

hęc non acquirunt ſuam perfectionem per motum,ut ſublunaria, ergo nec Angeli ſuas cognitiones, & ſcientiam per diſcurſum, qui eſt motus progreſſivus ab una cognitione ad aliam.

Reſp. neg. maj. Nam licèt Angeli ſint perfectiores corporibus cœleſtibus, non ſequitur, quin poſſint acquirere perfectiones aliquas,maxime accidentales,ut ſunt cognitiones per motus diſcurſivos; imò & in hoc ſunt perfectiores illis entibus, quæ non poſſunt ſibi acquirere ullam perfectionem, ſuntque velut mortua, & ſine motu. Quod maximè patet ex cognitione, quam poſſunt acquirere de ſecretis cordium.

Objic. 4. Diſcurſus fit ex pluribus cognitionibus, quarum una eſt prior, & cauſa alterius, ſed tales cognitiones repugnant Angelo; ergo & diſcurſus.

Reſp. diſt.min. Cognitiones, quarum una ſit prior tempore, & cauſa alterius, tranſeat; nec enim certum eſt hoc illis repugnare, quarum una ſit prior natura, & cauſalitate, neg. min. & conſeq. Nam, inquit Scotus, ad verum diſcurſum non requiritur ſucceſſio temporis, ſed ſufficit,ut cognitio cauſans ſit natura prior, quàm cauſata.

Inſt. Diſcurſus formalis fit proceſſu à notis ad ignota, ſed Angelo nihil eſt ignotum; ergo fruſtra eſſet diſcurſivus.

Reſp.neg.min.1.quia non novit cogitationes cordis 2. quia ſi nihil ignorat, id non habet ex ſe, ſed ex Dei beneplacito, qui plura, vel pauciora voluit communicare. An autem omnes prorsùs cognitiones illi infuderit, ita ut nullam de novo acquirere poſſit, incertum eſt, & potius falſum dixerim, quia inter ſe ipſos loquuntur, & ſuas cogitationes ſibi aperiunt, quod fruſtra facerent, ſi ſcirent prorsùs omnia.

Objic.5.Angelus ſimplici intuitu novit omnia,cauſas, & effectus, &c.ergo non eget diſcurſu, ut homo.

Reſp.neg.conſ.quia licèt de facto ſic videret omnia, non ſequitur,quin poſſet per diſcurſum acquirere multas cognitiones,ſi eas non haberet,ut patet de homine habente ſcientiam, & habitus per accidens infuſos, quos ſcilicet potuiſſet acquirere per ſtudium, & repetitos actus.

Col-

Collige autem, hanc concluſionem procedere de intellectu Angeli, prout eſt de ſe, quòd ſcilicet ſit capax ex una cognitione acquirere aliam; ita ut una eſſet cauſa, ſaltem virtualis alterius. An autem ita ſit de facto, ita ut nullam acquirat de novo cognitionem, nihil definio, cùm id penderet à ſolo Dei beneplacito. Plures putant, Angelos diſcurrere circa ſupernaturalia, ut patet de Dæmonibus, quibus ea non revelantur, non verò circa naturalia.

Quæres, *utrùm Angelus intelligat componendo, & dividendo*, ſeu affirmando, ut ſi dicat, *Homo eſt animal*, vel negando, ut ſi dicat, *Homo non eſt lapis*.

Reſp. non eſſe ſemper neceſſarium ut ſic intelligat; ſæpe tamen utrunque poteſt fieri.

Ratio 1. p. eſt, quia in his, quæ videt intuitivè, & comprehenſivè, non eſt neceſſe, ut componat, vel dividat; unico, & ſimplici actu ea videt. Ad propriam autem compoſitionem, & diviſionem requiritur, ut diſtinctis actibus agnoſcat, quæ unit, aut dividit.

Ratio 2. p. eſt, quia ſi poteſt diſcurrere, & unam cognitionem inferre ex alia, à fortiori poteſt diſtinctis actibus cognoſcere plura, v.g. Petrum, & peccatum, & cogitare diem craſtinum, & circumſtantias, in quibus tunc exiſtet Petrus, & judicare, *Petrus peccabit*, quod eſt componere, vel *Petrus non peccabit*, quod eſt dividere; ergo Angelus poteſt cognoſcere componendo, & dividendo.

## QUÆSTIO II.

### *De objecto intellectus Angelici.*

NOn diſputabimus de objecto adæquato. Certum enim eſt, illud eſſe ens in tota latitudine entis. Si enim ita ſit de intellectu noſtro, qui inferior eſt, à fortiori de iſto, qui longe eſt ſuperior, nec debet habere objectum minùs latè patens, ſi non poteſt habere majus. Et id docet Scotus, dicens (1) *quod objectum ſuum primum, ideſt, adæquatum, non eſt eſſentia ſua, ſed totum ens com-*

[1] 2. *d.* 9. *q.* 2. *n.* 29. *N.*

*comprehendens ſub ſe ſpecies intelligibiles, & ſenſibiles*, &c. Quia autem ſub illo objecto adæquato, ſeu ſub ente multa continentur, quæ non ſunt æqualis attingentiæ, illa hìc quærimus, quæ naturaliter poteſt Angelus intelligere, quæ verò non niſi ſupernaturaliter, & ſaltem utriuſque ordinis nobiliora, ut ſunt eſſentia Dei, res ſupernaturales, futura contingentia, & libera, ſecreta cordium, myſteria fidei, & gratiæ, & gloriæ, & ſic de cæteris, quæ breviter percurremus.

## CONCLUSIO I.

*Angelus poteſt cognoſcere Dei eſſentiam diſtinctè & abſtractivè, & hæc cognitio dici poſſet aliquo ſenſu naturalis, ſed abſolutè eſſet ſupernaturalis.* Eſt Scotiſtarum contra Thomiſtas.

Prob. 1. ex Scoto. (1) *Licet ſecundum communiter loquentes non poſſet* ( Angelus ) *ex puris naturalibus habere cognitionem Dei intuitivam... tamen non videtur negandum, quin poſſet naturaliter cognitionem ejus abſtractivam; hoc intelligendo, quòd ſpecies aliqua diſtinctè repræſentet iſtam eſſentiam... licèt non repræſentet eam, ut in ſe præſentialiter exiſtentem... & iſtam talem ſpeciem... non videtur inconveniens ponere inte llectui Angelico eſſe inditam à principio, ita quòd licet ipſa non ſit naturalis intellectui, quaſi iſte intellectus poſſit eam acquirere ex naturalibus ſuis, neque etiam poſſet eam habere actione alicujus objecti agentis naturaliter... Tamen ſicut perfectiones datæ Angelo in ſua prima creatione, licèt non neceſſariò ſequantur naturam eius, dicerentur naturales, diſtinguendo contra merè ſupernaturales gratiæ, & gloriæ*, &c. Habes totam concluſionem clarè explicatam.

Prob. 2. quoad 1. p. ex dictis de viſione Dei. (2) Non repugnat ſpecies impreſſa Eſſentiæ Dei; ergo de poſſibili vera eſt 1. p. Imò ſatis probabile eſt, quòd eam de facto habuerunt in ſtatu viæ. Nam Adam, in ſtatu innocentiæ ſi perſeveraſſet, habuiſſet cognitionem infuſam Dei perfectiorem illa, quam poſſet acquirere ex creaturis: ergo à fortiori Angelus ante



(1) *2.d.3.q.9.D.n.7.* (2) *D.5.q.29.con.2.*

lapſum habuit adhuc perſectiorem illam cognitionem, proportionaliter ad nobilitatem ſuam præ homine: ſed talis cognitio erat abſtractiva, & non poterat aliter haberi, quàm per ſpeciem impreſſam; ergo de facto Angelus cognovit abſtractivè eſſentiam Dei ante lapſum in via.

Dico, *probabile*. Nec enim de re certus ſum, nec enim evidens mihi eſt, quòd homo, nec Angelus exigerent connaturaliter eam cognitionem, & ſpeciem, ſed ex aliqua ſaltem congruitate pro tali ſtatu non ſolùm integritatis, ſed etiam gratiæ, & ſanctitatis.

Prob. 2. p. Aliqua cognitio dicitur naturalis intellectui, quando ex ſe, & propriis viribus poteſt illam elicere ſine auxilio ſupernaturali elevante, modò adſint alia comprincipia requiſita ex parte objecti, & quamvis illa non poſſint adeſſe naturaliter: ſed ita eſt de intellectu Angeli reſpectu cognitionis Eſſentiæ Dei, modò adſit ex parte objecti ſpecies illa impreſſa; ergo ex hoc capite illa cognitio eſt naturalis. Ideò in hoc ſenſu Scotus [1] vocat naturales omnes illos actus, ad quos potentia non eget elevari per auxilia gratiæ, per lumen gloriæ.

Prob. 3. p. Nam abſolutè, & ſimpliciter loquendo actus dicitur ſupernaturalis in ſubſtantia, quando in ſe non poteſt haberi per proprias vires ullius agentis creati: ſed talis eſſet illa cognitio; ergo eſſet abſolutè ſupernaturalis in ſubſtantia. Prob. min. Non poſſet haberi ſine ſpecie impreſſa, & quidditativa Eſſentiæ Dei; ſed illa ſpecies haberi non poteſt viribus ullius agentis creati, ſed à ſolo Deo præter, aut ſupra exigentiam intellectus creati, ergo &c.

Objic. 1. ea, quæ ſolent objici contra poſſibilitatem talis ſpeciei. Sed his reſponſum eſt tract. 1. ubi ex profeſſo examinavimus quæſtionem illam.

Objic. 2. Cognitio illa Eſſentiæ Dei eſſet de objecto præſenti; ergo non eſſet abſtractiva, ſed intuitiva. Prob. ant. Illa ſpecies cauſaretur ab ipſa Eſſentia ut præſente, æquè ac illa, quæ habetur à Beatis mediante lumine gloriæ; ſed hæc dicitur intuitiva; ergo & illa.

Reſp. neg. utrunque ant. Nam, ut intuitio dicatur eſſe

[1] *ibid.*

eſſe de objecto præſente, oportet, ut potentia determinetur ad eam per ſui realem, & immediatam exhibitionem, & præſentiam, ita ut, ſi per impoſſibile objectum poſſet eſſe abſens, non haberetur illa cognitio. Illa autem, de qua loquimur, haberetur mediante ſpecie Eſſentiæ, non immediatè per ipſam Eſſentiam ſe ſe exhibentem; ita ut, ſi per impoſſibile non eſſet ubique, nec coram Angelo, adhuc eodem modo agnoſceretur.

Objic. con.3.p. Cognitiones Angeli de rebus naturalibus per ſpecies infuſas in ejus creatione non ſunt ſupernaturales, licèt ſpecies ſint ſupernaturaliter inditæ; ergo ita eſſet de illa cognitione Dei per ſpeciem illam, licèt ſupernaturaliter datam.

Reſp. 1. diſt. ant. Si ſpecies illæ non ſint in ſubſtantia ſupernaturales, conc. ſi ſint ſupernaturales ſimpliciter, & abſolutè, neg ant. Tunc enim nulla eſt diſparitas; ſed ſi ſint tantùm ſupernaturales ſecundum quid, & per accidens, magna eſt diſparitas. Et tales ſunt fortè ſpecies rerum naturalium Angelis concreatæ. Unde

Reſp. 2. neg. conſeq. Nam illæ ſpecies concreatæ poſſent cauſari, & haberi ab ipſis objectis, non autem illa ſpecies Eſſentiæ Dei, quæ cùm ſit objectum voluntarium, non niſi liberè, & ſupernaturaliter ſpeciem illam emittit.

## CONCLUSIO II.

*Angelus cognoſcit ſeipſum intuitivè, & immediatè in ſua ſubſtantia ſine concurſu ullius ſpeciei impreſſæ. Poſſet etiam ſe cognoſcere abſtractivè per ſpeciem ſibi a Deo impreſſam.* Eſt communis quoad 1. partem.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quòd Angelus poteſt ſe intelligere per eſſentiam... quia objectum habet aliquam cauſalitatem partialem reſpectu intellectionis; & hoc, in quantum eſt actu intelligibile, & intellectus habet ſuam cauſalitatem ejuſdem actus*, &c. Sed eſſentia Angeli eſt objectum intellectus ejus; ergo poteſt concurrere cum ipſo ad ſui cognitionem immediatã.

Prob. 2. ex Patribus. Nam inquit Auguſt. [2] *Mens*

O 2 *ipſa,*

[1] 2.*d*.3.*q*.8.*C*.*n*.8. [2] 9.*Tr*.3.

*ipſa, ſicut corporearum rerum notitiam per ſenſus colligit, ſic incorporearum rerum per ſemetipſam; ergo & ſemetipſam per ſe ipſam novit, quoniam eſt incorporea.*

Prob. 3. quoad 1. p. Quando duæ cauſæ partiales integrantes per unam totalem ſufficienter applicantur ad aliquem effectum, poteſt ille effectus ab eis produci ſine alio principio: ſed intellectus, & eſſentia Angeli ſunt duæ cauſæ partiales ſufficientes ad integrandam cauſam unam totalem ſufficientem cognitionis ſui, & ſufficienter applicatæ, ergo Angelus ſe ipſum cognoſcit per ſuum intellectum cum ſubſtantia concurrente objectivè, & immediatè per ſe ipſam. Prob. min. Sine ratione requirerentur alia principia; ergo non ſunt requirenda.

Prob. 4. Subſtantia Angeli poteſt cognoſci per ſpeciem, ſaltem ab alio Angelo, vel alio quovis intellectu; ergo & à fortiori per ſeipſum, quando eſt ſibi ſufficienter præſens, & proportionata potentiæ. Prob. conſ. Nam, inquit Doctor, (1) *In intelligibilibus habentibus ſpecies intelligibiles, iſtæ ſpecies ſufficiunt cum intellectu ad cauſandam intellectionem objecti, cujus ſunt ſpecies, quamvis illud eſſe, per quod concurrunt, non ſit, niſi eſſe diminutum, & intentionale*; ergo multò magis ipſum objectum, quando eſt præſens, & applicatum ſecundum eſſe reale, & eſt proportionatum potentiæ. Sed ſubſtantia Angeli eſt præſens, & applicata objectivè ſuo intellectui ſecundum eſſe reale ſuum, & eſt tam immaterialis, quàm ipſe, & ideò ſufficienter proportionata; ergo tam poteſt ad minùs tàm cognoſci per ſe ipſam, quàm per ſpeciem. Imò & illa ſpecies eſſet ſuperflua, cùm ſufficiat objectum.

Prob. 2. pars. Non repugnat, Deum infundere Michaeli ſpeciem ſuæ eſſentiæ, ſicut poteſt eam infundere homini, vel alteri Angelo; ergo ſicut iſti cognoſcerent Michaelem per illam ſpeciem abſtractivè, ſic & ipſemet ſe cognoſceret per eandem ſpeciem. Ant. patebit ſolutione objectionum.

Objic. 1. con. 1. p. Objectum ſenſibile non poteſt per ſe immediatè cognoſci ſine ſpecie ab Angelo; ergo nec ſubſtantia Angeli. Prob. conſeq. Tam enim albedo poteſt eſſe illi præſens, quàm ſua eſſentia; ergo

(1) *ibid.*

ergo ſi eget ſpecie ad cognoſcendam albedinem; ita & pro ſua eſſentia.

Reſp. neg. utranque conſeq. Nam quod albedo non poſſit cognoſci immediatè ſine ſpecie, non venit ex defectu præſentiæ, vel applicationis, ſed proportionis cum potentia. Nam albedo eſt materialis, intellectus verò immaterialis. Ideò albedo debet velut ſpiritualizari, & depurari per ſpeciem.

Objic.2.Nihil poteſt eſſe ratio agendi potentiæ, niſi informet illam, ſed eſſentia Angeli non informat intellectum ejus niſi per ſpeciem; ergo nec poteſt concurrere cum illo ad ſui intellectionem.

Reſp.diſt. maj. Ratio totalis, niſi informet, conc. ratio partialis, neg. maj. & conſeq. Nam eſſentia Angeli in caſu noſtro eſt tantùm cauſa partialis cum intellectu ad ſui cognitionem, & ideò non debet illum informare, ſed illi objici, & applicari.

Inſt. Si intellectus, & eſſentia ſe haberent hìc ut cauſæ partiales talis intellectionis, haberent inter ſe ordinem prioris, & poſterioris, & moventis, ac moti; ſed conſeq. eſt falſum; ergo &c.

Reſp. neg. maj. Nec enim ad illam cauſalitatem requiritur alius ordo inter potentiam, & objectum, quàm ut non poſſint cauſare ſine ſe invicem, nec alia motio mutua, niſi quòd ſimul agunt, & integrant unam cauſam totalem intellectionis, & ſicut dicitur quòd objectum movet potentiam.

Objic. 1.con.2.p.Cognitio objecti præſentis, & exiſtentis eſt intuitiva; ſed cognitio, qua Angelus ſuam eſſentiam cognoſcit, non poteſt eſſe niſi rei exiſtentis, & præſentis, quid enim magis eſt præſens cognoſcenti, quàm ipſemet, & ſua ipſius eſſentia? ergo cognitio ſui in Angelo non poteſt eſſe abſtractiva per ſpeciem.

Reſp. diſt. maj. Præſentis formaliter, & concurrentis, & cauſantis cognitionem objectivè ſecundum ipſam exiſtentiam, conc. præſentis materialiter tantùm, & non cauſantis per ſuam realem exiſtentiam, neg. maj. Et ſimiliter diſt. min. Non poteſt eſſe niſi objecti exiſtentis materialiter, conc. formaliter, neg. min. & conſeq. Angelus ſe cognoſcens per ſui ſpeciem infuſam eſſet quidem realiter exiſtens, ſed per ſui

exiſtentiam illam non magis concurreret ad illam cognitionem objectivè, quàm ſi abeſſet, ſicut homo, cum ſe cogitat, & intelligit dormiens, aut cùm ſe cogitat ſecundum animalitatem nihil cogitans de rationalitate.

Objic. 2. Angelus cognoſcens ſe ut naturam ſingularem, cognoſcit ſe, ut eſt in ſe; ſed eſt in ſe præſens, & exiſtens; ergo ſe cognoſcit ut præſentem; ergo intuitivè, non verò abſtractivè.

Reſp. diſt. maj. Ut eſt in ſe ſecundum quidditatem ſingularem, conc. ſecundum omnia, quæ illam quidditatem, & naturam circumſtant, & non ſunt de formali ejus conceptu, neg. maj. & conſeq. Nam tunc Angelus cognoſceret quidem ſe, ut Michaelem, v. g. ſed non ut ſibi realiter præſentem, licèt id ita eſſet de facto, ſicut id poſſet cogitare de alio quamvis exiſtente, & præſente oculis clauſis, aut ſomniando, ſeu non cogitando de ejus exiſtentia, vel præſentia.

Dixi autem, quòd *ſe cognoſcit intuitivè*. De facto enim ita eſt, ſed *abſtractivè de poſſibili* tantùm. Nam illa ſpecies fruſtrà eſſet, quandoquidem ſibi ſufficienter eſt præſens, & proportionatus ad cognitionem ſui intuitivam, quæ ſufficit, & eſt perfectior. Et præterea omnes Angeli beati ſe vident in Verbo, quæ viſio æquivalet intuitivę ad minus.

Quæres, *an Angelus ſemper, & neceſſariò ſe ipſum intelligat actu*.

Reſp. negativè, quia nihil repugnat, Angelum (naturaliter loquendo, & quantum eſt de ſe) ita voluntariè applicare ſe alicui objecto, ut nihil cogitet de ſe ipſo, & tunc connaturaliter Deus ſubtraheret concurſum ſuum ab intellectu ejus circa cogitationem ſui.

Dices. Intellectus Angeli, & eſſentia ejus ſunt ſibi ſemper, & neceſſariò applicata, & præſentia; ergo Angelus ſemper, & neceſsariò intelligit. Nam cauſę naturales applicatæ ſemper, & neceſsariò agunt, & tales ſunt intellectus, & objectum.

Reſp. neg. conſ. & diſt. prob. Neceſsariò agunt, niſi agant dependenter à cauſa libera, conc. ſi agant dependenter à cauſa libera, neg. Quamvis autē intellectus, & eſſētia Angeli in hoc caſu ſunt cauſę naturales,

tamen ille dependet in agendo à voluntate quoad applicationem, ſeu attentionem, quia hæc poteſt eum diſtrahere ab uno objecto, & applicare ad aliud, ut patet experientia.

## CONCLUSIO III.

*Angelus non cognoſcit de facto ſecreta cordium; quamvis illa eſſe non ſint extra ſphæram intellectivitatis ejus naturalis.* Eſt communis quoad 1. p. & Scotiſtarum quoad 2.

Porrò nomine *ſecretorum cordis* intelligo actus intellectus, & voluntatis purè internos, & liberos, aut libertati ſubjectos, nullo ſigno exteriori manifeſtos. Item loquimur de cognitione *intuitiva*, aut *certa*, non autem *abſtractiva*, aut *arguitiva*, aut *conjecturali*. Nam etiam homines arguitivè conjecturari poſsunt internas cogitationes, & affectiones noſtras ex aliquot ſignis externis. 3. loquor de *cognitione naturali*. Nam de ſupernaturali Deus poteſt ei revelare cogitationes omnes, quas in nobis clariſſimè videt. Denique 4. *de cogitationibus exiſtentibus, & præſentibus*. Nam futuræ non ſunt ſufficienter præſentes, & à fortiori de contingentibus, & liberis, quæ longè ſecretiores ſunt, & minùs agnoſcibiles. Hoc ſuppoſito

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Nam licèt aliqui dicant, quòd Angelus poteſt occultare intellectionem per actum voluntatis ſuæ, & non occultare, & iſtud non occultare eſt loqui, tamen non videtur, quare aliquid intelligibile* (qualis eſt cogitatio hominis, vel Angeli) *eſſet præſens intellectui paſſivo, & non poſſet ipſum immutare; nec videtur ratio, quare per voluntatem ſuam poſſit* (unus Angelus) *magis occultare intentionem ſuam, quàm eſſentiam ſuam*, &c. Supponit ergo 1. quod unus Angelus videt cogitationem alterius, hoc ipſo, quòd iſte vult, ut ille videat; ergo non videbit eo invito. 2. quòd quia iſta volitio nihil ponit in objecto, quo illud fiat viſibile, nec in intellectu videntis, quo fiat aptior viſioni; & quia eſsentia unius eſt viſibilis naturaliter ab alio, ita & ejus cogitatio. Et ſic docet cogitationes, ſicut eſsentias eſse de objecto naturalis attingentiæ



[1] 2. *d*. 9. *q*. 1. *N*. *n*. 27.

Angelorum, licèt de facto non attingantur ab eis, niſi velimus. Et hoc intelligitur de intuitione, non de cognitione conjecturali.

Prob. 2. ex Script. quæ ſoli Deo reſervat ſcrutationem cordium. Quippe (1) *Pravum eſt cor hominis, & inſcrutabile; quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutās corda, & probans renes.* Et Apoſtolus, (2) *Qui ſcrutatur corda, ſcit, quid deſideret ſpiritus.* Et (3) *Quis hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt?* ſc. inter creaturas ſolus homo novit cor ſuum. Et Salomon orabat, (4) *Tu ſolus noſti corda omnium.* Et (5) *Tu ſolus noſti corda filiorum hominum.*

Prob. 3. ex Patribus. Nam inquit Cyprian. (6) *Quia Deus non vocis, ſed cordis auctor eſt, nec admonendus clamoribus, qui cogitationes hominum videt,* &c. Et Chryſoſt. (8) *Quæ in corde dominum inſunt, noſſe ſolius eſt Dei, qui ſigillatim finxit corda. Tu enim, inquit, corda noſti ſolus.* Et Origenes, *Deo ſoli cognitum eſt propoſitum mentis,* &c. Et Hilar. (9) *Cogitationes cordis noſſe non noſtrum eſt, ſed ejus, de quo dictum eſt, Scrutans corda, & renes Deus.* Et inde Patres arguunt Chriſti Divinitatem, quia cogitationes cordis noverat, juxta illud, (10) *Ut vidit Jeſ. cogitationes eorum. Nullus* autem, ait Hieron. *poteſt videre cogitationes eorum, niſi ſolus Deus, ergo Chriſtus eſt Deus.* Et Chryſoſt. (11) conſiderans apud Joannem, *Jeſ. non credebat ſemetipſum illis, eò, quòd poſſet omnes ... ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine,* ait, *Quæ in corde hominum ſunt,* &c. Et, ut notat Chryſol. *Dum Phariſæi cordis patefecit arcanum* (Chriſtus) *ſeipſum fuiſſe totius prophetiæ demonſtrat auctorem.* Et alloquens Phariſæum addit, *Cape ejus Divinitatis inſignia, audi eum pectoris tui penetraſſe ſecretum;* ergo cognitio cogitationum cordis ſoli Deo reſervatur.

Propter has auctoritates quidam putant, hanc partem eſſe de fide. Sed, ut notat Maſtrius poſt Vulpium, id non debemus dicere de fide, quod nec in Scriptura habetur explicitè, nec ab Eccleſia definitur, nec mani-

(1) *Jerem.* 17. (2) *Ro.* 8. (3) 1. *Cor.* 2.
(4) 3. *Reg.* 8. (5) 2. *Paral.* 6.
(6) *De ora. Dom.* (7) 24. *Jo.*
(8) *Ho.* 7. (9) *Pſal.* 39.
(10) *Luc.* 11. (11) *Jo. Ser.* 94.

manifeſta traditione SS. PP. ſtatuitur; iſtud autem eſt hujuſmodi. Omnes quidem negant communiter Angelis malis eam cognitionem, ut docet Auctor libri de Eccleſiaſticis Dogmatibus apud Auguſt. *Internas animæ cogitationes Diabolum non videre certi ſumus*; ſed de bonis multi dubitant, & Scotus (1) videtur credere, quòd eas vident. Ego probabiliſſimè credo, hæc eos non videre, niſi Deo, vel nobis volentibus.

Prob. 2. p. ex Scoto. (2) *Si abſolutè permittatur quicunq; malus Angelus uti ſua potentia cognitiva naturali, poteſt intelligere quodcunq; intelligibile cauſatum, & per conſequens poſſet intelligere cogitationes cordis, & myſteria gratiæ, quæ poſita ſunt in effectu; ſed ſicut dicit Magiſter, multa poſſent ex natura ſua, quæ non permittuntur eis*, &c. ergo, &c.

Prob. 2. Illi actus interni exiſtentes tam ſunt objecta de ſe proportionata potentiæ naturali intellectivæ Angeli, quàm ullum aliud ens, quod ejus intellectivitati ſubjicitur; ergo tam naturaliter poſſunt ab eo cognoſci. Prob. ant. Illæ cogitationes tam ſunt de ſe objecta proportionata intellectivitati alterius Angeli, v. g. Michaelis, quàm ipſius Gabrielis, vel Petri cogitantis, aut quàm ſubſtantia ejuſdem Gabrielis, aut animæ Petri; ſed illæ cogitationes ſunt proportionatæ, & cognoſcibiles ab ipſis cogitantibus, & ſubſtantiæ illæ ab omnibus Angelis; ergo tam illæ cogitationes ſunt cognoſcibiles a Michaele, & aliis, quàm ab ipſo Gabriele, aut alio cogitante.

Confir. Per locutionem Angelus naturaliſſimè manifeſtat ſuum ſecretum alii, & iſte naturaliſſimè illud intelligit abſque ullo ſupernaturali auxilio ex parte objecti, vel potentiæ, ipſa volitio loquentis nihil in alterutro ponit, & eſt ejuſdem conditionis cum ipſa cogitatione; ergo ipſa cogitatio eſt ſufficienter de ſe cognoſcibilis.

Dices 1. quandiu nolo manifeſtare Angelo meam cogitationem, hæc non eſt illi cognoſcibilis in actu, 2. quia tunc manet ſub meo dominio, & in altiori ordine propter meam libertatem.

Contrà. Ipſa volitio tua tam eſt libera, & alti-

O 5 ordi-

(1) D.2.q.236.a.3. (2) 5.d.10.q.8. M.n.12.

ordinis, quàm tua cogitatio, & tamen illa volitio eſt naturaliter cognoſcibilis ab Angelo; ergo & tua ipſa cogitatio, ſaltem de ſe. Nam volitio tua non degradat illam à ſua naturali elevatione.

Dices 2. Elevatio illa conſiſtit in hoc, quòd cùm ſecreta ſint ſub dominio libero cogitantis, non ſpectant ad ordinem univerſi, ſed ſunt ſupra illum; ſed quæ ſunt ſic elevata, non ſubſunt intellectivitati naturali Angeli, ergo nec cogitationes.

Contra. Per hoc, quòd jam velim Angelum cognoſcere cogitationem, quam anteà non volebam eum cognoſcere, illa non mutatur ab ordine, quem habebat, ſaltem intrinſecè, ſed purè extrinſecè, &, niſi ludamus in verbis, non video, quomodò illa deſcendat ad ordinem univerſi per illam volitionem, nec quomodò per eandem volitionem limitetur, aut extendatur, & perficiatur intellectivitas intrinſeca Angeli; ergo ſecluſa reſervatione extrinſeca cogitationis per illam nolitionem manifeſtationis illa eſt de ſe, & naturaliter cognoſcibilis ab Angelo. Quod eſt intentum noſtrum.

Dices 3. Deum non dediſse Angelis ſpecies ſecretorum ob rationes providentiæ ſuæ; ergo hæc non ſunt naturaliter ab eis cognoſcibilia.

Contrà; ergo ſecluſa reſervatione voluntaria ſecretorum, ſeu ſpecierum, hæc erant Angelis tam naturaliter cognoſcibilia, quàm quævis alia, quorum habent ſpecies ab initio; & ſic habemus intentum. Nam illa reſervatio eſt purè extrinſeca, & eſt ex parte Dei. Conſtat ergo quòd cogitationes tam hominum, quàm Angelorum de ſe, & phyſicè ſpectatæ ſunt de objecto naturali intellectus Angelici, &, ſi ſint illi de facto ignotæ, ut conſtat ex 1. parte, id fit ex ordinatione Divina, quæ ſibi hanc intuitionem reſervavit, & maximè quoad Dæmones, qui ea cognitione abuterentur. Sic conciliantur loca Scripturæ, & Patrum, quæ contra nos urgentur. Scilicet loquuntur de facto, & ex ſpeciali Dei reſervatione. Certè in hac peregrinatione, inquit Auguſt. [1] *quiſque cor ſuum portat, & omne cor omni cordi clauſum eſt.* Non ita erit in Cęlo. Nam inquit Gregor. [2] *In beatitudine reſurgentiū unus erit perſpicabilis alteri, ſu-*

*nt*

[1] *Pſ.* 41. [2] *Moral.*

*ut ipſe ſibi, cùm uniuſcujuſque intellectus attenditur, conſcientia penetratur, ſed reſurgentes erunt ſimiles Angelis.*

Objic. 1. con. 2. p. Scriptura, & PP. non tantùm negant, Angelos de facto cognoſcere ſecreta cordis, ſed etiam quoad poſse; ergo in hac parte contradicimus Scripturæ, & Patribus.

Reſp. diſt. ant. Negant, quòd poſſint cognoſcere, ex ordinatione Divina, con. ex natura Phyſica intellectus, & talium objectorum, neg. ant. & conſ. Nam ultrò concedimus, Deum ex ſpeciali providentia ſibi reſervaſse ſcrutationem cordium.

Inſt. Si Angelus ex ſe poſset cognoſcere ſecreta cordis, non poſset impediri ſine violentia, & miraculo, ſicut nec ignis à combuſtione ſtupæ applicatæ, & diſpoſitæ, per negationem concurſus Dei; ſed nec Scriptura, nec Patres putant, fieri violentiam, nec miraculum, quando non vident ſecreta, non putant eam cognitionem eſse naturalem Angelo, ſed contrarium.

Reſp. neg. maj. & parit. de igne. Nam cùm ignis impeditur à combuſtione ſtupæ applicatæ, ſuſpenditur tota actio ejus, cùm verò denegatur concurſus Dei Angelo ad videndum ſecretum meum, non ſuſpenditur abſolutè tota ejus actio, ſed tantùm reſpectu hujus objecti, à quo diſtrahitur, ut non attendat ad illud, ſed ad alia. Non fit violentia oculo, vel menti, cum ab uno objecto avertitur, ut ad aliud attendat, nec igni, cùm removetur à ſtupa, ut applicetur ligno. Prætereà non ita dicitur naturale Angelo videre ſecreta, ſicut igni naturale eſt comburere, quia Deus eam cognitionem ſibi reſervavit in ejus creatione, non ita eſt de igne; ideòque majus eſset miraculum, & violentia, ſi impediretur à combuſtione.

Inſt. 1. Quādo Deus dicitur inviſibilis in Scriptura, & Patribus, hoc intelligitur de omni intellectu, & phyſicè, non autem ex defectu concurſus; ergo ita eſt, cum dicunt, ſecreta cordis eſse inſcrutabilia.

Reſp. neg. conſ. & diſparitas eſt clara propter diſproportionem Eſsentiæ Dei cum intellectu creato, quæ diſproportio non eſt inter Angelum, & cogitationem humanam.

Objic. 2. Si naturale eſset Angelo videre cogitatio-

nes cordium, Patres non rectè probarent Chriſti Divinitatem ex tali cognitione; ergo quandoquidem ſic probant, ſignum eſt, eam cognitionem eſſe ſupra vires naturales creaturæ, & ſoli Deo poſſibilem naturaliter.

Reſp. neg. ant. Nam ad hoc, ut rectè inferant ex illa viſione Chriſti Deitatem, ſufficit, quòd ſoli Deo ſit reſervata, ſive ex natura phyſica rei, ſive ex lege poſitiva, & ſpeciali providentia.

Objic. 3. Ut unus Angelus videat ſecretum alterius, debet in eum illabi; ſed illapſus eſt ſoli Deo proprius etiam phyſicè; ergo & viſio ſecretorum cordis.

Reſp.neg.maj. Non enim aliter debet illabi Angelus in animam, ut videat cogitationes ejus, quàm ut ipſammet videat animam, aut quàm oculus in colorem; & ſicut illapſus ſunt naturales, ita & ille, ſaltem phyſicè loquendo, & ſecluſa ordinatione Divina.

Inſt.1. Ideò eſſentia animæ, vel Angeli poteſt videri naturaliter ab alio, quia illa non pendet à libertate ejus in eſſe, & conſervari; ſed cogitationes noſtræ ita pendent, ſunt enim operationes immanentes; ergo non ita ſunt viſibiles ab Angelo, ut ſubſtantia animæ, vel ipſius Angeli. Prob. maj. Ut actus noſtri interni videantur ab Angelo, debent agere in ipſum, & immutare intellectum ejus, ſicut color agit in oculum, & illum immutat per emiſſionem ſpeciei; ſed quæ ſunt nobis libera, non poſſunt ſic agere ad extra in intellectum Angeli nobis nolentibus; ergo nec ab illo videri, niſi velimus.

Reſp. neg. maj. Vera enim ratio viſibilitatis naturalis animæ ab Angelo eſt ejus proportio in ratione objecti cum intellectu Angeli in ratione potentiæ. Ad prob. neg. min. abſolutè, quidquid ſit de majori. Nam locutio vocalis eſt mihi libera, ſed actionem vocis in aures præſentium, ſuppoſito, quòd loquar, non poſſum impedire, quin qui æqualiter diſpoſiti audiant. Ita eſt de cogitatione, hæc pendet à me, quòd inſit, poſſum eam habere, vel non habere, ſed ſuppoſito, quòd exiſtat, non poſſum impedire quin videatur ab omni facultate viſiva proportionata. Et talis eſt intellectus Angeli naturaliter

reſpe-

reſpectu cogitationum, & actuum internorum animæ, ſicut & reſpectu eſſentiæ ejus, niſi aliunde impediatur.

Inſt. 2. Objectum voluntarium non poteſt videri niſi eo volente; ſed cordis noſtri ſecreta ſunt objecta voluntaria; ergo non poſſunt videri nobis invitis. Maj. patet ex dictis de inviſibilitate Dei. Min. etiam prob. Nam me volente Angelus videt, quid cogito.

Reſp. diſt. maj. Objectum voluntarium quoad actionem ad extra, con. voluntarium in eſſendo tantùm, neg. maj. Et ſic diſt. min. Sunt objecta voluntaria quoad eſſe, quia liberè illa habemus, con. min. quoad agere ad extra, neg. min. Nam quoad apparere, ſuppoſito, quòd exiſtant, omninò eſt neceſſarium cogitationibus noſtris.

Inſt. 3. Ergo cognitiones, & affectus noſtri non ſunt plenè in noſtra poteſtate; ſed conſ. eſt falſum in Philoſophia, & Theologia, alioqui enim in eis non eſſet meritum, vel peccatum; ergo &c. prob. ſubſumptum. Quæ enim ſunt plenè in poteſtate noſtra, pendent à nobis in agere æquè, ac in eſſe; ergo ſi pendent à nobis in eſſe, ita & in agere, ſeu in determinare intellectum Angeli ad ſui viſionem.

Reſp. neg. ſubſumptum abſolutè, & quoad omnia. Nam liberum mihi eſt excitare ignem, & applicare ſtupæ, ſed non pendet ex me, quòd luceat, ſcintillet, aut comburat, ſuppoſita ejus exiſtentia, & applicatione. Sic liberum mihi eſt cogitare pia, aut turpia, ſed non liberas cogitationes eſſe bonas, & malas, & ut tales videri à Deo, & eſſe viſibiles de ſe omni intellectui proportionato, niſi Deus prohibeat; ſicut liberum eſt mihi loqui vocaliter, ſed poſita locutione, non eſt mihi liberum impedire, ne audiatur ab habentibus aures, & ſufficienter præſentibus.

Objic. 4. Ut Angelus videat cogitationem meam, debet videre objectum ejus, alioqui non videbit niſi qualitatem illam abſolutam, in qua conſiſtit actus ille meus; ſed illud objectum non poteſt videri ab Angelo naturaliter; ergo nec mea cogitatio. Prob. min. quia ſicut cogitatio mea tendit ad objectum ſuum, v. g. ad pecuniam, ad homicidium, quod habet

pro-

pro objecto, ita cognitio Angeli habet pro objecto, non homicidium, vel pecuniam, ſed meam ſolam cogitationem; ergo &c.

Reſp. 1. neg. maj. & conſ. ſufficit enim mihi, quòd, ſi cogito, vel volo homicidium, videat me habere talem cogitationem, aut voluntatem, quidquid ſit de objecto ejus, hoc inquam ſufficit, ut videat ſecreta mea.

Reſp. 2. neg. min. & conſ. prob. Nam videt directè cogitationem meam in ſua entitate, & indirectè objectum ejus in ea repræſentatum, ſicut qui videt me in ſpeculo, viſio ejus terminatur directè ad ſpeculum, & ſpeciem, ſeu imaginem meam in ipſo expreſsam, & me ipſum videt indirectè, mediatè, & conſequenter. Ratio eſt, quia cogitatio mea intrinſecè, & eſſentialiter reſpicit homicidium, & hominem, quem cogito occidere; ergo illa cogitatio videri non poteſt diſtinctè, quin videatur objectum ejus, quod eſſentialiter reſpicit, ac repræſentat.

## CONCLUSIO IV.

*Angelus non cognoſcit naturaliter futura libera; benè verò ea, quæ pendent à cauſis naturalibus, & neceſſariò agentibus*. Eſt communis maximè quoad 1. p.

Prob. 1. p. 1. ex Scoto [1] dicente, quòd *futura contingentia non ſunt nata cognoſci, ſive in ſe, ſive in Verbo, niſi intuitivè*; ergo multo minùs Angeli naturaliter cognoſcent futura libera, quæ ſunt maximè contingentia. Nam cognitio intuitiva eſt de objecto præſenti, ut præſens eſt; futura autem, ut futura, non poſsunt eſſe naturaliter ſic præſentia, alioqui eſſent, & non eſſent futura. 2. autem pars patet ex eo, quod diximus ex eodem, quòd intellectus Angeli eſt perfectior humano, & eſt diſcurſivus; ergo ex cauſis neceſſariis cognoſcunt effectus futuros.

Prob. 2. ex Script. quæ docet, proprium eſſe Dei ſcire futura, ut diximus, ubi de ſcientia Dei, ut cùm dicit Iſaias, [2] *Annuntiate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dii eſtis vos.* Et, *Et ego ſum Deus... annuntians ab exordio noviſſimum, & ab initio, quæ*



[1] 3. d. 14. q. 2. [2] *Iſa.* 41. & 46.

*necdum facta ſunt*. Et Sapiens [1] dicebat de Divina Sapientia, quòd *ſcit ſigna, & monſtra, antequam fiant, & eventus temporum, & ſæculorum*, ergo unus ex propriis characteribus Deitatis eſt præſcientia futurorum, & maximè eorum, quæ pendent à ſola libertate.

Prob. 3. ex Patribus. Nam, inquit Tertull. [2] *idoneum teſtimonium Divinitatis eſt veritas divinationis*. Et Hilar. [3] *Proprium Deo quid eſt, niſi cognitio futurorum?* Et Origenes [4], *Divini ſermonis characterem eſſe futurorum prædictionem*. Idem docet Damaſc. tam de bonis, quàm de malis Angelis, cum ea differentia, quòd boni poſſunt ea ſcire in Verbo, & revelante Deo, Dæmones verò ex ſola conjecturà. Idem docent alii PP. communiter.

Prob. 4. Nam futura libera ſciri non poſſunt naturaliter, niſi ex ſe ipſis, vel in cauſis ſuis; ſed ex neutro capite præſciri poſſunt certò ab Angelis; ergo non poſſunt ſciri. Prob. min. 1. non in ſe, quia ut futura nullum adhuc habent eſſe. 2. non in cauſis, quia cauſæ illorum ſunt liberæ, & indeterminatæ ad contraria, vel contradictoria; ergo &c.

Confir. Quia nec ipſe Angelus viator poſſet ſcire hodie, quid eſſet facturus cras, vel poſt annum, quia ſupponitur ad hoc indeterminatus, & id facturus liberè, & contingenter; ergo &c.

Prob. 2. p. Loquimur de illis futuris, quæ pendent à cauſis, quæ neceſſariò, & naturaliter determinatæ ſunt ad agendum, & naturaliter impediri non poſſunt à cauſis liberis creatis, nec ab ipſo Deo impedientur ſecundum curſum ordinariæ gubernationis univerſi; ſed talia præſciri poſſunt ab Angelis ſcientibus naturam, virtutem, & combinationem cauſarum, v. g. eclipſes Solis, & Lunæ, imo, & ipſi homines ea verè prævident, & prædicunt uſque ad momentum; ergo à fortiori Angeli, qui longè meliùs norunt virtutes, & motus ſyderum, & menſuras, & ordines coſtellationum, & graduum.

Confir. ex Patribus. Nam Tertull. cit. & Auguſt. l. de Divinat. [5] docent, eos divinare futuras tempeſtates, ægritudines, ſterilitates, &c. & in eo tantùm deci-

[1] *Sap.* 8. [2] *Apolog.* [3] *lib.* 9.
[4] 6. *con. cel*, [5] *c.* 82. *c.* 5. *&* 6.

decipi, quòd aliquando talia futura impediuntur ab aliqua cauſa libera, maximè à Deo. *Quid ergo mirum*, inquit, *ſi Dæmon in aeris affectione, atque ordinatione, ſibi notas, nobis ignotas, futuras prævidet tempeſtates? .... Hac facultate Dæmones multa futura prænuntiant*, &c. ergo ex Auguſtino Dæmones, & à fortiori Angeli boni prævident futura dependentia à cauſis neceſſariis.

Objic. 1. con. 1. p. Dæmones de facto multa futura libera prædicunt, ut bella, ſeditiones, mortes, peccata, &c. ergo à fortiori hæc ſciunt Angeli boni.

Reſp. diſt. ant. Hæc prædicunt ex ſcientia aliena, vel conjecturali, con. ex ſcientia propria, & certa, neg. ant. & conſ. Non negamus, quin ex cognitione temperamenti hominis, influxu cœlorum, aut aliis ſignis, aut revelatione mediata, vel immediata poſſint Angeli tam mali, quàm boni multa prævidere. *Diſpoſitiones etiam Dei Prophetis concionantibus excerpunt, nunc lectionibus reſonantibus carpunt .... Et hic æmulantur divinitatem, dum furantur divinationem*, inquit Tertull. (1) *Aliquando etiam nefandi Spiritus, quæ ipſi facturi ſunt, velut divinant*, ait Auguſt. (2) Aliquando etiam ſub æquivocis decipiunt, quæ juxta evĕtuum veritatem interpretantur eorum ſectatores.

Objic. 2. In ſomniis multa prævidentur futura etiam libera; ſed hæc præſciri non poſſunt, niſi ab Angelis revelantibus; ergo hæc illi præſciunt. Prob. maj. de S. Joſeph, cui prædixit Gabriel futuram ſævitiam Herodis in pueros, & Chriſtum, & de alio Joſeph, qui prævidit ex ſomniis concaptivorum, quid illis venturum erat à Pharaone. Hæc enim erant futura libera.

Reſp. diſt. maj. Prævidentur ex revelatione Divina facta ipſis Angelis, con. ex ſcientia propria, & certa, neg. maj. & conſ. Nam de utroque Joſeph patet, hæc revelante, & jubente Deo ab Angelis prænuntiata eſſe. Et ſic de aliis. Quædam etiam prævidentur ex ſomniis conjecturaliter ob diſpoſitiones corporis ſomniantium, & influxu cœlorum, ut infirmitates, quæ veniunt ex cauſis naturalibus, non autem liberis, &c. ſed Angeli de ſe nulla futura libera certò prævident.

Objic.

(1) *Apol.* 22. (2) 2. *Gen. lit.* 17.

Objic. con. 2. p. Si ex cauſis naturalibus, & neceſſariis præſcirent Angeli futura, præſcirent monſtra, & caſus, quos credimus fortuitos, & varietates omnes, quas miramur in brutis, & elementis; ſed nullus admittet tam amplam in eis ſcientiam; ergo neque illam. Prob. maj. Nam illa omnia habent in ſe cauſas determinatas, licèt nobis occultas; ergo tàm iſtas præſcirent, quàm ulla alia futura.

Reſp. diſt. maj. Præſcirent monſtra, &c. quæ veniunt à cauſis determinatis, & neceſſariis, con. maj. & neg. min. quæ veniunt aliquo modo à cauſis liberis, neg. maj. & conſ. Certè maxima pars monſtrorum, & deordinationum naturæ venit aliqualiter à cauſis liberis, &, ſi quæ veniunt ex deordinatione cauſarum purè naturalium, quid prohibet, Angelos hæc ſcire poſſe, ſi illarum ſeriem, & ordinem norunt? Idem eſt de illis caſibus, quos dicimus fortuitos, & eos miramur, quia cauſas eorum neſcimus, quas ipſi poſſunt ſcire.

Dicendum ergo Angelos quædam futura præſcire poſſe, vel cum certitudine, ea ſc. quæ ſecundum ordinarium naturæ curſum inimpedibiliter, & ſecluſo miraculo eveniunt, ut eclipſes Solis, & Lunæ, ſiderum curſus, & occurſus, & influxus, vel 2. cum aliqua probabilitate, ſc. quæ proveniunt à cauſis naturaliter quidem impedibilibus, ſed quæ raro impediuntur, aut quæ in ſuo ordine cauſandi non facilè deordinantur, ut ſunt animalium vita, & motus, temporum, & aeris intemperies, pluviæ tempeſtates, ſiccitates, fertilitates, aut ſterilitates, ægritudines, peſtilentię, &c. quæ quidem naturaliter evenire poſſunt, & eveniunt ſepe, interdum verò à Deo immitti ſolent in peccatorum pœnam, vel juſtorum gratiam; & iſta ultima ne quidem probabiliter, ſed quaſi divinando, & cæcè præſciunt. Nam *Quis novit ſenſum Domini?* Idem eſt de futuris purè liberis, quæ illi ipſi, qui ea facturi ſunt, non prævident.

CON-

## CONCLUSIO V.

A*Ngelus etiam naturaliter cognoſcit aliqua poſſibilia, & præterita*. Eſt communis.

Probatur breviter utraque pars, quia nos ipſi, licèt multò Angelis inferiores, cognoſcimus plura poſſibilia, multa ſcimus fuiſſe, quæ non ſunt ampliùs; ergo à fortiori hæc ſcire poſſunt Angeli. Ant. patet. Nam diſputamus in Philoſophia, & Theologia de poſſibilitate multarum rerum, & teximus hiſtorias de hominibus, & rebus præteritis ab initio mundi uſque in præſens. Certè cognoſcimus præterita, vel ex traditione, aut revelatione, illa ſc. quæ non vidimus, vel ex ſpeciebus retentis in materia eorum, quæ vidimus, dum exiſterent; poſſibilia verò per diſcurſum. Sic Angeli utraque poſſunt noſſe iiſdem viis, & mediis, & maximè ex revelatione Divina, aut ſpeciebus infuſis, & per diſcurſum ex principiis certis.

Objicies 1. Scriptura eodem modo negat Dæmonibus ſcientiam præteritorum, quo ſcientiam futurorum, ut propriam ſoli Deo; ſed futura non norunt; ergo nec præterita. Prob. Nam de illis dicit Iſaias, [1] *Annuntiate nobis, quæcunque ventura ſunt, & priora, quæ fuerunt, & ſciemus, quia Dii eſtis*, id eſt, inquit Hieron. [2] *Dicite nobis vel præterita, vel futura, & ex eorum eventibus veſtram potentiam demonſtrate*; ergo non magis præterita, quàm futura norunt.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. Nam teſte eodem Hieronymo, Iſaias loquitur de Idolis, *quæ inſenſibilia ſunt, & nec audiendi, nec reſpondendi habent facultatem*, non autem loquitur de Angelis, aut Dæmonibus.

## CONCLUSIO VI.

P*Oteſt Angelus immediatè cognoſcere & naturaliter aliquas entitates ſupernaturales exiſtẽtes, & pertinentes ad myſteria gratiæ: non tamẽ omnia, v. g. remiſſionẽ peccati, vel gratiã adoptionis*, &c. Videtur contra Thomiſtas, & alios, ſaltem quoad immediationem talis.

[1] c. 41. [2] *Ibid*.

alis cognitionis. Loquimur autem principaliter de ſupernaturalibus ſecundum quid, non autem de ſimpliciter, & in ſubſtantia ſupernaturalibus.

Prob. 1. p. ex Scoto. (1) *Naturale, & ſupernaturale non diſtinguunt naturam alicujus in ſe, ſed tantum comparatione ad agens .... ergo non neceſſariò concluditur naturale, & ſupernaturale eſſe aliud, & aliud in ratione intelligibilis .... Dico, quòd abſolutè, ſi permittatur quicunque Angelus malus uti ſua potentia cognitiva naturali, poteſt intelligere quodcunque intelligibile cauſatum; & per conſequens poſſet intelligere cogitationes cordium, & myſteria gratiæ, ex quo poſita ſunt in effectu, & hoc modo, & non alio poſſet videre corpus Chriſti in Euchariſtia.* Quod ſi hoc poteſt Dæmon, à fortiori Angelus bonus, aut ſaltem non malus in ſtatu naturali, & viæ.

Prob. 2. quia nulla eſt ratio limitandi intellectivitatem Angeli ad ſola entia naturalia; ergo poteſt intelligere etiam ſupernaturalia. Ant. patebit ex objectionibus.

Prob. 3. Quilibet Angelus poteſt naturaliter cognoſcere in ſe ſuos actus ſupernaturales, v. g. charitatis, & viſionis beatæ; ſed tales ſunt entitates verè ſupernaturales; ergo, &c. Prob. maj. Nos ipſi in via cognoſcimus experimentaliter, & naturaliter nos habere actus fidei, ſpei, & charitatis; ergo à fortiori Angelus, qui ſe ipſum meliùs cognoſcit.

Dices, Angelum experiri, & videre tales actus in ſua entitate phyſica, non verò in ſupernaturalitate.

Contra. Angelus videns intuitivè Eſſentiam Dei per lumen gloriæ, id experitur, & ſaltem reflexè cognoſcit illam viſionem, & lumen eſſe ſibi ſupernaturalia; ergo intelligit naturaliter, & immediatè actum ſupernaturalem cum ſua ſupernaturalitate, alioqui non cognoſceret intuitivè, & diſtinctè ſuam illam viſionem. Similiter videns idem Corpus Chriſti in duobus locis, aut in Euchariſtia, & ſpecies ſine ſuo ſubjecto, videt ſine dubio, hæc non eſſe naturaliter in eo ſtatu; ergo etiam intelligit ſupernaturalitatem, ſaltem reflexè, & arguitivè, quod ſufficit nobis. Imò ſufficeret viſio actuum illorum in ſua entitate.

Confir. Anima Chriſti videt ſe, & corpus ſuum immediatè

[1] *4. d. 10. q. 2. & S. G. & n. 7. & 12.*

mediatè in Euchariſtia naturaliter, nam & nos ipſi naturaliter nos videmus in locis, & ſtatibus, in quibus ſumus; ſed exiſtentia corporis, & animæ Chriſti in Euchariſtia eſt ſupernaturaliſſima; ergo & Angelus hæc poteſt videre naturaliter. Nam anima Chriſti in ſubſtantia non eſt altioris ordinis, quàm Angelus.

Prob. 4. Angelus beatus naturaliter videt & ſuam viſionem, & viſionem alterius beati, non enim hoc difficilius illi eſt, quàm viſio ſubſtantiæ ſuæ, aut alterius; ſed utraque viſio illa eſt ſupernaturalis; ergo videt naturaliter entitates ſupernaturales.

Dices, Si videret ſuàm viſionem, aut alienam naturaliter, videret etiam Eſſentiam Dei in illis viſionibus repræſentatam, ſicut viſa imagine, videtur imaginatum, & viſa correlatione videtur correlatum; ſed non admittitur viſio Eſſentiæ Dei naturaliter poſſibilis Angelo; ergo nec viſio naturalis viſionis beatæ in ſe, nec in alio.

Contra. Viſa imagine Cæſaris non videtur Cæſar, niſi abſtractivè; ergo ita eſt de Eſſentia repræſentata in viſione beata, quæ eſt ſpecies expreſſa ejus reſpectu ipſius Beati, ſed impreſſa tantùm reſpectu videntis viſionem illam.

Prob. denique ex Scoto. Objectum naturalis attingentiæ intellectus Angelici, & ſeparati eſt omne ens creatum, & finitum, aut non reſpiciens eſſentialiter ens infinitum; tales ſunt plures res ſupernaturales, & myſteria gratiæ; ergo hæc ſunt intelligibilia naturaliter ab Angelo.

Prob. 2. p. Nam conſtat ex Scriptura, & Patribus, multa myſteria fuiſſe ignota Dæmonibus, ut unio hypoſtatica humanitatis cum Verbo, remiſſio peccati, adoptio hominis in filium Dei, &c. ergo multa ſunt myſteria gratiæ naturaliter ignota Angelis. Prob. ant. ex Apoſtolo, quia ut notat Chryſoſtomus, (1) *Illi nobiſcum, & per nos didicerunt, quæcunque novimus, idque Apoſtolus alter oſtendit his verbis. Ut innoteſcat Principatibus, & Poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei.* Et ſanctus Thomas in eum locum, *Dicendum eſt ergo, quòd innotuit Angelis per Eccleſiam.* Et Scriptura, & Patres vocant myſterium incarnationis ſecretum Dei, *à ſæculis abſ-*

[1] *Hom.* 1. *Job.*

*abſconditum, & magnum Sacramentum*. Idem eſt de myſteriis prædeſtinationis, & reprobationis. *Novit Dominus, ſolus, qui ſunt ejus*. Et de facto Diabolus non agnoſcebat Chriſtum ut Filium Dei, ſed tantùm ſuſpicabatur, eum talem eſſe ex longiori jejunio. Ideò volebat id ſcire ex converſione lapidum in panem. *Si Filius Dei es, dic, ut lapides iſti panes fiant*.

Idem eſt de remiſſione peccati, quia maximè pendet ex libera Dei condonatione, quæ eſt actus internus voluntatis ejus, & quidem ſupernaturalis, ſupra omnem exigentiam phyſicam omnis entis creati, & quamvis Angeli viderent entitatem gratiæ ſanctificantis phyſicam, adhuc eam non viderent quoad oppoſitionem, quam habet cum peccato, quia hæc eſt moralis, & ex ordinatione Dei, ut videbimus ſuo loco. Idem eſt denique de entitate phyſica charitatis actualis.

Objic. 1. Intelligibilitas rei commenſuratur entitati ejus; ſed entitas myſteriorum gratiæ eſt ſupernaturalis; ergo & intelligibilitas eorum.

Reſp. ex Scoto, (1) neg. maj. Nam ſicut ens naturale poteſt cognoſci ſupernaturaliter, ut ſubſtantia Angeli ab homine per intuitionem, ita & ſupernaturale exiſtens poteſt cognoſci naturaliter, & ſicut Eſſentia Divina & infinita, & increata eſt viſibilis viſione creata, & finita. Ratio eſt, quia cognoſcibilitas rei dicit ordinem ad potentiam cognoſcentem, ſupernaturalitas verò ad cauſam producentem in eſſe actuali, quod *in ſe eſt quid naturale proportionatum potentiæ cognitivæ*.

Inſt. Ens ſupernaturale pendet ab agente ſupernaturali in eſſe, & conſervari; ergo & in cognoſci; ergo non cognoſcitur niſi ſupernaturaliter.

Reſp. neg. 2. conſ. Nam ſubſtantia Angeli pendet à ſolo Deo in eſſe, & conſervari, & tamen poteſt intelligi, & videri naturaliter ab ipſo, vel ab alio Angelo.

Inſt. 2. Quod non poteſt eſſe ſine concurſu cauſæ ſupernaturalis, eſt ſupernaturale, ſed cognitio rei ſupernaturalis talis eſt; ergo, &c. Prob. min. Nam cognitio pendet ab objecto concurrente per ſe, aut ſpeciem; ergo ſi objectum eſt ſupernaturale, cognitio ejus pendet à cauſa ſupernaturali.

Reſp.

(1) *Ibid. k.* 10.

Reſp. diſt. maj. & conſ. prob. Si cauſa illa concurrat ſupernaturaliter, con. maj. & neg. min. ſi concurrat naturaliter, neg. maj. & conſ. prob. Nam entitas ſupernaturaliter producta concurrit per ſuam entitatem naturalem, & naturaliter ad ſui cognitionem.

Objic. 2. Intellectus creatus non poteſt naturaliter videre Deum, quia eſt objectum ſupernaturale; ergo nec poteſt videre naturaliter alia objecta ſupernaturalia.

Reſp. neg. conſ. Nam Deus eſt ens increatum, & infinitum, ideò non eſt objectum naturalis attingentiæ ab intellectu creato: non ita eſt de entibus creatis, & finitis.

Objic. 3. Si Angelus cognoſceret naturaliter entia ſupernaturalia, & myſteria gratiæ, id faceret vel per ſpecies ſibi infuſas in creatione, vel per naturaliter acquiſitas ab ipſis objectis; ſed neutrum dici poteſt; ergo nec illud. Maj. patet. Nam, ut cognitio ſit naturalis, medium debet eſſe naturale. Prob. min. 1. quia ſpecies rerum ſupernaturalium non poſſunt eſſe niſi ſupernaturales, nec debentur naturaliter Angelis potiùs, quàm ipſa dona gratiæ, vel objecta. 2. objecta ſupernaturalia non poſſunt emittere niſi ſpecies ſupernaturales; ergo ſi cognoſcant illa objecta per ſpecies infuſas, aut acquiſitas, illę erunt ſupernaturales.

Reſp. 1. neg. maj. Nam actus ſupernaturales Angelorum poſſunt ab eis cognoſci immediatè, & intuitivè per ſe ipſos ſine ſpeciebus, quod ſufficeret nobis.

Reſp. 2. neg. min. & ant. 1. prob. Nam ſuppoſita exiſtentia entitatis gratiæ, debetur Angelo ſpecies ejus, licèt ipſa gratia ſit indebita, ſicut ſuppoſita exiſtentia albedinis, debetur illi ſpecies ejus connaturaliter, &, ſi hanc poteſt cognoſcere naturaliter per ſpeciem ab illa acceptam, ita & illa dona; cum hac tamen differentia, quòd cognitio iſtorum ſupponit miraculum, quo ponantur in eſſe, & ideò cognitio iſta erit ſupernaturalis præſuppoſitivè, non autem illa.

Inſt. Species entis ſupernaturalis ſunt etiam ſupernaturales; ergo & cognitio per illas cauſata. Nam, ex Scoto, ſupernaturalitas petitur à cauſa ſupernaturali. Prob. ant. Nam ſpecies objecti, & ipſum objectum ſunt ejuſdem ordinis; ergo ſpecies entis ſupernaturalis ſunt etiam ſupernaturales.

Reſp.

Reſp. neg. ant. & prob. Nam ſpecies ſemper deficit à perfectione entitativa objecti ſui; ſpecies ſubſtantiarum non ſunt ſubſtantiæ; & ſicut Deus, qui eſt agens infinitum, producit creaturas finitas.

Objic. 4. Myſteria gratiæ, & aliæ res ſupernaturales, ut tales, ſunt objecta credibilia; ergo non ſunt naturaliter attingibilia, ſed ſupernaturaliter, ſcilicet per actus fidei, alioqui fides non eſſet actus ſupernaturalis in ſubſtantia, nec neceſſaria ad illa myſteria cognoſcenda, quod nullus admittet.

Reſp. neg. conſ. & rationem ejus. Nam exiſtentia Dei eſt objectum fidei, & ſimul ſcientiæ naturalis.

Objic. 5. Si myſteria gratiæ eſſent naturaliter cognoſcibilia ab Angelo, cognoviſſet naturaliter incarnationem; ſed conſ. eſt falſum, & contra Scripturam, & Patres; ergo & ant. maj. patet. Non enim eſt major ratio de aliis, quàm de iſto. Prob. min. nam Angeli deſcribuntur ignorantes Chriſtum, cùm ſtupentes clamant, *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Et, (1) *Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus?* &c. Et de viſione beata dicit Apoſtolus, (2) *Quod oculus non vidit*, &c. Et de Euchariſtiæ Sacramento dicit Damaſc. (3) *Verè ſpiritus operatio hæc, quæ ſupra naturam ſunt, operatur, quæ non poteſt capere niſi ſola fides*.

Reſp. neg. maj. & conſ. Nec enim dicimus, omnia prorſus myſteria gratiæ, vel res ſupernaturales poſſe ab Angelo naturaliter cognoſci. Plurima excipiuntur, ut unio hypoſtatica, remiſſio peccatorum, &c. Nam, inquit Scotus, *quædam dicunt ordinem Trinitatis, ut condonatio peccati, quæ eſt actus internus Dei*, &c. Quantùm ad illos textus, ſi loquantur de Chriſto, & Angelis, illi actus venire dici poſſunt ab exceſſu lætitiæ, & laudis, non ab ignorantia; & Apoſtolus loquitur de oculo corporeo, vel ſpirituali in ſtatu vitæ hujus mortalis. Sed de hoc aliàs, ubi de cognoſcibilitate incarnationis.

Objic. 1. con. 2. p. Non eſt potior ratio de aliquibus ſupernaturalibus, quàm de omnibus; ergo ſi aliqua ſunt naturaliter cognoſcibilia, ita & omnia. Prob. ant. Omnia conveniunt in ratione ſupernaturalitatis; ergo quoad hoc omnia ſunt paria, & ejuſdem ordinis, & cognoſcibilitatis.

Reſp.

[1] *Iſ.* 63. [2] 1. *Cor.* 2. *l.* 4. [3] *c.* 5.

Reſp. neg. utrumque ant. 1. quia alia eſt ſupernaturalitas quoad ſubſtantiam, & ſimpliciter, alia quoad modum, & ſecundum quid, ut diximus aliàs. 2. ex Scoto: (1) *Ens limitatum eſt naturale objectum intellectus creati, ſed entitas limitata in ſe, quæ eſt eſſentialiter ad alterum illimitatum, non eſt naturaliter intelligibilis ab intellectu creato, ſicut nec terminans, ſine quo nec ipſa intelligi poteſt*. Quia ergo unio hypoſtatica, viſio beata, incarnatio, remiſſio peccati, & ſimilia dicunt relationem ad Deum infinitum, licèt in ſe ſint finita, & creata, ideò naturaliter cognoſci non poſſunt ab ulla creatura. Non ita eſt de aliis multis rebus ſupernaturalibus.

## QUÆSTIO III.

### *De medio cognitionis Angelicæ, ſeu de ſpeciebus Angelicis.*

DE ſpeciebus intellectualibus fusè diximus in Philoſophia, ſicut & de cognitione *intuitiva*, & *abſtractiva*, & de intellectu *agente*, & *poſſibili* etiam in Angelis; quæ hìc non repetemus. Reſtat quærendum, an, & quales ſint ſpecies, quibus mediantibus Angeli objecta intelligunt tam materialia, quàm ſpiritualia, abſentia, præterita, præſentia, futura, & poſſibilia, per cognitiones abſtractivas, vel intuitivas, & an ſpecies illas habeant à Deo infuſas, & ab initio ſibi concreatas, an verò illas accipiant ab aliquibus objectis, an denique illæ ſint univerſales, ita ut unica in entitate plura, vel omnia repræſentent, ut volunt Thomiſtæ, docentes, quòd ſuperiores Angeli acceperint à Deo ſpecies univerſaliores, ita ut per unicam, vel ſaltem per pauciores omnia ſua objecta intelligant. Jam autem habemus, quòd ſe ipſos intelligunt immediatè ſine ſpeciebus mediis, & per ſuam ſubſtantiam. Reliqua paucis concluſionibus reſolvemus.

CON-

[1] *quod.14.a.3.GG.n.24.*

# CONCLUSIO I.

P*Robabile eſt, Angelos ab initio creationis ſuæ acce-piſſe a Deo ſpecies naturarum omnium exiſten-tium, imò & aliquot individuorum in particulari, non tamen omnium*. Ita Scotiſtæ plurimi.

Prob. 1. ex Scoto,[1] *Concedo, quòd Angelus habet aliquam cognitionem, quam non recipit à rebus, ut eſt cognitione vniverſalium;* ergo multa intelligit per ſpe-cies, quas recipit à rebus, vel à Deo, ut ſunt ſpecies univerſalium, quæ Deus fecit, aut facturus erat, cùm illos creavit.

Prob. 2. ex Script. & PP. Nam ſi [2] *Deus creans pro-toparentes, creavit illis ſcientiam ſpiritus, & ſenſu re-plevit corda illorum, & mala, & bona oſtendit eis*, &c. quantò magis Angelos creavit cum illa ſcientia, ut-pote nobiliores, & perfectiores quoad ſubſtantiam? Ideo Patres de Lucifero intelligunt illud Ezechielis, [3] *Cherub... plenus ſapientiâ*. Et ſanctus Dionyſ. do-cet, *rerum rationes, & exemplaria fuiſſe Angelis indi-ta*. Et Auguſt. (4) *Angeli non ſolùm univerſam crea-turam, in qua ipſi ſunt principaliter conditi, in ipſo Dei Verbo priùs noverunt, & deinde in ipſa creaturam, quam prius noverunt, tanquàm infra deſpicientes, vi-dent*; ſc. creaturas non ſolum in Verbo, ſed etiam in ipſiſmet per ſpecies norunt, non quidem ab ejs acce-ptas, quia nondum exiſtebant (ſaltem omnes) ſed in-fuſas à Deo in eorum creatione. Nam, ut dixerat ſu-pra, (5) omnes creaturæ corporales priùs erant factæ in mentibus Angelicis, quam in ſeipſis; ergo tunc non poterant ab eis cognoſci, niſi per ſpecies infuſas.

Prob. 3. Nam, ut dicemus, homo in ſua creatione accepit ſcientiam naturalem rerum creatarum; ergo & Angelus, qui eſt perfectior homine.

Prob. 2. p. Nec enim Probabile eſt, Deum infudiſse Angelis ſpecies omnium individuorum exiſtentium, futurorum, & poſſibilium in ſingulis naturis, imò nec ſpecies omnium naturarum poſſibilium; ergò non acceperunt rerum omnium ſpecies, ſive in indi-viduo, ſive in ſpecie, vel genere. Prob. ant. 1. quia

 innu-

[1] 2. *d.* 3. *q.* 11. *l. n.* 11. [2] *Ecc.* 17. [3] *c.* 28.
[4] 4. *Gen. lit.* 24. [5] *l.* 2. *c.* 18.

innumerabilis eſt illa multitudo, & quaſi infinita. 2. quia plurima ſunt minutiora, quorum notitia non erat neceſsaria, vel decens ſtatum illorum, v. g. quid intereſt, ut habeant ſpecies pulicum, muſcarum? &c. 3. quia nulla auctoritas Scripturæ. aut PP. cogit in eis admittere ſpecies rerum omnium. Imo ex traditione ſcimus, Luciferum, in quo naturales perfectiones remanſerunt, multa ignorare, & in dies de novo diſcere ab aliis, qui extra infernum, & in aere remanſerunt.

Dixi *probabile*, Neque enim ejus rei certitudinis fundamentum habemus ullum ex definitione, vel traditione Eccleſiæ, neque ex Scriptura, neque ex ratione evidenti.

Objic. 1. con. 1. p. Fundamenta, quæ adducimus ex Scriptura & Patribus ſunt clara, & efficacia; ergo faciunt certitudinem, quòd ſicut omnia norunt, ita & ſpecies rerum omnium acceperint concreatas, alioqui Lucifer non diceretur creatus *plenus ſapientia*, *& decore*, ſi defuiſſet ei ſcientia ullius rei.

Reſp. neg. ant. & diſt. prob. Non fuiſſet creatus plenus ſcientia naturali rerum omnium, conc. Plenus ſapientia, & decore, ſive in ſcientia naturali rerum, quæ decebat ſtatum ejus, & decore ſupernaturali gratiæ, quantum ſufficiebat ad promerendam gloriam proportionatam, neg. ant. & conſ. Scriptura loquitur de iſta plenitudine ſapientiæ, & de iſto decore, non de illo. Deinde plenitudo illa ſapientiæ ſignificat ampliſſimam, & maximam ſcientiam, non autem omnem prorſus poſſibilem.

Inſt. Habuiſſet ignorantiam multarum rerum, ſc. earum, quarum ſpecies non accepiſſet; ergo non diceretur plenus ſapientia.

Reſp. diſt. conſeq. Plenus omni ſapientia poſſibili, conc. omni ſapientia convenienti, neg. conſeq. Neque enim decebat eum alia plenitudo ſcientiæ.

Reſp. 2. neg. ant. Nam ignorantia propriè dicitur de carentia ſcientiæ convenientis, & maximè in eo, qui non habet aptitudinem ad promptè, & perfectè acquirendam ſcientiam convenientem. Neutra deerat Lucifero, nec aliis Angelis. Alias objectiones videbimus infrà.

CON-

## CONCLUSIO II.

*Species, quas habent Angeli ab initio creationis, non ſunt illis congenitæ velut proprietates inſeparabiles, & manantes ab eorum eſſentia, licèt ſint in aliquo ſenſu connaturales.* Ita Scotiſtæ, & alii.

Poob. 1. ex Scoto, (1) qui docet, Angelos aliquas cognitiones accipere à rebus, & plures illis deeſſe, ut cognitio poſſibilium, & ſecretorum cordis; ergo ſpecies earum rerum non ſunt ita illis congenitæ, alioqui non poſſent illas de novo acquirere, nec iſtis carere.

Prob. 2. Species, & cognitiones, quas habent Angeli, non debent magis eſſe illis congenitæ, quàm illæ, quas non habent, ſed poſſent habere; ſed iſtæ non ſunt illis ita congenitæ, ut fluant ab eorum eſſentia; ergo nec illæ. Prob. min. Homo non poteſt carere riſibilitate, quia manat ab ejus eſſentia, ut proprietas ejus; ergo nec Angeli poſſent eſſe ſine illis ſpeciebus. Et prætereà, quia illæ ſpecies ſunt infinitæ.

Prob. 3. Si ex ſe haberent ſpecies omnium rerum, haberent etiam omnes cognitiones earundem, non enim eſt major ratio, cur ipſi emanent ſuas ſpecies, quàm ſuas cognitiones, ſicut quia Sol habet ex ſe lucem, ita & quòd luceat, & ignis, quòd calefaciat: ſed Angelus ex ſe ſolo non poteſt producere omnes cognitiones; ergo nec emanat ſuas ſpecies.

Prob. 2. p. Per *connaturale* intelligo qualitatem, & perfectionem ordinis naturalis, quæ cedit in ſubjecti bonum, quatenus per eam Angelus commodiùs, & faciliùs cognoſcit objecta, quorum habet ſpecies, non verò qualitates ita debitas, ut negari Angelis non poſſent ſine miraculo, vel violentia, ut dicebam de Sole, ſi non haberet lucem, aut de igne, ſi non haberet calorem; ſed in illo primo ſenſu ſpecies illæ ſunt verè ordinis naturalis, & commodæ, ac convenientes Angelis, ergo ſunt verè illis connaturales in hoc ſenſu.

Objic. 1. Si ſpecies illæ non manarent ab eſſentia Angeli, eſſent ei ſupernaturales, & miraculoſæ: ſed

P 2 conſ.

[1] *ibid.*

conſ. eſt falſum; ergo ſunt ingenitæ Angelo. Prob. maj. Producerentur à Deo, ut authore gratiæ, non naturæ, ergo &c.

Reſp. neg. mai. & ant. prob. Albedo non manat ab eſſentia parietis, nec producitur miraculosè. Unde cùm Deus producit aliquid in rebus, quod earum naturæ convenit, nec elevat eas extra ordinem rerum naturalium, licèt forte modus eas producendi ſit extraordinarius, non deſinit eſſe illis connaturale, ſaltem quoad ſubſtantiam, nec Deus tunc agit, ut auctor gratiæ.

## CONCLUSIO III.

*Angelus non habet ſpecies omnium rerum, quas intelligit, ſc. non eget ſpeciebus ad intuitionem rerum ſufficienter præſentium, ſed ſolùm ad cognitionem abſtractivam abſentium, v.g. præteritorum, aut futurorum, aut poſſibilium*, (loquor de ſpeciebus impreſſis.) Eſt communior.

Prob. 1. ex Scoto, (1) quoad utramque partem. *Dico, quòd Angelus quamlibet quidditatem aliam à ſe, & ſuam, & ſe ipſum poteſt cognoſcere per eſſentiam, quando cognoſcit cognitione intuitiva. ſc. ſub ratione, qua præſens eſt in exiſtentia actuali, & poteſt cognoſcere per ſpeciem, quando cognoſcit eam cognitione abſtractiva*; ergo ex Scoto Angelus quædam intelligit immediatè ſine ſpeciebus, ea ſc. quæ cognoſcit intuitivè, & quædam per ſpecies, ea ſc. quæ cognoſcit abſtractivè. Nam inquit, [2] *cognitio, quæ poteſt haberi de re ipſa non exiſtente in ſe, non poteſt haberi, niſi per rationem repræſentantem ipſam*, ſc. per ſpeciem.

Prob. 2. Species ſunt repræſentationes, & vicariæ objecti, ſupplentes abſentiam ejus ex Philoſophia; ergo quando objectum eſt ſufficienter præſens, & proportionatum potentiæ, iſta non eget ſpeciebus vicariis, ut objectum cognoſcat, benè verò, quando illud eſt abſens, aut improportionatum. In 1. caſu cognitio dicitur *intuitiva*, & in 2. *abſtractiva*. Prob. ant. Nam ab objecto, & potentia paritur notitia, ut à duabus cauſis partialibus; ergo omne objectum debet concurrere ad ſui cognitionem per ſui præſentiam rea-

[1] *d.4. q.10. G. n.16.* [2] *ibid.*

realem, & immediatam ſine ſpecie vicaria, vel mediatam, & per ſui vicariam ſpeciem.

Confir. Nam ſicut Angelus non intelligit actu omnia poſſibilia, nec futura omnia, quæ nullam habent actualem exiſtentiam, debet determinari ad cognoſcenda illa, quæ intelligit præ aliis, per aliquid illa repræſentans; ergò per ſpecies; ſed hoc non eſt neceſſe pro rebus ſatis præſentibus per ſe ipſas; ergo pro iſtis non habet ſpecies.

Dices. Saltem non eget ſpeciebus pro rebus ullis exiſtentibus. Nam poteſt videre omnia in quacunque diſtantia.

Contrà. Scriptura docet contrarium de Satana, qui dicit, [1] *Circuivi terram, & perambulavi eam*, & Deus ab eo quęrit. *Nunquid conſideraſti ſervum meum Job?* &c. & de illo dicit Chriſtus, *Cum exierit Spiritus ab homine, ambulat per loca, quærens requiem, & eam non inveniens revertitur*, ergo Dæmones non vident in omni diſtantia, alioqui fruſtrà eſſet circuitio, &c.

Objic. contra 1. p. Si Angelus cognoſceret res immediatè ſine ſpecie, maxime ſe ipſum, aut alium Angelum, aut res ſpirituales, aut materiales; ſed nullum horum dici poteſt; ergo nihil agnoſcit ſine ſpeciebus. Prob. min. 1. non ſeipſum, alioqui ſubſtantia illius, aut alterius informaret intellectum ejus; & ſemper eſſet in actu intelligendi ſe, quod dici non poteſt. 2. Idem eſt de alio. Et præterea ſubſtantia ſuperioris non comcenſuratur intellectui inferioris, objectum verò, & potentia debet commenſurari: ſubſtantia ſuperioris eſt ſpiritualior, ſicut & perfectior. 3. non alias res ſpirituales ob eandem rationem. Nam iſtæ ſunt vel altioris, vel inferioris ordinis; & ſic non ſunt commenſuratæ. 4. non materiales. Nam potentia ſpiritualis non poteſt pati à re materiali; ergo ad omnes cognitiones eget ſpeciebus.

Reſp. neg. min. cujus falſitas quoad 1. & 2. p. ſufficienter patet ex dictis quæſt. præcedenti, nec requiritur commenſuratio entitativa inter potentiam, & objectum, ut ſæpe diximus. Idem eſt de 3. Cur enim Angelus non videbit animas; aut cur animæ ſeparatæ non videbunt Angelos? Et præterea ſaltem



[1] *Job.* 1.

*cere , in cognitione rerum , & hoc accipiendo notitiam à rebus actualem* , &c. Quod probat efficaciter , 1. quia ſpecies infuſæ repræſentant naturas potiùs univerſales , quàm ut ſingulares , 2. quia licet eas repræſentarent in individuo , adhuc præſcindunt ab exiſtentia , ſeu non repræſentant eas ut exiſtentes . 3. quia ſi omnis cognitio Angeli eſſet per ſpecies , nulla eſſet intuitiva , &c.

Prob. 2. ex Script.& Patribus , quibus conſtat Angelos multa didiciſſe de novo circa incarnationem.[1] *Miſit me* (Deus ) *illuminare omnes , quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſæculis, ut innoteſcat Principatibus , & Poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam,* &c. *ergo myſterium iſtud ignorabant Angeli* , inquit Chryſoſt. (2) *Nam ſi Principatus ignorabant , multò magis Angeli* . Ideò Paulus dicitur [3] *Angelorum Evangeliſta* . Et , ut loquitur Ambroſ. *Deus Paulum non ſolùm Magiſtrum dedit gentibus , ſed etiam Angelis* . Et S. Cyrill. *Paulo prædicante Evangelii myſteria didicerunt Angeli*; ergo Angelus acquirit novas cognitiones ; ergo habet ſpecies alias , quàm infuſas.

Confir. ex dictis de Lucifero , concluſ.1. 2. & 3. quippe dicitur multa ignota didiciſſe .

Prob. 3. quia Angelus habet intellectum agentem, & poſſibilem,ſicut & nos, imò & longè perfectiorem , & quod eſt in nobis perfectio , à fortiori eſt in Angelo ; ſed intellectus noſter poteſt de ſe acquirere ſpecies , & cognitiones , quas non habet , & hoc eſt perfectio , ergo à fortiori Angelus . Mai. patet ex Philoſophia , ubi probata eſt .

Prob. 4. Objecta materialia , & ſpiritualia poſſunt cauſare ſpecies ſui in potentiis cognoſcitivis ; ergo & in intellectu Angeli . Ant. patet experientia noſtra . Nam in ſtatu viæ , & ſeparationis cognoſcit utraque objecta intellectus noſter , & nunc accipit ſpecies ab objectis materialibus per phantaſmata , quæ materialia ſunt . Et hæc dependentia ab his phantaſmatibus eſt accidentalis , & probabiliter pœna peccati . Prob. conſ. Nam res omnes materiales , & ſpirituales ſunt de ſe intelligibiles ; ergo poſſunt concurrere ad ſui cognitionem cum potentiis intellectivis , alio-

P 4

[1] *Eph.* 3. [2] *Ibid.*
[3] *Ibid.*

alioqui fruſtra eſset ulla intelligibilitas. Ad quid enim deſerviret, ſi de ſe non poſrent magis concurrere ad ſui intellectionem, quàm ſi eam non haberent?

Prob. 5. rationibus Scoti. Nam Angelus cognoſcit Petrum, & Paulum non ſolum ut homines.ſed etiam per rationes eorum individuales *petreitatis*, & *pauleitatis*, & ut hic, & nunc exiſtentes cum omnibus accidentibus, & circumſtantiis actualibus, & quidem intuitivè; ſed hæe non cognoſcunt per ſpecies, nec ſciebant ante 30. aut 50. annos, quia tunc fortè non exiſtebant; ergo per ſpecies ab eis acceptas, & de novo. Prob. min. Species univerſales, quas ſuſtinent Thomiſtæ, non repræſentant, niſi quidditates, ſeu naturas rerum, in quibus conveniunt omnia individua humana; & quamvis repræſentarent etiam individua, non tamen ut exiſtentia hic, & nunc, neque ut præterita, vel futura, ſed præcisè ut indifferentia ad exiſtere, vel non, & denique licèt repræſentarent ut exiſtentia, vel præterita, aut futura, adhuc illæ ſpecies non cauſarent cognitiones intuitivas, & ſic Angelus non poſset cognoſcere intuitivè Petrum, & Paulum, nec alium Angelum; ergo, &c.

Prob. 6. Angelus poteſt creari ſine ſpeciebus ullis, aut ſine omnibus; ergo poſset acquirere cognitionem rerum, quarum non haberet ſpecies; ergo non repugnat Angelo accipere ſpecies, & cognitiones à rebus etiam materialibus. Ant. admittitur à pluribus adverſariis; nec poteſt oſtendi, unde repugnet. Prob. 1. conſ. ex ſolutione objectionum, ſeu repugnantiarum, quæ objiciuntur. 2. quia non poſſet aliter illa cognoſcere, quàm per ipſamet objecta. Vel dicendum eſset 3. quia intellectus ejus eſset deterioris conditionis, quàm noſter, qui ex ſe poteſt acquirere cognitiones, & ſpecies, quæ illi deſunt.

Objic. 1. ex Script. Lucifer dicitur creatus *plenus apientia*, & *perfectus decore*; ſed hoc non eſset verum, ſi poſset accipere novas cognitiones à rebus; ergo non poteſt.

Reſp. ut ſuprà, neg. min. Dato enim, quòd hic locus ſit de Lucifero in ſtatu viæ, ſufficit ad illam plenitudinem, quòd tunc acceperit omnem ſcientiam con-

convenienter illi ſtatui ad merendum,aut peccandum, & præſertim cognitionem naturarum exiſtentium, & futurarum, ut diximus. Certè quoties Scriptura tribuit aliquam plenitudinem, v.g. gratiæ,aut ſapientiæ, non ſemper loquitur in rigore de omni gratia, aut ſcientia poſſibili, ſed de valde magna.

Inſt. 1. Si non habuiſset omnes ſpecies, etiam ſingularium,ignoraſset infinita; ergo non diceretur verè *plenus ſapientia*,quia plura ignoraſset, quàm ſciviſset.

Reſp. diſt. ant. Si non habuiſset omnes ſpecies, & notitias condecentes ſtatum ejus, ignoraſset infinita ſcitu neceſsaria, vel decentia, con. ſi habuiſset omnes notitias convenientes illi ſtatui,neg.ant. & conſ. Ignorantia non dicitur propriè, niſi de neſcientia eorum, quæ debent ſciri. Alioqui dicendum eſset, Angelum in creatione accepiſse ſcientiam omnem omnium poſſibilium, & ſic infinitam ſapientiam, quod nemo dixerit.

Inſt. 2. Si non habuiſset ſpecies ſingularium, non habuiſset prudentiam, nam hæc verſatur circa ſingularia; ergo non fuiſset verè plenus ſapientia.

Reſp. eodem modo, Si non habuiſset ſpecies ſingularium convenientes ſtatui ſuo, non habuiſset prudentiam ſimiliter convenientem, con. ſi non habuiſset omnes omninò ſpecies omnium, neg. ant. & conſ. Nam ad eam plenitudinem ſufficiebat habere notitiam omnium agendorum pro illo ſuo ſtatu, ut ſc. perveniret ad finem ſuum.

Objic. 2. Niſi Angelus accepiſset ſimul omnes ſpecies, & notitias, fuiſset, ut homines, habens ſuas ætates, ſc. infantiæ, adoleſcentiæ, virilitatis, & ſenectutis, in quibus gradatim creſceret ſapientia; ſed hoc falſum eſt; ergo omnia ſcivit ſimul, & nihil de novo ſcire poteſt.

Reſp. neg. maj. Nam ſufficit, quòd ab initio habuerit omnem ſcientiam congruentem ſtatui ſuo. Imò ipſi adverſarii agnoſcunt in illo aliquem profectum quoad cognitiones actuales. Nam cum illis ſpeciebus univerſalibus adhuc actu non intelligit omnia, ſed ſolum in tempore, quo exiſtunt. Sufficit ergo,quòd Angelus in ſua creatione acceperit vires completas intellectus, & voluntatis, & notitias omnes ſtatui ſuo congruentes, quod non habet ho-

tio; ſed gradatim, & cum labore vires acquirit, & notitias.

Objic. 3. Si unus Angelus produceret ſui ſpeciem in alio, id faceret liberè, vel neceſsariò, ſeu naturaliter; ſed neutrum dici poteſt; ergo nec illud. Prob. min. 1. non liberè, quia omne agens liberum habet dominium ſui actus; ſed hoc non habet Angelus reſpectu ſpeciei cauſatæ in alio, alioqui poſset impedire ſui viſionem ab alio licèt præſente, & in loco, ubi poſset videri. 2. non neceſsariò. Nam ſicut poteſt impedire, ne alter videat cogitationem ſuam, ita & ne videatur ab ipſo; quòd abſurdum eſt; ergo &c.

Reſp. neg. min. Nam objectum ſuppoſita debita præſentia potentiæ eſt cauſa naturalis quoad emiſſionem ſpeciei. Et ſic Angelus ſufficienter præſens alteri non poteſt impedire, ne ille videat ipſum; ſicut & in noſtra ſententia, non poſset illi occultare ſuam cogitationem, ſi Deus ei permitteret talem viſionem; ipſamet cogitatio emitteret neceſsariò ſui ſpeciem, ſi Deus concurreret.

Objic. 4. *pro rebus materialibus*. Res materialis non poreſt cauſare rem ſpiritualem; ſed ſpecies, & cognitio Angeli ſunt ſpirituales; ergo non poſsunt cauſari ab objectis materialibus. Mai. patet. Nam res ſpiritualis eſt altioris ordinis, quam materialis, & nullus effectus ſuperat cauſam ſuam. Prob. min. Nam ſpecies tam impreſsæ, quàm expreſsæ, & cognitiones recipiuntur in intellectu Angeli, qui eſt purè ſpiritualis; ſed accidens purè materiale non poteſt nanaturaliter recipi in ſubjecto ſpirituali, vel è contra; ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Non poteſt cauſare ſpiritualem ſe ſola, & ut cauſa totalis, aut principalis, con. ut cauſa partialis, & minùs principalis, neg. maj. & prob. ejus. Nam in homine objectum, & phantaſmata ſunt materialia, & concurrunt ad cognitionem ſpiritualem.

Inſt. In homine ideò obiectum materiale cauſat cognitionem in intellectu mediante phantaſmate, quia per phantaſiam depurantur ſpecies, & quaſi ſpiritualizantur, & intellectus agens adhuc magis depurat; ſed in Angelo non eſt phantaſia, nec intellectus agens;

agens; ergo nequit recipere ſpecies ab objecto materiali.

Reſp. neg. maj. Nam, ut diximus, dependentia intellectus humani a phantaſmatibus non eſt neceſſaria ſed pœna peccati, & quod ſpecies,ſeu phantaſmata ſint magis, aut minùs depurata, non tollit materialitatem abſolutam, nec mutat eſſentiam eorum;ergo ſi non repugnat phantaſmati depurato,ſed adhuc materiali cauſare cognitionem ſpiritualem partialiter, id non repugnat rei abſolutè mareriali.

Conſtat ergo intellectum Angeli poſſe, imò & de facto recipere ſpecies, & cognitiones novas à rebus exiſtentibus, etiam corporeis.

## QUÆSTIO IV.

### *Quales ſunt ſpecies Angelicæ, an ſint particulares, an verò univerſales.*

POſito, quòd admittantur in intellectu Angeli ſpecies rerum, quas abſtractivè cognoſcit, & quòd plurimæ, ac principales ſint illi concreatæ, de iſtis famoſa eſt quæſtio, maximè inter nos, & Thomiſtas, an ſint univerſales, ita, ut unica in entitate repræſentent plures diverſas naturas, etiam non ſubordinatas, v.g. hominem, bovem, ſerpentem, lapidem, &c. imò unica poſſit ſufficere pro omnibus cognoſcibilibus, an verò pro ſingulis naturis requirantur ſingulæ ſpecies.

Dico, *non ſubordinatas*. Nam ſuppono ex Philoſophia,poſſe cognoſci plures naturas ad invicē ſubordinatas, & univerſales per ſpeciem unius particularis, & minùs univerſalis. verb. grat. per ſpeciem hominis poſſunt repræſentari naturæ animalis, viventis,& ſubſtantiæ,de quo non eſt dubium,quia hi omnes gradus entis ſunt realiter in homine.

Suppono etiam, ſpeciem rei eſſe ejus ſimilitudinem, non formalem, ſed virtualem, quatenus cauſare poteſt cum intellectu cognitionem rei, cujus eſt ſpecies, non autem ſic repræſentat eam rem formaliter, ſicut imago, vel ſpecies in ſpeculo, quæ priùs viſa in ſe facit cognoſcere rem ipſam. Species igitur, ut talis, eſt quidem ratio, *qua*, non autem

*quæ* videndi objectum; facit illud videre; cùm ipſa non videatur. Si ſpecies eſſet ſimilitudo formalis rei, difficilius eſſet ſuſtinere univerſalitatem ejus. Nam videtur implicare, quòd formalis imago bovis, aut aſini repræſentet hominem, &c. Quidquid ſit de hac difficultate.

## CONCLUSIO.

*Species Angelicæ non ſunt univerſales, ſed particulares ita, ut pro ſingulis naturis, imò & individuis, quæ cognoſcunt abſtractivè, dentur in eis ſpecies propriæ.* Ita Scotiſtæ, & alii contra Thomiſtas, & alios.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui, poſtquam refutavit opinionem de univerſalitate ſpeciei, dicit, *Ad quæſtionem concedo concluſiones quatuor primarum rationum, quæ probant, quòd Angelus ad cognoſcendas diſtinctas quidditates habeat diſtinctas rationes cognoſcendi.*

Prob. 2. ex eodem; quia ſicut una ſpecies poſſet repræſentare plures naturas diverſas, ſic poſſet omnes; ſed conſeq. eſt falſum, & abſurdum; ergo & ant. Patet maj. Non enim magis repugnat unam repræſentare mille, aut centum millia, quàm aliam 20. aut 100. & ſic unica poſſet repræſentare omnes, & ſic, quando infimus Angelus cognoſceret per unam ſpeciem 20. naturas (ut volunt adverſarii) ſupremus poſſet cognoſcere omnia per unicam. Prob. min. ſcilicet hoc eſſe abſurdum. Nam ſequeretur, illam unam ſpeciem, quæ repræſentaret omnia intelligibilia, eſſe infinitam; ſed hoc eſt abſurdum; ergo & quòd unica repræſentet omnes naturas. Prob. maj. Nam poſset repræſentare infinitas entitates, quia ſunt poſſibiles infinitæ, & omnes ſunt intelligibiles, ſunt poſſibilia infinita individua, ſaltem ſyncategorematicè; ergo ſpecies repræſentans omnia intelligibilia eſſet infinita. Prob. conſ. Species repræſentans duas res eſt perfectior repræſentante unicam; ergo repræſentans infinitas eſset infinitè perfectior. Nam ubi pluralitas numeralis notat perfectionem, major pluralitas notat majorem perfectionem.

Confir.

[1] 1. *d.* 3. *q.* 16. *F. n.* 8. *&* 16. *& d.* 9. *n.* 10.

Confir. Eſſentia Dei eſt infinita, quia eſt repræſentativa omnium intelligibilium; ergo ita eſſet de illa ſpecie.

Dices 1. quòd licèt poſſibilis ſit una, quæ plura repræſentet, non tamen, quæ omnia intelligibilia, propter infinitaté,quæ repugnat.2. Quòd licèt intellectus idē poſſit intelligere omnia intelligibilia, non ideò tamen eſt infinitus; ergo nec illa ſpecies repræſentans omnia, maximè, quia hæc non eſt cauſa principalis intellectionis, benè verò intellectus.

Contra. 1. Sicut datur ſpecies una, quæ repræſentet 20. naturas, ita poſſibilis eſt alia, quæ repræſentet centum, alia mille, & ſic in infinitum, ita, ut non poſſit dari ultima, ultra quam non ſint poſſibiles aliæ, & aliæ perfectiores in infinitum, quæ plura repræſentent, imò & infinita, ſi ſint poſſibilia; ergo & illa ſpecies erit poſitivè infinita, quæ poterit plura, & plura repræſentare. Prob. conſ. Potentia Dei eſt infinita, quia poſſet producere infinita, ſi hæc eſſent poſſibilia; ergo idem eſſet de illa ſpecie.

Contra 2. Intellectus per eandem virtutem cognoſcit omnia, ſive perfecta, ſive imperfecta; ſpecies autem repræſentans tria debet cōtinere aliquid ſingulorum, ſaltem repræſentativè, & quò perfectiora ſunt iſta,& plura, eò perfectior eſt ſpecies;non ita eſt de intellectu, qui nihil eorum continet.

Prob. 3. quia licèt illa ſpecies plura repræſentans non implicaret, adhuc eſſet inutilis Angelo, qui connaturaliùs intelligit per ſpecies ſingulares; ergo non eſt admittenda. Prob. ant. 1. quia ſpecies ſingularum rerum, quas debet cognoſcere, ſufficerent, & magis convenirent, maximè, cùm poſſit plures ab ipſis objectis accipere, quæ non poſſunt eſſe niſi ſingulares; ergo illæ univerſales quoad hæc eſſent ſuperfluæ. 2. quia quoad infuſas ſpecies, Deus per eas ſupplet vices objectorum; ſed ſingula objecta cauſarent ſingulares ſpecies; ergo & Deus ita ſupplet per ſpecies ſingulares. 3. quia per illam ſpeciem repræſentantem plura, vel omnia, deberet Angelus illa plura, vel omnia ſimul cognoſcere, quia per illam æquè omnia, & ſingula illi applicantur, & tam intellectus, quàm illa ſpecies ſunt agentia neceſſariò, agens verò neceſ-

ſarium

ſarium, & naturale ſemper agit, quantùm poteſt; ergo Angelus convenientius, & connaturalius intelligit per ſpecies particulares, & proprias ſingulis objectis, quia ſic vitantur illa inconvenientia, quæ vix ſalvant aſſertores ſpecierum univerſalium.

Prob. 4. Quod eſt ratio cognoſcendi plura, habet unum objectum adæquatum, in quo illa plura perfectè contineantur; ſed nulla una ſpecies habet tale objectum, quia nihil creatum plures naturas virtualiter, aut formaliter, vel eminenter continet; ergo nulla datur ſpecies una univerſalis, ſeu quæ plura repræſentet; Prob. maj. Nihil eſt ratio cognoſcendi aliud perfectè, niſi ſit ipſa eius quidditas, vel eam contineat; ergo quod eſt ratio cognoſcendi aliud, debet illud aliquo modo continere ut unum objectum

. Alias rationes vide apud Scotum, & Scotiſtas.

. Objic. 1. poteſt dari aliqua una ſpecies plura repræſentans; ergo datur in Angelis; quia non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate, nec debent fieri per plura, quæ poſſunt per pauciora. Prob. ant. Non repugnat cauſa univerſalis, quæ plura cauſet, nec una potentia, quæ videat, idem intellectus omnia intelligit &c. ergo nec implicat ſpecies, quæ plura repræſentet. Prob. conſ. Species cauſat cognitionem efficienter, non formaliter, denique nulla poteſt dari repugnantia, ergo &c.

Reſp. 1. neg. ant. ob rationes concluſionis. Nam ſicut repugnat bovem repræſentare muſcam, ita repugnat ſpeciem muſcæ repræſentare bovem. Neg. etiam conſ. prob. Et diſparitas eſt, quia, ut dicebamus, intellectus intelligit omnia per eandem vim, muſcam, & bovem, & illæ cognitiones non ſpecificantur ab intellectu, ſed ab objectis, & ſpeciebus eorum; ergo iſtæ debent eſſe diverſæ.

Reſp. 2. neg. conſ. & ad prob. dico 1. non omne poſſibile neceſſariò eſſe, ideò licet illæ ſpecies non implicarent, adhuc non probaretur, eas exiſtere in Angelis. 2. patet neceſſitas multiplicationis ſpecierum ex rationibus concluſionis, v. g. ex difficultate concipiendi, quomodò eadem ſpecies, ſeu imagò poſſit repræſentare diſſimilia, v. g. album, & nigrum, &c.

Objic.

Objic. 2. Species Angelicæ emanant ab ideis Divinis, ut ab exemplaribus; ſed ideæ ſunt una ſimpliciſſima entitas repræſentans omnia in Deo; ergo & iſtæ ſpecies.

Reſp. diſt. min. Una ſimplex entitas realiter, & infinita, con. una formaliter, & finita, neg. min. & conſ. Sicut entia omnia creata emanant exemplariter ab Eſſentia, & ideis Divinis, & tamen ſunt realiter plura, & finita; ita eſt de his ſpeciebus, quæ ſunt finitæ etiam in repræſentando.

Inſt. per nos poſſibilis eſt ſpecies impreſſa, & expreſſa Eſſentiam Dei quidditativè repræſentans; ſed talis ſpecies, ſicut & ipſa eſſentia, licèt una, repræſentat omnia, nec ideò dicitur infinita; ergo ita erit de ſpeciebus Angelicis.

Reſp. neg. parit. quæ ſupponitur in majori. Nam Eſſentia Dei eſt poſitivè infinita tam in eſſendo, quàm in repræſentando, idem eſt de ideis, & continet virtualiter eminenter omnia; ſpecies autem illa quæcunque poſſibilis repræſentaret Eſſentiam Dei finitè, & quidem quidditativè, ſed non comprehenſivè; ſpecies verò Angelicæ ſunt de rebus creatis diſparatis, quarum una non eſt ratio cognoſcendi alias. Denique exemplatum non eſt ſemper in omnibus exemplaribus, ut patet de ipſis creaturis reſpectu Eſſentiæ, & idearum Divinarum, à quibus diſtant infinitè.

Objic. 3. Idem principium volendi ſufficit ad actus diverſiſſimos in voluntate, nam eadem gratia actualis ſufficit ad omnes actus virtutum: ergo & in intellectu eadem ſpecies ſufficiet, ut comprincipium ad diverſas cognitiones.

Reſp. neg. conſ. & parit. quia volitiones non ſpecificantur præcisè à voluntate, nec gratia actuali, nec iſta ſe habet ut cauſa formalis, ſed purè effectiva reſpectu actuum virtutis, benè verò ſpecies, & objecta, quorum vices agunt, ſc. ſpecificant actus voluntatis, & intellectus, qui hæc illi oſtendit, ſpecies, inquam, concurrunt effectivè ad actus intellectus, & utcunque formaliter, & maximè in voluntate.

Objic. 4. Datur ſpecies expreſſa repræſentans plura; ergo non implicat impreſſa repræſentans etiam plura

plura diſtincta. Prob. ant. Eadem viſio corporea diſtinctè repræſentat lucem, colores, & quantitatem, magnitudinem, parvitatem, figuram, & alia objecta prorsùs diſparata; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. Plura ſubordinata, & per modum unius, con. plura non ſubordinata, & per modum plurium, neg. ant. utrunque. Nam color, lux, figura & ſunt inter ſe ordinata, & unita in corpore viſo.

Objic. 5. Angelus eſt perfectiſſimè intellectivus; ergo intelligit per media perfectiſſima; ſed ſpecies maximè univerſales ſunt media perfectiſſima in eo genere intellectivitatis; ergo Angelus intelligit per ſpecies univerſales. Prob. ſubſumptum. Quò medium, ſeu virtus eſt unitior, eò perfectiùs agit; ſed ſpecies univerſalior eſt unitior; ergo perfectiùs agit; ergo Angelus per eam perfectiùs intelligit.

Reſp. neg. ſubſumptum, & min. prob. Nam ſpecies univerſalior potiùs divideretur, & debilitaretur per reſpectum ad plura objecta, & per concurſum ad diverſos actus. Unitas virtutis in hoc axiomate non attenditur penes entitatem agentis, vel ſubjecti in quo eſt, ſed potiùs penes unitatem actionis, vel applicationis ad unum. Intellectus ipſe reſpiciens ad plura objecta quaſi multiplicatur, & debilitatur per illas viſiones; licèt in ſe ſit entitativè unus: ſingulæ ſpecies, quæ unicum repræſentant objectum, ſunt magis unitæ, & perfectiores cauſant intellectiones.

## CONCLUSIO II.

N*On eſt de ratione ſuperioris Angeli, ut cognoſcat per ſpecies univerſaliores*. Ita Scotiſtæ, & alii plures, etiam ex adverſariis prædictis contra eoſdem Thomiſtas, qui volunt Angelos ſuperiores intelligere per pauciores, & univerſaliores ſpecies, quàm inferiores.

Prob. 1. ex Scoto [1] cit. qui majorem perfectionem ſcientiæ ponit in majori intenſione, & limpiditate, *non autem, quòd una ratio ſit uni ratio cognoſcendi plura, quàm alteri; quia hoc eſt æquale in omni intellectu*.

[1] Nu. 21.

*lectu finito, quòd quilibet reſpectu plurium intelligendorū requirit proprias rationes .... et perfectior intellectus ſimpliciter eſt, qui limpidiùs cognoſcit*, &c. Ideò

Prob. 2. Si aliquid probaret admittendas ſpecies univerſaliores in Angelo ſuperiori, id eſſet propter perfectiorem ſcientiam; ſed hæc ratio non probat; ergo nulla. Prob. min. Ut unus Angelus ſit perfectior, & perfectiorem habeat ſcientiam, non eſt opus, ut in omnibus omninò gradibus, & operationibus ſuperet alium, ſufficit, ut ſuperet in aliquo notabili. Sic homo excedit animalia in ſubſtantia, & in aliqua operatione, non in omnibus, non excedit lynces in viſu, nec cervos in curſu, &c. Sic, ut unus Angelus ſit ſuperior aliis in ſubſtantia, non requiritur, ut per pauciores ſpecies intelligat plura, ſed ſufficit, ut ſit perſpicacioris intellectus, & ut res diſtinctiùs, faciliùs, & clariùs cognoſcat etiam cum æquali lumine.

Prob. 3. Si de ratione Angeli ſuperioris eſſet plura per pauciores, & univerſaliores ſpecies cognoſcere, facilè deveniremus ad unum ſupremum, quo non poſſet excogitari ſuperior; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant. Prob. maj. Facilè eſt excogitari ſpeciem abſolutè unam, v. g. Angelum, qui omnia per ſe immediatè intelligeret, ut Deus: Demus ſupremum, qui omnia de facto cognoſcat per 5. ſpecies, excogitabimus alium, qui per quatuor, & alium, qui per tres, alium, qui per duas, & denique alium, qui per unicam, & tandem alium, qui omnia ſine ſpecie, ſed per ſe immediatè omnia cognoſcat; ergo &c. Idem dici poteſt deſcendendo ad infimum, tandem veniemus ad illum, qui ſingula per ſingulas, & proprias ſpecies, aut illa omnia in ſe ipſis agnoſcat.

Objic. 1. Acutior intellectus plura cognoſcit ex paucioribus principiis, quàm rudior, quia illud profundiùs penetrans plures ex eo deducit concluſiones; ergo pariter Angelus perfectior per pauciores, & ſimpliciores ſpecies; velut ex principiis, plura cognoſcit.

Reſp. neg. conſ. Potiùs hoc videtur urgere adverſarios. Nam hinc patet, quòd idem principium acutiori intellectui detegit plures concluſiones in eo latentes, quàm rudiori. Ita cum eadem ſpecie per-

fectior Angelus plura acutiùs, & clariùs videt, quàm inferior per eandem; alioqui comparatio non valeret, quia idem principium ſupponitur in utroque; ita & eadem ſpecies. 2. diſparitas eſt magna de principio, & ſpecie. Nam concluſiones, quæ deducuntur ex uno principio, habent ordinem, & connexionem neceſſariam cum illo, & inter ſe, & unitatem: at bos, aſinus, muſca, lapis, homo nihil tale habent inter ſe, nec cum illa ſpecie.

Objic. 2. Ex Dionyſio, [1] Angeli ſuperiores habent ſcientiam univerſaliorem, quàm inferiores, ergo & ſpecies univerſaliores. Prob. ant. Nam ſuperiores illuminant inferiores. Et Ariſtoteles [2] dicit, Angelos ſuperiores habere formas univerſaliores; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. Aliud enim eſt, quòd ſuperiores intenſiorem, extenſiorem, & clariorem habeant ſcientiam, & plura cognoſcant, hoc non negamus, aliud, quòd eam habeant per pauciores ſpecies, aut plures, de hoc eſt quæſtio, & hoc negamus. Ad Ariſtotelem dicit Scotus, quòd alia verſio, pro *univerſaliorem* dicit *totalem*, ſeu perfectiorem, intenſiorem, & clariorem, Liber ille, nec auctor non eſt magni ponderis in Theologicis.

Objic. 3. Quò Angelus eſt ſuperior, eò eſt perfectior & immaterialior, & ita eſt de ſpeciebus ejus, & quò iſtæ ſunt immaterialiores, eò plura repræſentant; ergo ſpecies ſuperioris ſunt univerſaliores. Prob. ant. Experientia de ſenſibus particularibus, ſeu externis cum interno, ſeu communi, & de iſto eum intellectu. Nam quia ſpecies externorum ſunt plus materiales, ita ſunt particulares de ſingulis objectis, & ſpecies ſenſus communis ſunt etiam univerſaliores, quia magis depuratæ, & denique quia in intellectu ſunt ſpirituales, ita ſunt univerſales; ergo magis ſpirituales ſunt magis univerſales. Sic Deus ut ſummum ens, & ſummus ſpiritus omnia intelligit uno ſimpliciſſimo actu, & ſpecie, & homo ut infimus intellectualis, ſic intelligit actu, & ſpeciebus ſingularibus; ergo ita eſt de Angelis infimis cum ſuperioribus. Hæc ſunt magna fundamenta Thomiſtarum.

Reſp. neg. 2. p. ant. Nec enim immaterialitas conſiſtit,

[1] *Hierar.* 12. [2] *L. de conſil.*

ſtit, aut juvat ad plura repræſentanda, vel intelligenda, ſaltem præcisè, ſed ad perfectius, acutius, facilius; & clarius. Ideò falſum eſt 2. ant. ſc. quòd ſpecies ſenſus interni, vel intellectus plura repræſentent. Nam ſpecies Petri, Bucephali, Michaelis non repræſentant Paulum, nec aſinum, nec Gabrielem, ſed tantùm repræſentant illa individua perfectiùs intenſivè, prout illæ potentiæ ſunt magis, aut mnùs perfectæ. Senſus internus dicitur communis, non quòd ſpecies ejus ſint communes, ſed quia eſt receptaculum commune ſpecierum, quas à ſenſibus externis, & particularibus recipit. Ita eſt de intellectu reſpectu phantaſiæ. Comparatio de Deo, homine, & Angelo non facit ad rem. Nam, ut dicebam, ad ſuperioritatem Angeli ſupra hominem ſufficit, ut in ſubſtantia, & pręcipuis aliquot dotibus præcellat, licèt non in omnibus. v. g. homo præcellit fęcunditate, qua generat ſibi ſimilem, ut bruta præcellunt in multis ſupra hominem; Deus autem, cùm ſit infinitus ſimpliciter, eſt extra comparationem.

Inſt. 1. Perfectior intellectus debet perfectius intelligere tam extenſivè, ſc. plura, quàm intenſivè, ſc. clariùs; ergo ita eſt de ſpeciebus, quoad ræpræſentationem, ſc. quò ſunt perfectiores, eò plura repræſentant, ſc. extenſivè.

Reſp. diſt. ant. Debet plura intelligere pluribus actibus, con. unico actu, vel ſpecie, neg. ant. Et idem eſt de ſpeciebus. Nec enim aliud requirit major perfectio quoad hoc.

Inſt. 2. Sola claritas, & aliæ perfectiones intenſivæ non diſtinguunt potentias cognoſcitivas; ſed intellectus Angeli ſuperioris, & inferioris diſtinguuntur ſpecie, & perfectione ſubſtantiali; ergo aliunde petenda eſt illorum diſtinctio ſpecifica, quàm ex majori, vel minori perfectione intenſiva cognitionum, & ſpecierum; ergo ex majori extenſione, qua plura uno actu, & una ſpecie intelligunt. Prob. maj. Nam *magis, & minus non variant ſpeciem*.

Peſp. neg. maj. & diſt. prob. Non variant ſpeciem, quando majoritas, & minoritas ſunt accidentales, & non veniunt ex differentia eſſentiali rerum, con. quando ſunt eſſentiales, & veniunt ex rerum diffe-

rentia

rentia eſſentiali, neg. ant. & conſ. Majoritas autem claritatis, & perfectionis intenſivæ potentiarum, & intellectionum Angeli ſuperioris venit ab ejus differentia ſpecifica. Ita eſt de ſpeciebus.

Conſtat ergo ex his duabus quæſtionibus. 1. Angelos intelligere res vel immediatè per ipſas, quando exiſtunt ſufficienter præſentes, aut per ſpecies acceptas ex rebus ipſis,ut cùm exiſtere ceſſarūt,vel à Deo in eorum creatione, aut aliàs, 2. quòd iſtæ ſpecies ſunt particulares, ſicut ipſa objecta, 3. quòd quamvis univerſales eſſent poſſibiles, ita, ut unica in entitate poſsét repræſentare diverſas naturas, vel diſtincta individua unius, vel plurium naturarum, adhuc nulla eſſet ratio illas admittendi de facto, nequidem ſuperioritas eorum ad invicem, ita, ut ſuperiores deberent ſemper, & neceſſariò intelligere per univerſaliores, ſed hoc veniret ex puro Dei beneplacito, vel ex natura illarum ſpecierum.

## QUÆSTIO V.

*De locutione Angelorum, an, & quomodo inter ſe loquantur.*

QUia vidimus, Angelos ſecretas cordium cogitationes non cognſocere naturaliter, neceſſe eſt in eis eſſe aliquem locutionis modum,quo inter ſe,& ad invicem cogitationes. & deſideria ſua notificent. Eſt enim locutio *intelligentis naturæ cogitatio ad notitiam alterius certo indicio producta*. Sic locutio Angelorum nihil eſt aliud, quàm manifeſtatio cognitionis unius ad alterum, quæ aliàs lateret, aut poſſet latere eum, cui fit locutio, & ſic tota eſt intellectualis.

A d locutionem propriam requiritur, 1. ex parte loquentis, ut ſit libera. Unde ſi unus cognoſceret cogitationem alterius naturaliter, aut aliunde, quàm ex libera ejus manifeſtatione, non eſſet locutio. 2. ut conceptus loquentis producat ſpeciem ſui per modum objecti totalis in audiente, ita, ut per eam iſte excitetur ad cogoſcendum conceptum loquentis. 3. ut cauſatio talis ſpeciei, ſeu notitiæ fiat

à lo-

à loquente, ut intelligens eſt. Nam ſi cauſaretur immediatè ab objecto ipſo in intellectu audientis, tale objectum non diceretur loqui, quia ſpecies non veniret ab ipſo ut intelligente. 4. ex parte audientis intellectus ejus debet merè paſſivè ſe habere reſpectu ſignificationis, ſeu ſpeciei, aut notitiæ acceptæ à loquente. Nam ſi eam ipſe produceret, non eſset auditio. 5. illa notitia debet produci totaliter in audiente ab intellectu loquentis cum objecto, ſpecies verò ab objecto voluntarie applicato. 6. ſpecies, vel notitia debet imprimi à loquēte intelligente, ut intelligens eſt, non autem ut objectum naturaliter movens. 7. ut audiens intelligat, quis ſibi loquatur.

## CONCLUSIO I.

A*Ngeli verè loquuntur inter ſe, non tamen per ſigna*. Eſt de fide quoad 1. par. & communis quoad 2. contra paucos, qui volunt, eos loqui per ſigna corporalia, aut ſaltem ſpiritualia.

Prob. 1. ex Scoto [1] quoad utrunque par. Nam, ut mox videbimus, aſſignat modum locutionis eorum. Sic enim conſtat ex ejus mente, illos verè loqui, & non per ſigna.

Prob. 2. 1. par. ex innumeris Scripturæ, & Patrum locis, ubi inducuntur Angeli loquentes tum ad homines, tum inter ſe, ut [2] *Clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus*, &c. [3] *Vidit Angelum ad ſe venientem, & audivit ſibi loquentem, & dicentem, Curre, loquere ad puerum iſtum.* Et Joannes [4] videt, & audit Angelum ad alios clamantem, *Nolite nocere terræ, & mari*, &c. Et S. Judas ſcribit, quòd Michael Angelus cum Diabolo diſputat, &c. Et D. Paulus, [5] *Si linguis hominum loquar, aut Angelorum*. Certè Angeli, inquit Damaſc. [6] *non lingua, atque auribus opus habent, verùm circa ſermonis adminiculum cogitationes ſuas, atque conſilia inter ſe communicant*. Et Chryſoſt. *Linguam angelorum hìc appellat, non corpus Angelis tribuens, ſed ejuſmodi quod ait quàmvis ita loquar*, ut Angeli inter ſe col-

[1] 1.*d*.2.*q*.9. [2] *Iſa*. 6. [3] *Zachar*.2.
[4] *Ap*.7. [5] 2. *Cor*.13. [6] *l*.2.*c*.3.*de fid*.

colloquuntur. Et Theodoret. *Angelorum linguas dicit, quæ non ſenſu, ſed quæ intelligentia percipiuntur, per quas Deum laudant, & inter ſe diſſerunt.*

Prob. 3. Alioqui enim nulla eſſet inter Angelos ſocietas, politia, vel communicatio, quandoquidem eorum cogitationes ex Dei ordinatione ſunt ſecretæ, & in ſingulis abſconditę, donec velint eas inter ſe manifeſtare; ſed hoc non poſſunt ſine aliqua locutione, ergo verè inter ſe loquuntur, ſicut verè inter ſe communicant ſuas cogitationes, & deſideria.

Prob. 2. par. Nam ſigna illa eſſent corporalia, vel ſpiritualia; ſed neutrum dici poteſt; ergo non loquuntur per ſigna. Prob. min. 1. de corporalibus, tũ quia vix ſalvari poteſt, & multi negant, eos pati aliquid poſſe à rebus materialibus, cùm ſint puri ſpiritus. tùm quia abſurdum eſt, quòd ſubſtantiæ illæ intellectuales non poſſint inter ſe communicare ſuas cogitationes internas ſine mediis corporalibus, & quòd non habent ad hoc modũ ſibi proportionatũ. 2. de ſpiritualibus prob. tùm quia illa ſigna eſſent omnibus nota (idem eſt de materialibus) non poſſent loqui ſecreto uni, quin alii omnes adſtantes viderent, vel audirent, tùm quia ſi illa ſignificarent ad placitum, & ex eorum inſtituto, debuiſſent priùs colloqui, ut de illorum inſtitutione, & ſignificato convenirent, & ſic loquutio præcederet illa ſigna, ſi verò ſignificarent naturaliter, adhuc eſſent omnibus notiora. Quòd ſi dicatur; illa ſigna eſse ſpecies impreſsas objectorum, vel cogitationum loquentis, hæc non ſunt ſigna, ſed imagines, & ſic iſta opinio coincideret cum noſtra, de qua mox; ergo locutio illa non fit per ſigna ulla vera, ſive corporalia, ſive ſpiritualia.

Dices. Signa illa potuerunt inſtitui à Deo, & illis revelari.

Contra. Non recurritur ad Deum, niſi cùm deſunt cauſæ ſecundæ, & ordinariæ ſine incongruitate; Sed hic poſsunt haberi congruenter cauſæ ordinariæ, ut videbimus; ergo &c. Confir. Abſurdum eſt tam perfectas creaturas non habere exſe viam ad communicandum, & convivendum ſocialiter, niſi recurratur ad Deum, qui provideat per ſe ipſum. In hoc eſsent ipſis brutis inferiores. Hæc enim habent vo-

voces, quibus utcunque affectus ſuos ſignificent.

Objic. 1. ex Gloſſa in locum cit. Pauli, [1] *Angeli præpoſiti ſignificant minoribus, quod de Dei voluntate præſentiunt; quod ſit aliquibus nutibus*, ergo loquuntur ſignis.

Reſp. neg. conſ. tùm quia illa auctoritas Gloſſæ non prævalet aliis, tùm quia per nutus intelligi poſſunt ſpecies impreſſæ, vel expreſſæ, quas accipiunt audientes à loquentibus.

Objic. 2. Ad veram loquutionẽ debet loquens excitare, & immutare intellectum audientis; ſed hoc fieri nequit ſine ſignis aliquibus, ergo nec loquutio.

Reſp. neg. min. Nam illa excitatio, & immutatio meliùs fit per impreſſionem ſpeciei impreſſæ, vel expreſſæ cogitationis à loquente, ut mox dicemus.

Objic. 3. ex Scripturæ locis, quibus probamus locutionem Angelorum, conſtat illam fieri per voces etiam ſenſibiles; ſed voces ſunt ſigna; ergo loquutio illa fit per ſigna etiam materialia. Prob. maj. Zacharias audiebat Angelos colloquentes, & Joannes Angelũ clamantẽ aliis, *Nolite nocere terræ*, &c. Sed hec non potuiſſent audire illi homines ab Angelis, niſi loquuti fuiſſent per ſigna materialia; ergo ita loquuntur.

Reſp. 1. neg. min. Nam hæc audire potuerunt in viſione, id. Intellectualiter. 2. quia potiùs illæ loquutiones dirigebantur ad illos homines, & propter illos fiebant, & ſic non mirum, quod per voces ſenſibiles fierent, & quòd ſic etiam loquantur in talibus occaſionibus. Sed de his non eſt quæſtio; nec dico hunc modum loquendi repugnare in Angelis, ſed loquor de facto.

## CONCLUSIO II.

P*Robabile eſt, loquutionem Angelorum fieri per hoc præciſe, quòd loquens velit alterum cognoſcere cogitationem ſuam, probabilius verò, quod fiat per hoc, quod loquens producat in intellectu audientis ſpeciem impreſſam, vel expreſſam cogitationis ſuæ.* Eſt Scotiſtarum maximè quoad 2. par.

Prob. 1. par. 1. ex Scoto. Nam cogitationes ſecretæ Angelorum ſunt de objecto naturali intellectus eorum,

(1) 1. *Cor.* 13.

rum, ita, ut unuſquiſq; videret omnia, quæ alter habet in mente, ſi Deus vellet concurrere ipſis invitis, quippe decrevit non concurrere, ut videantur ipſis invitis; ergo hoc ipſo, quòd unus eorum vult cogitationem ſuam ab aliis videri, iſte videt eam voluntatem, & cogitationem; ſed hoc ſufficit ad veram locutionem; ergo ita fieri poteſt; & fortè ita ſit.

Prob. 2. Nam hîc reperiuntur conditiones locutionis. 1. libertas loquentis, qui liberè vult cogitationem ſuam videri ab alio, qui dicitur audiens, cùm poſſet illam ei ſervare ignotam. 2. excitatio, nam loquens quaſi compellat alium ad attētionem, dum coram eo exponit cogitationem, quam anteà volebat abſconditam. 3. cum ſua cogitatione illa ſua manifeſtat etiam eidem volitionem, qua vult eandem ei communicare, & ſic audiens intelligit, ipſum velle ſibi aperire mentem ſuam.

Deinde facile eſt hanc ſententiam reducere ad ſequentem, quæ eſt Scoti, dicendo, quòd hoc ipſo, quòd unus vult alteri mentem ſuam aperire, ipſa ejus cogitatio per modum objecti producit ſin intellectu alterius ſpeciem ſui, per quam iſte intelligit eam.

Prob, ergo 2. par. ex Scoto, qui ſic argumentatur, *Omnis loquens intellectualiter cauſaret immediatè in eo, cui loquitur, conceptum de eo, de quo loquitur, ſi poſſet; Angelus autem hoc poteſt reſpectu alterius Angeli; ergo id præſtat. Prob. maj. Quodlibet agens naturale ſtatim induceret, ſi poſſet, illud, quod principaliter intendit; & loquens principaliter intēdit imprimere concèptū ſuum intellectui, cui loquitur. Prob. etiam min. Illud, quòd eſt ſufficienter in actu primo reſpectu alicujus effectus, poteſt illū cauſare in receptivo proportionato*, &c.

Summa igitur, & vis hujus argumenti eſt, quòd loquens intendit communicare conceptum ſuum audienti, & illum produci in ejus intellectu, ſi poteſt; ſed poteſt conceptum ſuum ſic producere; ergo ſic producit, cùm loquitur, & ita ſit locutio Angelica. Prob. min. Intellectus Michaelis informatus ſpecie impreſſa Petri poteſt producere in ſe ipſo ſpeciem expreſſam, ſeu conceptum Petri; ergo & poterit eundē conceptum producere in omni alio intellectu capaci ejuſdem conceptus, & ſufficienter applicato, ſed talis

eſſe

eſſe poteſt intellectus Gabrielis reſpectu conceptuũ, quos Michael poteſt velle ipſi communicare; ergo Michael informatus aliqua ſpecie, vel conceptu poteſt eundem producere in intellectu Gabrielis, cui loquitur. Prob. min. tùm quia intellectus Gabrielis ſupponitur capax ejuſdem conceptus, quem habet Michael, quia ſupponitur eſſe ejuſdem rationis, & poteſt eſſe intimè præſens eidem, tùm quia intellectus Gabrielis poſſet recipere talem conceptum in illo formatum à Deo immediatè, & per illum intelligeret eundem Petrum; ergo quoad hoc tam eſt capax recipiendi conceptum in ipſo formatum ab alio, quàm à ſe ipſo, tùm denique quia intellectus unius Angeli ſufficienter applicatur alteri, ut eum illuminet, ergo & ut ipſi loquendo imprimat ſuum conceptum. Nam illuminatio ſupponitur fieri per impreſſionem notitiæ ab illuminante in illuminato.

Igitur locutio Angelica conſiſtit in hoc, quòd loquens cauſat liberè in audiente ſpeciem ſuæ cogitationis, qua mediante ille cognoſcit tum illam cogitationem, tum volitionem, qua loquens vult eam ſibi communicare. Et ad hanc cognitionem intellectus audientis merè paſſivè ſe habet, excepto, quòd per illam receptionem conceptus attingit vitaliter cogitationem, & mentem loquentis, & objectum ejus, & ſic cõcurrit elicitivè ad productionem ſpeciei expreſſæ ejus, per quam fit intelligens formaliter. Hæc videtur mens Scoti, & quidem probabiliſſima. (1)

Objic. 1. cont. 1. p. Ad locutionem requiritur, ut per illam excitetur alter ad audiendum, quod fieri nequit ſine immutatione reali in audiente. Sed per hoc præcisè, quòd Michael vult conceptum ſuum agnoſci à Gabriele, nulla fit excitatio, vel mutatio realis in iſto; ergo non ita ſit locutio vera. Maj. patet. Nam iſte non poteſt fieri realiter de non audiente audiens ſine aliqua mutatione reali, aut motione in ipſo. Prob. min. Nam in tali caſu nihil accidit de novo in Gabriele, tota mutatio eſt in Michaele per illam volitionem, qua vult mentem ſuam cognoſci à Gabriele, & quę volitio eſt tota in Michaele; ergo nulla fit nova, & realis mutatio, vel motio in Gabriele.



[1] *ibid. E. n.* 20.

Reſp. neg. min. & ant. prob. Nam mediante illa volitione Michaelis advenit concurſus Dei, qui anteà deerat defectu talis volitionis, & quo habito iſte cognoſcit actu, quod anteà non videbat, & ſic adeſt locutio, & auditio.

Inſt. Si hoc ſufficeret, qui tibi detegeret, & apponeret tabellam videndam, quam antea non videbas ob velamen, diceretur tibi loqui; ſed conſ. eſt falſum, alioqui omnis quantumcunque ſimplex oſtenſio rei diceretur locutio, ergo & ant.

Reſp. diſt. maj. Si id faceret, ut videretur mens, & cogitatio ſua, conc. ſi tantùm, ut purè videretur tabella, neg. maj. & conſ. Sic enim mutus loquitur in Euangelio, dum Zacharias, ut imponat filio nomen, quod ore non poteſt proferre, *poſtulat pugillarem, & ſcribit dicens*, &c. ſcilicet loquitur, non tam ſcribendo, quàm oſtendendo aſtantibus ſcriptum ſuum, Nam ſic manifeſtat intentionem ſuam.

Inſt. 2. Ad veram locutionem debet audiens ſcire, quis loquatur, ſed ſi Angeli ſic loquerentur, poſsent audientes neſcire, quis loqueretur; ergo non eſset vera locutio. Prob. maj. Nam ſi Deus infunderet ſpeciem aliquam expreſsam in aliquo, non diceretur propriè loqui, quia ille neſciret loquentem, & ſic loquens non plus faceret præſens, quàm abſens; ergo debet ſciri quis loquatur.

Reſp. neg. min. Nam cùm audiens non poſset cognoſcere cogitationem loquentis, niſi eo volente, hanc volitionem cognoſceret audiens cum cogitatione loquentis, & ſic loquentem ipſum.

Objic. 2. Sequeretur, Angelum non poſse mentiri alteri; ſed conſ. eſt falſum, certum eſt enim Dæmonem mentiri; ergo &c. Prob. maj. quia per volitionem mentiendi non poſset facere, ut audiens aliter videret cogitationem ejus, quàm ut eſt in ſe. Nam voluntas non mutat objecta.

Reſp. 1. neg. min. Quid enim inconvenientis eſt, quòd unus Angelus non poſſit mentiri alteri, nec decipere alium, nec ipſe ab alio decipi, ne a Dæmone quidem. Eſto, iſte poſset mentiri hominibus, ut ſæpiſſimè facit, non eſt de ratione locutionis, ut poſſit eſse mendax; alioqui Deus non poſset loqui; quia non poteſt mentiri.

Reſp.

Reſp.2.neg. maj. Nam Dæmon poſset cogitare falſum,& velle,ut alter,videat ſuam illam cogitationem, in qua decipiatur, & poſset velle, ut non videat ſuam illam voluntatem fallendi; in bonis autem Angelis abſit mendacium.

Objic. 3. Hic modus locutionis non placet Scoto, ut patet ex 2.p.ergo non eſt à uobis admittendus, qui videri volumus Scotiſtæ.

Reſp. neg. antec. Nam Scotus putat quidem, modum ſuum explicandi locutionem Angelorum eſse probabiliorem; ſed non reprobat iſtum, ut improbabilem. Et in eodem ſenſu loquimur ſine præjudicio mentis Doctoris.

Objic. 4. Locutio debet eſse ab intellectu; ergo non poteſt fieri per illam volitionem in loquente. Antec. patet etiam ex Patribus. Nam, inquit Theodoretus, (1) *Angelorum lingua dici debet intelligendi vis, per quam, non quæ ſenſu, ſed intelligentia percipiuntur, manifeſtant*. Prob. conſeq. quia nihil aliud novi apparet in illo locutionis modo præter volitionem loquentis, qua vult ab alio cognoſci ſuam mentem; hanc verò mentem, ſeu cogitationem habere potuit ante, & ſine locutione.

Reſp. diſt. utrumque antec. Eſt ab intellectu, id eſt, de cogitatione intellectus, materialiter, conc. abſolutè à ſolo intellectu ſine concurſu voluntatis, neg.antec.Antequam Michael loqui velit Gabrieli, ſibi ſoli loquitur cogitando apud ſe verbum ſuæ mentis ſervando; ſed quando vult, & per hoc, quod vult, verbum idem ſuum agnoſci à Gabriele, hoc illi innoteſcit, & per hoc illi loquitur, quia per illum conſenſum, & volitionem facit, ut Deus præbeat Gabrieli concurſum ſuum, cujus defectu non audiebat, ſeu non videbat verbum illud Michaelis.

Poteſt addi, quòd, quando Gabriel non eſt ſufficienter præſens, & applicatus intellectui Michaelis, poteſt excitari vel ad attentionem, & præſentiam per aliquam ſpeciem impreſsam, vel per eandem cognoſcere abſtractivè mentem ejus.

Objicies 1. contra 2. partem. Si intellectus loquentis poſset cauſare cognitionem in alio, ſicut in ſe ipſo,

Q 2

[1] *Cor.* 13.

ipſo, oculus Petri videns parietem album cauſaret eandem viſionem in oculo Pauli, aut unus Beatus viſionem beatam in alio, etiam ſine iſtius cauſa; ſed hæc falſa, & abſurda ſunt; ergo & iſte locutionis modus. Prob. maj. Tam intellectus agens loquentis, quam patiens audientis ſunt cauſæ naturales, nec ſubſunt dominio voluntatis in agere, & pati; ergo quando duo intellectus Angelici eſſent ſufficienter applicati, unus neceſſariò loqueretur alteri, & cauſaret in eo ſuam viſionem, & alter eam pateretur.

Reſpond. neg. maj. Nam cùm dicimus intellectum unius Angeli poſſe cauſare in alio ſufficienter diſpoſito, & applicato intellectionem, ſicut in ſeipſo, ſupponimus, eam applicationem eſſe utrinque voluntariam, ita ut unus velit agere in alterum, & ut iſte velit attendere, 2. ſupponimus, intellectum iſtius non eſſe diſtractum, & occupatum circa aliud objectum. Ideò oculi duorum hominum non ſunt diſpoſiti, nec ſufficienter activi, & applicati propter ſuam materialitatem, ut poſſint ita in ſe invicem agere, ſicut duo intellectus; licèt unus videat aliquo modo viſionem alterius, & ſpeciem objecti in eo relucentis, ut in ſpeculo. De viſione beata id patet à fortiori propter ſupernaturalitatem luminis glorioſi, quod debet concurrere utrinque; & tamen non communicatur utrique, niſi Deus velit. Item, quia requiritur utrinque voluntaria applicatio, & attentio. Nam ipſa etiam auditio eſt utcumque voluntaria. Nam licèt poſſis mihi loqui me nolente, non tamen neceſſariò te audiam ut loquentem, quia poſſum non attendere ad ea, quæ dicis applicando intellectum ad alia.

Reſp. 2. Eadem inconvenientia poſſe objici in aliis ſententiis. Nam ſi per ſigna fiat hæc locutio, tam neceſſaria erit auditio ſi per ſimplicem manifeſtationem innoteſcet audienti, etiam nolenti. Hæc enim oſtenſio pendebit à loquente.

Inſtabis. Illa notitia produceretur vel ab intellectu, vel à voluntate loquentis: ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. 1. non ab intellectu, quia hic non operatur extra ſe, ſed vitaliter, & immanenter, ad objecta non exit; ſed hæc ad ſe trahit.

2. non

2. non à voluntate, quia hæc non eſt productiva intellectionis; ergo illa productio intellectionis non eſt ab intellectu, nec voluntate.

Reſp. neg. min. Nam producitur ab utroque, ſc. ab intellectu elicitivè, & à voluntate imperativè. Ad prob. diſt. ant. Intellectus operatur immanenter reſpectu ſuæ propriæ perfectionis, conc. reſpectivè ad alteram, neg. ant. Hoc enim gratis dicitur, & eſt petitio principii.

Objic. 2. Omnis cognitio eſt actus vitalis; ſed omnis actus vitalis debet eſſe à principio intrinſeco, non ab extrinſeco; ergo cognitio de cogitatione loquentis debet produci ab ipſo intellectu audientis.

Reſp. neg. min. Nam, ut diximus in Philoſophia, actus dicitur vitalis non à principio elicitivo, ſed ex operatione, quatenus per eum potentia vivens tendit, & percipit objectum. Unde ſi Deus poneret viſionem lapidis in oculo meo, non minus viderem, quàm ſi ea viſio eliceretur ab oculo ipſo.

Inſt. Saltem naturaliter actus vitalis eſt ab ipſa potentia operante; ergo iſta locutio, in qua loquens produceret cognitionem ſuæ cogitationis in audiente, non eſſet naturalis.

Reſpond. neg. antec. Id enim fit naturaliſſimè inter agentia, & paſſa proportionata, & diſpoſita, ut ſunt duo intellectus Angelorum loquentium, & audientium.

Objic. 3. Si unus intellectus cauſat in alio cognitionem, id facit vel per intimam præſentiam, & illapſum, vel ab extra; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. 1. non per illapſum, quia eſt proprius ſolius Dei, 2. non ab extra, & diſtans, alioqui duo Angeli poſſent loqui inter ſe in qualibet diſtantia, quod falſum eſt. Nam ſpecies, quæ eſt ſpiritualis, non poteſt tranſire per medium, quod eſt materiale.

Reſp. neg. min. Nam utroque modo fieri poteſt; non quidem per illapſum proprium ſoli Deo, quia hic conſiſtit in hoc, quòd ipſe penetret, ac contineat omnia cum dominio in illa. Et, ut diximus ſuprà, unus Angelus non debet magis illabi in alium,

ut intelligat ejus cogitationes, aut imprimat ei conceptus ſuos, quàm objecta materialia in ſenſus externos. Poteſt etiam fieri ab extrinſeco independenter à loco, & ſitu, & medio, & quidem in magna diſtantia, ſed limitata, quia agunt per intellectum, & voluntatem, quæ non pendent à ſitu, nec à medio. De actione in diſtans diximus in Philoſophia.

Objic. 4. Locutio debet poſſe eſſe ſecreta, ita ut unus poſſit loqui uni, & non aliis: ſed ſi locutio Angeli fieret per impreſſionem cognitionis, aut ſpeciei, non poſſet unus loqui uni ſine aliis præſentibus; ergo non ita fit. Maj. patet ex dictis. Nam debet eſſe voluntaria ex parte loquentis, & regimen politicum exigit, ut locutio poſſit eſſe ſecreta. Probatur min. Nam illa cognitio, vel ſpecies eſſet de objecto naturali omnibus, ergo ab omnibus æquè perciperetur.

Reſp. 1. Idem dici poſſe de ipſa cogitatione loquentis, quæ tam eſt de objecto naturali Angelorum omnium, quàm hæc ſpecies, & ſic objectio non eſt ad rem iſtam. Unde

Reſp. 2. neg. min. & conſ. prob. Nam licèt cogitationes, & ſpecies emiſsæ ab uno in alium ſint de ſe ab omnibus viſibiles, tamen ab illis ſolis viderentur, ad quos dirigerentur à loquente. Nam idem eſt de iſtis, ac de ſecretis cordium, quæ non videntur ab Angelis inter ſe, niſi, & quando volunt, ex providentia ſpeciali Dei hæc ſibi reſervantis. Quod videtur innuere Scotus in Reportatis. (1) *Deo coagente ſecundum influentiam generalem reſpectu illius, cui dirigitur locutio, non alterius.*

Objic. 5. Sequeretur, Angelum non poſſe ſimul loqui pluribus; ſed hoc falſum eſt; ergo & illud. Prob. maj. Nam intellectus loquentis deberet ſimul producere plurimos effectus totales, & adæquatos, ſc. tot cognitiones, quot ſunt audientes, qui poſſent eſſe innumeri. Sed hoc eſt impoſſibile per nos in bona Philoſophia; ergo & eſſet impoſſibile uni pluribus loqui ſimul.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. 1. quia illæ omnes ſpecies, ſeu cognitiones productæ in auditoribus à loquente eſſent effectus partiales, & inadæquati reſpe-

[1] *Hic q. 3. n. 5.*

reſpectu loquentis, 2. quia auditores diverſimodè, & inæqualiter audirent, prout eſſent inæqualiter diſpoſiti, 3. quia virtus loquentis eſt limitata, & ſic non poteſt loqui infinitis hoc modo. Hæc difficultas facilius vitatur explicando locutionem juxta 1.p.concluſionis, ut patet, quia poteſt velle audiri ab infinitis, ſi poſſint adeſſe. Sed pro iſta 2. non eſt major difficultas de hac productione plurium ſpecierum ſpiritualium æqualium in pluribus æqualiter præſentibus, & diſpoſitis, quàm ſpecierum ſenſibilium in concionatore ad plures auditores æqualiter proximos, & diſpoſitos. Idem eſt de ſpeciebus alicujus objecti viſibilis, cæteris paribus.

## CONCLUSIO III.

*Angelus poteſt loqui aliis in aliqua diſtantia moderata.* Eſt ſatis communis, ſed ex diverſis principiis. Nam qui tenent, locutionem fieri abſque eo, quòd loquens quidquam producat in audiente, & ſine immutatione paſſiva ejus, ſed per ſolam volitionem, ut putamus probabile, non eſt in hoc difficultas. Sufficit enim, quòd Michael ex ſummo Cœlo uſque ad infernum velit ſuam mentem innoteſcere Lucifero, qui in tanta diſtantia audiet loquentem. Major eſt difficultas in alia opinione Scoti.

Prob. 1. p. ex Scoto. (1) *Oſtendo*, inquit, *quod Angelus, etiam diſtans, poteſt cauſare conceptum in Angelo diſtante*, &c. Et alibi; [2] *Dico, quòd Angelus poteſt loqui Angelo diſtanti localiter eo modo, quo poteſt eſſe in loco*, ſcilicet definitivè. Et hoc probat iiſdem argumentis, quibus probavimus in Phyſica, dari actionem in diſtans.

Prob. 2. quia ex Euangelio patet, animam Divitis induci loquentem cum anima Abrahæ, quamvis diſtarent per *magnum chaos* intermedium.

Prob. 3. Si quid hoc impediret, maximè quia non datur actio in diſtans, nam loquens produceret ſpeciem, vel intellectionem cogitationis ſuæ in audiente diſtanti, nihil producendo in medio; ſed hæc ratio nulla eſt, quia datur actio in diſtans, ut dice-



[1 *Ibid. B. n.* 16.
[2] *Repor.q.* 3. *n.* 2.

cebamus ex Phyſica; ergo Angelus poteſt loqui ad diſtantes.

Confir. quia in terris oramus Angelos, & Sanctos in Cœlis exiſtentes; & licèt poſſint audire, vel videre orationes noſtras in Verbo, aut Deo revelante, nihil tamen vetat, quin & ipſas videant in propria ſpecie.

Confir. 2. Nam ex dictis tr. 1. ſi per impoſſibile Deus non eſset immenſus, neque extra mundum, adhuc poſset ibi operari per omnipotentiam; ergo non repugnat actio in diſtans. Imò & de facto datur. Nam Sol generat aurum in viſceribus terræ per virtutem, & actionem, per quã non agit in corpora media.

Prob. 2. p. 1. ex Scoto. (1) Nam, inquit, *requiritur determinata præſentia objecti ad potentiam; iſtam autem determinatam præſentiam impedit improportionata diſtantia. Nec mirum, quia ad minùs, objectum, quod eſt aliquo modo hic activum, non poteſt agere in paſſum quantumcunque diſtans.* Et quærens, (2) *an Beatus naturali cognitione novit orationes noſtras*, reſpondet, quòd *anima ſeparata poteſt acquirere notitiam intuitivam .... quorumcunque intelligibilium proportionatorum, & proportionaliter præſentium .... ſi tamen immoderata diſtantia non impediat*; ergo ex Scoto Angelus non poteſt loqui, & audiri in qualibet diſtantia.

Prob. 2. ex eodem. Nam in agentibus creatis, quia ſunt finitæ virtutis, requiritur ſemper determinata, & proportionata præſentia objecti ad potentiam cognoſcentem; ſed intellectus Angeli tam loquentis, quàm audientis eſt finitæ virtutis, ſicut & objectum; ergo nec intellectus, nec objecta non poſsunt cauſare notitiam, niſi in proportionata diſtantia. Prob. maj. Nam omne agens creatum habet finitam, & determinatam ſphęram ſuæ activitatis; ergo & Angelus; ergo ad cauſandam notitiam ſuæ cogitationis per locutionem requirit proportionatam præſentiam intellectus audientis.

Confir. Nam licet Angeli non ſint in loco circumſcriptivè, ſunt tamen definitivè, & eorum præſentia localis eſt determinata, ſicut & ſphera activitatis eorum; ergo eorum actio, & operatio requirit al-

[1] 4. d. 45. q. 2. G. n. 8. [2] q. 4. A. n. 2.

aliquam præſentiam determinatam loquentis ad audientes.

Objic. 1. Angelus audiens nihil recipit à loquente, & iſte nihil ponit in illo; ergo poſſunt loqui, & audire in qualibet diſtantia.

Reſp. 1. neg. ant. ut patet ex concluſ. præcedenti. 2. falſa etiam eſt conſeq. ob rationes datas.

Objic. 2. Locutio Angeli, & quidquid ille poteſt ponere in audiente per locutionem, eſt quid ſpirituale, ſed omne ſpirituale eſt independens à loco; ergo & à diſtantia locali; ergo fieri poteſt in qualibet diſtantia.

Reſp. diſt. min. Eſt independens à loco cirſcumſcriptivo, con. à loco definitivo, neg. min. Angeli, & aliæ omnes creaturæ, quia non ſunt immenſæ, ſunt in loco definitivè, & quia eorum virtus eſt limitata ad certam ſphæram activitatis, non poſſunt ultra illam agere, nec Angeli loqui, & audire.

Inſt. 1. Loquutio Angeli eſt operatio præſcindens à loco, & tempore etiam objecti, quia eſt intellectio, & intelligimus præſentia, præterita, & futura, & abſentia; ergo eſt independens à diſtantia, & propinquitate.

Reſp. neg. conſ. Aliud enim eſt, quòd intelligamus abſtractivè, & per ſpecies præſentes objecta abſentia, & diſtantia, & aliud, quòd agamus realiter, ut facit Angelus loquens in ſubjecta diſtantia vel præterita, vel futura. Illud fit ordinariè, iſtud nunquam.

Inſt. 2. Non poteſt eſſe major diſtantia inter Angelos, quàm quæ notatur inter animas Abrahæ, & Divitis, & Lazari, nam inquit Abraham, (1) *Magnum chaos eſt inter nos, & vos*; ſed in illa diſtantia illæ animæ colloquebantur: ergo à fortiori Angeli ſic loqui, & audire poſſunt. Et id confir. ex Scoto docente, quòd Beati audiunt de cœlo noſtras orationes, quamvis quaſi infinitè diſtantes oremus.

Reſp. 1. neg. maj. Nam cùm negamus loquutionem in quacunque diſtantia, loquimur de diſtantia indeterminata, & poſſibili. Diſtantia verò inter infernum, & limbum, ubi erant illæ animæ, non eſt indeterminata, ſicut nec inter cœlum, & terram, in quibus oramus Sanctos, & ab eis audimur. Ideò



[1] *Luc.* 16.

fortè dici poſſet, quòd Angeli poſſunt loqui, & audiri ab uno extremo ad aliud mundi.

Reſp. diſt. min. Colloquebantur ſupernaturaliter, ſi hæc narratio non eſt parabola, con. naturaliter, neg. min. & conſ. Et ita eſt de orationibus noſtris, quas audiunt Sancti tùm in Verbo, tùm ex ſpeciali revelatione, maximè per Angelos noſtros. Colloquium autem Abrahæ videtur multis parabolicè dictum à Chriſto potiùs, quàm hiſtoricè.

Objic. 3. Medium qualecunque non retardat loquutionem; ergo fieri poteſt inter quantumcunque diſtantes. Prob. ant. Medium eſt corporeum, & loquutio eſt ſpiritualis; ergo illud non poteſt impedire iſtã.

Reſp. neg. conſ. utranque. Nam iſtud impedimentum non venit ex medio interjacente, ſed ex diſtantia nimia, qua fit, ut unus Angelus ſit extra ſphæram activitatis alterius, cujus virtus eſt limitata ad certam ſphæram.

Quæres 1. *quouſque pertingere poſſit illa virtus*.

Reſp. id neſciri, nec eoſdẽ eſſe omnium limites. Nã ſuperiores, & perfectiores longius attingunt. Quidam fortè pertingere poſſunt ab uno extremo univerſi ad aliud; quidam verò magis limitantur. Sed de hoc nihil certum habemus. Certè ſi Sol ex ſuo cœlo poteſt operari in viſceribus terræ, à fortiori Angelus poterit agere, & loqui à ſummo cœlo ad centrum terræ.

Quæres 2. *quomodò unus Angelus poſſit loqui uni, & non aliis æquè præſentibus*.

Reſp. 1. Quòd juxta 1. p. 1. concluſ. id facilè explicabis, ſi dicas, id fieri per hoc, quòd loquens dirigit cogitationem uni, & non aliis, quo fit, ut Deus concurrat cum iſto ad intellectionem conceptus loquentis, non autem cum aliis.

Reſp. 2. Juxta ſententiam Scoti de modo locutionis, dici poteſt, quòd, ſicut loquutio eſt voluntaria, ita loquens producit in eo, cui vult loqui, & non in aliis, ſpeciem ſuæ cogitationis.

Dices. Intellectus loquentis eſt potentia naturalis, & ſic non poteſt pro libitu facere, ut objectum commune, & ab omnibus attingibile, & cui ſunt omnes æquè applicati, non videatur niſi ab uno.

Reſp. id quidem paulò difficiliùs capi, tamen recurrendum eſſe ad rationem, propter quam ſecreta

cor-

cordium non videntur ab Angelis, niſi nobis volentibus, quamvis de ſe ſint objecta illis connaturalia, & proportionata. Et hoc ſuppoſito, dici poteſt, Deum concurrere cum loquente ad producendum conceptum ſuum in eo, cui vult loqui, & non ad producendum eundem in aliis, ſicut concurrebat cum igne fornacis Babylonicæ ad comburendos tortores, non vero ad comburendos tres pueros. Dicerem etiam, quòd intellectus de ſe quidem eſt agens naturale, & neceſsarium, ſed in actibus ad extra ſubeſt imperio voluntatis, & ſic per voluntatem loquentis applicatur ad imprimendum conceptum ſuum uni, & non aliis; quod facilius longè mihi videtur, quàm recurſus ad Deum.

Quæres 3. *an unus poſſit ſimul loqui pluribus, vel omnibus, ita, ut ab omnibus, & ſingulis audiatur.*

Reſp. 1. affimativè, juxta eandem ſententiam de locutione per ſolam directionem voluntatis. Nam hoc ſuppoſito, facile eſt, aliquem unum velle ab omnibus ſimul intelligi, & Deo ad hoc concurrente, de facto omnes intelligere, & audire.

Reſp. 2. non ita facilè id dici poſse in ſententia Scoti de loquutione. Nam idem intellectus non videtur poſse ſimul, & ſemel producere tot conceptus, quot ſunt Angeli. Dicerem fortè ſpeciem illam produſctam à loquente propagari, & multiplicari per ſe ipſam, ſicut ſpecies viſibilis lucis quaſi in eodem inſtanti propagantur, & extenduntur à ſole ad terram, vel ab objecto viſibili ad oculum; & ſic loquens auditur ab omnibus, quibus vult loqui, quia Deus vult concurrere ad talem, & tantam propagationem illius conceptus, ſeu lucis emiſsæ à loquente.

Quæres 4. *an unus poſſit ſimul plures æqualiter, & diſtinctè audire.*

Reſp. id pendere ab illa quæſtione philoſophica, in qua diſputatur, an idem intellectus poſſit ſimul, & diſtinctè plura, ut plura intelligere. Nam idem reſolvetur cum proportione de Angelo.

Quæres 5. *an omnes, & ſinguli Angeli loqui poſſint, etiam inferioribus.*

Reſp. affirmativè. Nam licèt difficile videatur, quòd ſuperiores, & ſupremi pati poſſint, & recipere

aliquid ab infimis, ita, ut iſti poſſint illis imprimere conceptus ſuos, tamen in hoc ratio illa non valet, tùm quia ſi homo poſſit loqui Angelis, ut narrant Scripturæ, à fortiori Angeli inferiores ſuperioribus, tùm quia ſi Angeli poſſunt accipere ſpecies ab obiectis materialibus, ut dictum eſt; ergo multò magis à ſe invicem, tùm denique, quia infimi non loquuntur ſupremis, ut eos doceant, aut illuminent, ſed ut ab his doceantur, & perficiantur, ſicut & nos loquimur illis, imò & Deo.

Quæres 6. *quomodò Angelus poſſit loqui hominibus in ſtatu vitæ mortalis*. Dico, *in ſtatu vitæ mortalis*. Nam in ſtatu animæ ſeparatæ eis loquuntur, ſicut inter ſe.

Reſp. per ſigna ſenſibilia. Nam poſſunt in aere, vel alio corpore formare voces omnium idiomatum, vel alia ſigna ſenſibilia.

Quæres 7. *quomodò audiant homines*.

Reſp. eodem modo, quo vident, & percipiunt alia obiecta materialia.

Quæres 8. *an poſſimus eis loqui mentaliter*.

Reſp. poſſe. Nam Deus concurrit, ut, cùm volumus ab eis intelligi, ipſi deſideria, & cognitiones noſtras intelligant vel immediatè, vel mediatè per ſpecies ab actibus noſtris impreſſas, vel à Deo acceptas, vel in Verbo, ut dicebamus de Sanctis, cùm illos oramus ſive vocaliter, & ſenſibiliter, ſive mentaliter.

## QUÆSTIO VI.

### *De illuminatione Angelorum, an, & quomodò aliqui illuminentur ab aliis.*

CUm Angeli in Hierarchias; & ordines ſuperiores, & inferiores, ſupremos, infimos, & medios diſtribuantur, neceſſe eſt, ut *alii purgentur, atque purgent* (ait Dion. (1) *quidā luce doctrinæ illuſtrentur, alii illuſtrent, aliqui perficiantur, alii perficiant*. Nam, ut diximus, Hierarchia eſt *ordo ſacer, & actio, quæ ad Divinitatis ſimilitudinem, quantùm fieri poteſt, accedit, & proportione illuſtrationū, quæ ei divinitùs datæ ſunt* ad

[1] *Cæl. Hier.* 3.

*ad Dei imitationem traducitur*. Superiores, qui Deo propinquiores ſunt, & Divinam lucem pleniùs accipiunt, illam deinde inferioribus communicant, qualem à Deo accipiunt.

*Illuminatio* Angelica deſcribitur à Scoto (1) *quædam loquutio de vero, perfectiva in eſſe ſecundo*. Dicitur 1. *quædam loquutio*, quia eſt quædam ſpecies loquutionis. Non enim omnis loquutio eſt illuminatio, benè vero omnis illuminatio eſt loquutio. 2. *de vero*, non quocunque, ſed *de vero revelato* à Deo Angelis ſuperioribus; à quibus illuminantur inferiores. 3. *perfectiva in eſſe ſecundo*, quia non propriè perficitur Angelus per quamlibet cognitionem veri, etiam ignoti, ut ſunt veritates naturales de rebus indifferentibus, quas naturaliter poteſt acquirere, ſed debent eſſe ſpecialiter revelatæ, & eum perficere *ſecundariò*, id eſt, ultra perfectionem ſuam naturalem, & naturaliter acquiſibilem.

Illuminatio ergo à *loquutione* differt 1. Quia loquutio eſt de omni re tam nota, quàm ignota audienti ſive naturaliter, ſive ſupernaturaliter, at illuminatio eſt de ignotis cognoſcibilibus ſupernaturaliter tantùm, ut de myſteriis, vel de futuris à ſola Dei voluntate pendentibus, 2. Quia in loquutione Angelus producit in ſe conceptum de re, de qua loquitur ſimilem illi, quem cauſat in audiente, at in illuminatione illuminans conceptum illum accipit à Deo immediatè, & ſimilem cauſat in illuminato.

His ſuppoſitis, quæritur, quomodò fiat hæc illuminatio, an illuminans cauſet aliquid in intellectu illuminati, an verò id fiat per ſimplicem oſtenſionem rei revelatæ.

## CONCLUSIO I.

D*Atur in Angelis vera illuminatio, per quam illuminans cauſat conceptum veritatis ſupernaturalis ſpecialiter revelatæ*. Eſt communis contra Durandum quoad 1. p.

Prob. 1. ex Scoto (2) cit. *Dico, quòd Angelus ſuperior, cui ſecundum communem curſum revelatur primò aliquid particulare, cauſat in inferiori conceptum* quem-

[1] 2. *d.*9.*q.*2. *R.n.*25. [2] *Ibid.*

*quendam de illo revelato, qui dicitur auditio, & hoc cauſare, quod eſt quoddam ſpeciale loqui, eſt illuminare. Probabile etiam videtur; quòd Angelus illuminans aliquid cauſet in illuminato, non in ſe*, &c.

Prob. 2. 1. p. ex Patribus. Nam Dionyſius (1) cit. de Seraphinis dicit, quòd *inferiora agmina ad ſui ſimilitudinem ſubvehunt lucida, illuminanteque proprietate totius obſcuritatis expultrice*. Et de Cherubin, *quòd indultam ſibi ſapientiam in ſequentia, & inferiora transfundunt*. Et Damaſc. [2] *Illud perſpicuum eſt, eos Angelos, qui præſtantiores, ſublimioreſque ſunt ſplendorem, & cognitionem aliis impertire*. Et Athan. *Cherubin, & Seraphin ſine ullo mediatore, ac interprete à Deo condiſcunt, & ab his erudiuntur inferiores ordines*. Et ſic de aliis.

Confir. ex Script. ubi aliqui Angeli inducuntur ab aliis quærentes de Chriſto, [3] *Quis eſt iſte Rex gloriæ*, & alii reſpondentes, *Dominus virtutum*. Quamvis Hieron. & Auguſt. putent interrogationem eſse à Dæmonibus, & reſponſum à bonis Angelis.

Prob. 3. Nam ex omnium Patrum, & Theologorum conſenſu in Angelis eſt ordo Hierarchicus; ſed hic ordo præcipuè conſiſtit in ſcientiæ communicatione à ſuperioribus ad inferiores, ut patet ex Dionyſio cit. ergo &c. Prob. min. Tria ſunt munera, ſeu actus Hierarchici, *purgare, illuminare, & perficere*, Illuminatio eſt actus hierarchicus, quo infimi per medios, & medii per ſupremos purgantur ab inſcitia, & illuminantur de his, per quæ perfici poſsunt in Deum ut in finem. Hi tres actus ad idem ſpectant, & in unum facilè reducuntur.

In ipſa Eccleſia militante viget ille ordo, imò & in naturalibus, ubi inferiores per ſuperiores edocentur, illuminantur, & gubernantur. In Eccleſia naſcente dicebat Paulus, (4) *Mihi Sanctorum minimo data eſt gratia illuminare omnes*. Et addit, quòd Deus *dedit* Eccleſiæ *quoſdam quidem Apoſtolos, Prophetas, Doctores*, &c. qui ab illo edocti populos illuminant. [5] *Statuit ſummus ille, ac ſuperſubſtantialis ordo per ſingulas diſtinctiones proximos, & medios, extremoſque eſſe*

[1] *c.* 3. & 4. [2] 2. *Fid.* 3.
[3] *Pſ.* 23. *Ibid.* [4] *Epheſ.* 5.
[5] *Dion. c.* 1.

*eſſe ordines, atque virtutes, ut inferiorum Spirituum excellentiores quique duces, ac præceptores ſint.* Et licet Deus ſicut per ſe ipſum omnia facere, & gubernare poteſt, id tamen præſtat per creaturas diverſis ordinibus diſtributas; ſic in cęlo, licèt omnes cœlites illuminare poſſet per ſe ipſum, placuit tamen inſcrutabili ejus ſapientiæ hæc per ſe ipſum præſtare ſupremis, & per iſtos mediis, & per medios infimis. Ideo fortè Pſalmiſta dicit, (1) *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. Magni montes ſunt Prædicatores,* ait Auguſt. *primi montes magni excipiunt lucem tuam, & a luce tua, quam ſuſcipiunt montes, veſtitur terra,* &c.

Prob. 2. p. 1. quia Patres citati (2) docent, quòd primi *Spiritus indultam ſibi* (à Deo mediatè) *ſapientiam in inferiores transfundunt, & quòd ſublimiores ſplendorem, & cognitionem inferioribus impertiunt;* ergo illuminatio fit per transfuſionem cognitionum in inferiores.

Prob. 3. Quia illuminatio eſt ſpecies loquutionis; ſed loquutio Angelorum fit per impreſſionem cognitionum loquentis in audiente; ut patet ex dictis; ergo & illuminatio.

Objic. 1. Si illuminatio fieret per productionem cognitionis in illuminato, Angelus beatus cauſaret in eo cognitionem, quam habet in Verbo, non enim habet alias de Myſteriis ſupernaturalibus, vel de futuris, quàm in Verbo; ſed ſuperior ullus Angelus non poteſt cauſare talem cognitionem in inferiori; ergo nec ſic illuminare cauſando in eo cognitionem ſuam acceptam à Deo. Prob. min. Nam illa cognitio cauſata in inferiori eſſet beata, & non beata; nec iſta poteſt ab alio cauſari, quàm à Verbo: ergo &c.

Reſp. diſt. maj. Cauſaret cognitionem ſecundariam, quam habet à Verbo, con. maj. & neg. min. viſionem ipſam primariam, neg. maj. & conſ. Viſio *primaria*, & eſſentialiter beata Angeli eſt ea, quam habet ex Eſſentia, ut objecto primario, & hanc non poteſt cauſare per illuminationem, ſed quiſque illam habet per lumen gloriæ; *ſecundaria* vero eſt ea, qua videt objecta ſecundaria in ſcientia Dei, & hanc poteſt cōmunicare.



[1] *Pſ. 65.* [2] *Dionyſ. cit. Damaſc.*

Inſt. Solus Deus ſufficienter illuminat in cœlo Beatos omnes, & eis ſufficit viſio primaria, ſeu beatitudo eſſentialis; ergo vel non datur, vel ſuperflua eſt illuminatio ab Angelis.

Prob. ant. tùm ex Scriptura, qua dicitur, Jeruſalem cœleſtem *non egere Sole, neque Luna, quia claritas Dei illuminabit eam*, tùm quia ſolus Deus ut viſus ſufficienter beatificat; ergo ſuperflua eſt Angelica.

Reſp. diſt. ant. Si Deus vellet, & id ita ſtatuiſſet, con. ex lege poſita, neg. ant. & conſ. Si Deus vellet, ſe ſolo faceret omnia, quæ facit per creaturas, illuminaret per ſe immediatè omnes Angelos, & animas, ſed aliter ſtatuit. Angeli omnes habent in viſione Eſſentiæ eſſentialem beatitudinem; ſed per illuminationem eis ſpecialiter aliqua revelantur, quæ faciunt ad beatitudinem ſecundariam, & accidentalem, & id præſtat per ſe ſupremis, per iſtos mediis; & per medios infimis. Nec fruſtra; nec temerè, ſed ſapientiſſimè facit; quidquid facit.

Inſt. 2. Qui videt eſſentiam Dei per lumen gloriæ, non eget alia illuminatione, quia nihil ignorat, ibi tenebræ nullæ; ſed omnes Angeli beati ſic vident; ergò non egent alia illuminatione.

Reſd. diſt. maj. Alia illuminatione ad beatitudinem eſſentialem, nec habent tenebras poſitivas, con. ad acceſſorium, & accidentale augmentum, nec habent tenebras ſaltem negativas, neg. maj. Nam patet ex dictis aliàs, quòd viſio beata ſuſcipit magis, & minus quoad acceſſoria, ſeu accidentalia; ſeu quoad objecta ſecundaria, tam intenſivè. quàm extenſivè.

Inſt. 3. Videns Solem non videt ſtellas; ergo Angelus videns Eſſentiam Dei in ſplendore luminis gloriæ non videt quidquam in aliis Angelis, qui ſunt velut ſtellulæ coram illo Sole.

Reſp. neg. conſ. Nec enim valet paritas de ſenſibilibus ad ſpiritualia, alioqui nulla creatura videri poſſet coram Deo viſo. De perfectione viſionis ſpiritualis eſt, ut nihil eam fugiat, ne minutiſſima quidem entia.

# CONCLUSIO II.

*Licèt de via ordinaria ſoli ſuperiores illuminent inferiores, tamen poteſt ſuperior illuminari per inferiorem de via extraordinaria.* Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. (1) *Dico, quòd Deus de potentia ſua abſoluta poſſet aliquid revelare Angelo inferiori, quod non eſſet revelatum, nec notum ſuperiori, & tunc inferior ille poſſet loqui ſuperiori de hòc, quod ſuperior ignoraret, & illa loquutio eſſet aliquo modo illuminatio... . de facto tamen veriſſimile eſt, quòd Deus ordinatè diſtribuat ſuas illuminationes, ſicut diſtribuit Angelos in ordinibus ſuis, primò quidem ſuperioribus, deinde inferioribus.*

Prob. 2. quia Deus in diſtributione donorum ſuorum liberrimus eſt, *dividens ſingulis, prout vult.* Sed ut docet Dionyſ. (2) *Hæc eſt lex divinitatis immobiliter firmata, ut inferiora reducantur in Deum per ſuperiora.* Sic legunt ſanctus Bonaventura, & Thomas. Alii verò legunt, *Mox quidem eſt Divinitatis ſanctiſſimus per prima, ſecunda, & inferiora ad ſuam diviniſſimam lucem deducere.* Sicut ergo lex iſta eſt à Deo liberè ſtatuente, ita & poteſt aliter diſponere, ſi placuerit.

Confir. Nam, teſte Apoſtolo, Angeli aliqua didicerunt ab hominibus: [3] *Ut innoteſcat Principibus, ac Poteſtatibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei;* ergo à fortiori poſſet per inferiores Angelos docere aliqua ſuperiores.

# DISPUTATIO III.

## *De voluntate* Angelorum.

Voluntas eſt altera facultas naturæ ſpiritualis, & ex dictis de intellectu patent plura, quæ circa illam quæri poſſent, ut diſtinctio, & identitas eorum inter ſe, & cum eſſentia, ordo, quem inter ſe habent, objectum ejus, & ſimilia, quæ nobis, & Angelis quoad voluntatem ſunt communia, & quæ diſcuſſi-

[1] *Ibid.* [2] *cap.* 5.
[3] *Epheſ.* 3.

diſcuſſimus in Philoſophia. Pauca, quæ illi ſunt propria, breviter expediemus.

## QUÆSTIO I.

*An, quid, & qualis ſit voluntas in Angelo.*

VOluntas eſt illa facultas naturæ rationalis, qua fertur in bonum (vel fugit malum ſibi ab intellectu oſtenſum, Hanc autem in Angelis, non eſt, qui negare poſſit. Conſtat enim ex Scriptura, & omnium Theologorum, & Patrum aſſenſu. Nam ex omnibus illis fontibus veritatis conſtat, Angelos bonos, & malos habere volitiones, & nolitiones, deſideria, amorem, odium, & alios actus, qui proprii ſunt voluntatis. Audiuntur inter ſe dicentes, [1] *Nolite nocere*, &c. Et (2) *In quem deſiderant Angeli proſpicere*. Et certum eſt, alios peccaſſe, & meruiſſe pœnas æternas, & alios perſeverare voluiſſe in gratia, & meruiſſe gloriam æternam. Denique proprium eſt omnis naturæ intellectualis, ut ſit etiam appetitiva, ſeu volitiva, alioqui fruſtra intelligeret bonum, & malum, niſi poſſet illud amare, & iſtud fugere.

Reſtat ergo an voluntas in Angelo ſit libera, & qua libertate, an libertate a *neceſſitate*, à *coactione*, à *peccato*, à *ſervitute*, an *eſſentiali*, an *contingentiæ*, an *contradictionis*, & *contrarietatis*, ſeu *exercitii*, & *ſpecificationis*.

## CONCLUSIO I.

V*Oluntas Angeli eſt abſolutè libera libertate contingentiæ, etiam quoad amorem ſui, & Dei.* Eſt de fide quoad 1. p. quatenus de fide eſt, aliquos meruiſſe gloriam, & alios damnationem. Nam meritum, & demeritum ſunt ex libertate illa.

Prob. 1. p. 1. ex Scoto. (3) Nam ſi eſt libera in homine, multò magis in Angelo. Unde, *ſi poſſibile eſſet, ut humana natura, quæ poſtquam à Deo averſa eſt, bonitatem perdidit voluntatis, ex ſe ipſa rurſus eam habere poſſet*,

[1] *Apoc.* 3. [2] 1. *Pet.* 1.
[3] 2. *d.* 7. *n.* 4.

*ſſet, multò poſſibilius eam haberet natura Angelica, tæ, quantò minùs gravatur mole terreni corporis, ntò magis eſt hac prædita facultate* (ſic loquitur poſt uguſtin.) (1) *Et hoc habere poſſe, arguitur ſic. Si vontas humana ex ſe poſſit redire ad juſtitiam, multò agis voluntas Angelica*; ergo hæc libera eſt ſaltem noſtra, quia illa eſt perfectior. Si autem voluntas ngeli eſt ſic libera, ut ei diſplicere poſſit peccatum, uod antè voluit, a fortiori erat libera, ut illud poerit non velle, cùm voluit. Et infra docet, (2) Angeum habere *principium rectæ volitionis meritoriæ*, quæ on eſt ſine libertate contingentiæ.

Prob. 2. Nam Scriptura, & Patres docent, Angelos n ſtatu viæ potuiſſe mereri, & demereri, ſed neurum poſſibile eſt ſine libertate contingentiæ; ergo, &c. Min. ſupponitur ex tr. de actibus humanis, & de nerito. Maj. prob. ex locis, quibus exprobatur Luifero ſuum peccatum. Unde inquit Baſilius: (3) Boni Angeli, *habentes in eligendo liberum arbitrium nunquam ab eo, qui vere bonus, conſortio excidentes* (mali verò) *quorum defectio comprobat, quod dicimus, virtutes inviſibiles ſui eſſe arbitrii*, ergo boni ad meritum, & mali ad peccatum fuerunt liberi. Et Gregor. Nyſſen. (4) *Plenam, ac ſummam in ſeſe poteſtatem, & ab omni neceſſitate liberam voluntatem in utriſque* (homine, & Angelo) *parem, rerum univerſarum præſes effecit, ut ab omni libero quodam arbitrio, atque propoſito regantur*. Et Damaſc. (5) *Eſt Angelus natura ſua intelligens, arbitrii libertate præditus .... quoniam id omne, quod ratione utitur, libertate quoque præditum eſt*. Idem docent communiter alii Patres.

Prob. 3. quia libertas eſt perfectio in homine; ergo à fortiori eſt in Angelo, qui eſt ſuperior, & perfectior.

Confir. quia de fide eſt, alios meruiſſe; & alios peccaſſe, & demeruiſſe; ſed ad meritum, & demeritum requiritur libertas contingentiæ; ergo iſta eſt in Angelis.

Prob. 2. p. de amore ſui. Nam 1. nihil apparet, quod poſſet neceſſitare Angelum ad amorem ſui, ſicut nec hominem. 2. quia ſi ſe amaret neceſſariò, vel amore

[1] *de fide*. [2] *Ibid. H.* [3] *De Spir. S. 16.*
[4] *De Orat. Dom.* [5] *de fide*.

re concupiſcentiæ, vel amicitiæ; ſed neuter eſt neceſſarius: ergo, &c. Prob. min. 1. non amore concupiſcentiæ, nihil enim eſt, quod ſibi cogatur cupere. Non 2. amore amicitiæ, quia iſte fertur in amatum, ut in finem; ſed Angelus non neceſſitatur ad ſic ſe amandum, alioqui vel non peccaret tali amore, vel neceſſariò peccaret, & non poſſet amare Deum ut finem. Et certè cùm creatus fuerit in ſtatu naturæ perfectæ, ſaltem naturaliter, voluntas ejus potiùs inclinabatur ad illum amorem Dei, quàm ſui; alioqui inclinatio ejus naturalis non fuiſſet recta. Hinc

Prob. 3. p. de amore Dei. Nam ſi ille amor eſſet neceſſarius in Angelo, eſset concupiſcentiæ, vel amicitiæ. Si 1. amaret ſe necesſariò, ut ſibi amaret Deum. Si 2. eſset impeccabilis. Nec enim peccatum, & ille amor ſunt compatibilia, & de fide eſt, Angelos malos defeciſſe ab illo amore, quando peccaverunt; ergo Angelus eſt liber etiam in amore Dei.

Prob. 2. quia ut Deus necesſariò, & naturaliter traheret voluntatem Angeli ad ſui amorem, deberet naturaliter, & necesſariò, & intuitivè videri, licet enim Deus ſit in ſe ſummum bonum, & ſummè amabilis, non tamen neceſſitat ad ſui amorem, niſi cognitus intuitivè, ut contingit in Beatis; ſed talis cognitio Dei non habetur naturaliter ab Angelo; ergo nec amor Dei necesſarius eſt in Angelo.

Objic. con. 2. p. Angelus eſt ſemper, & necesſariò in actuali cognitione ſui; ergo & in amore ſui. Prob. conſ. Non poteſt ſibi non complacere in ſua naturali, & propria perfectione, nec ſibi non velle bonum; ergo non poteſt ceſsare ab amore ſui.

Reſp. 1. neg. ant. Nec enim puto, Angelum ſemper, & necesſario eſse in actuali, & expreſsa cognitione ſui.

Reſp. 2. neg. conſ. Nam licèt intellectus Angeli non poſset ceſsare ab actuali cognitione ſui, quia eſt potentia naturalis, non ideò tamen voluntas ſic neceſſitaretur ad ſui amorem, quia eſt libera, nec in ſe videret ſummam bonitatem.

Inſt. Dei voluntas non poteſt ceſsare ab aliquo amore complacentiæ ad creaturas etiam poſſibiles, licèt earum bonitas non ſit ſumma, ergo nec Angelus ab aliquo amore ſui ob bonitatem, quam in ſe videt,

let, licèt non ſummam.

Reſp. neg. conſ. & parit. Nam 1. voluntas Dei eſt neceſsariò recta, & infinita; non ſic voluntas Angeli. 2. ſic Angelus neceſsario amaret alios, & naturas omnes; in quibus videt bonitatem aliquam, quod nemo dixerit.

Objic. con. 3. p. Angelus naturaliter determinatur ad cognitionem Dei; ergo & ad amandum illum, quia videt illum eſse ſummè bonum.

Reſp. neg. ant. Nihil enim repugnat, ut ſic attendat ad aliquod objectum creatum, ut nihil cogitet de Deo, quod nobis ſæpè accidit.

Reſp. 2. neg. conſ. quia cùm illa cognitio non ſit naturaliter intuitiva, nec clara, non trahit voluntatem neceſsariò ad amandum, ut de facto contigit malis. Deinde non rectè arguitur à neceſſitate cognitionis in intellectu neceſſitas amoris in voluntate. Nam ille eſt potentia naturalis, & hæc libera.

## CONCLUSIO II.

*Voluntas Angeli eſt libera libertate mutabilitatis, ſeu quantum eſt de ſe, non vult immutabiliter.* Eſt communior contra Thomiſtas.

Prob. 1. ex Scoto (1) cit. qui poſt Auguſtinum probat, voluntatem Angeli, ſicut & noſtram, poſse ex ſe ipſa redire ad Deum, à quo ſe avertit per peccatum. Et ante dixerat, quòd, quando Angelus *peccavit 2. peccato, potuit pœnitere de* 1. & ita iſtud non fuit irremediabile. Pœnitere autem non eſt ſine mutatione voluntatis. Dicit enim ceſsationem à peccato, & odium de preterito cum propoſito non peccandi de cetero; ergo ex Scoto voluntas Angeli non eſt immutabils.

Prob. 2. ex Patribus, ut ex Auguſt. (2) cit. à Doctore, quod alii tribuunt S. Fulgentio, & Damaſcenus dicit, *Creatum omne mutabile eſt, ſolum autem id, quod increatum eſt, mutari, convertique non poteſt. Porrò rationale omne poteſtate liberum eſt*, &c. Et Hieron. (3) *Deus ſolus eſt, in quem non cadit peccatum, cætera cùm ſint liberi arbitrii, in utranque partem poſſunt ſuam flectere voluntatem*. Et ſanct. Iſidor. (2) *Si na*

[1] *Ibid. d. 6. q. 2. S. n. 17.* [2] *de fide c. 3.*
[3] *Ep. 146.* [4] *Ep. 85.*

*naturæ incommutabiles eſſent*, (Angeli) *Diabolus non cecidiſſet*. Et alii Patres bonorum perſeverantiam non tribuunt naturæ immutabilitati, ſed gratiæ Dei patrocinio, ſine qua mali pœnitere non poſſunt. Et illi ſunt quidem *difficiliter in malum mobiles, non tamen immobiles* (ſcilicet de ſe), *nunc verò & immobiles non natura, ſed gratia*, &c. Et ſic alii communiter.

Prob. 3. quia Angelus de ſe eſt liber ad velle, & nolle, aut non velle, quando primò vult, & eligit; ergo & ad deſiſtendum ab actu electo. Ant. patet ex concl. præced. Prob. conſ. Non enim poteſt aſſignari ratio, cur non remaneat liber ad deſiſtendum æquè, ac ad perſeverandum; ergo ſi ad primum velle Angelus de ſe eſt liber, ita & ad ceſſandum ab eo. Prob. ant. 1. id non venit à Deo; non enim deceret Deum detinere voluntatem in malo; & non agit in creaturis niſi juxta earum exigentiam; ergo ſi voluntas Angeli de ſe non eſt immutabilis in malo, ejus immutabilitas non venit à Deo. 2. non ex natura voluntatis, quia potiùs libertas mutabilitatis eſt illi naturalis, & propria, & non minùs libera eſſe debet ad recedendum à malo, quàm ad eligendum bonum, & in eo ſtandum. 3. neque ex ullo habitu relicto poſt actum bonum, aut malum, ob eandem rationem. Sicut enim nullus habitus neceſſitat voluntatem ad agendum, ita nec ad perſeverandum in actu. Habitus quidem inclinant ad ſimiles actus illis, per quos generantur, non tamen neceſſitant ad non eliciendos contrarios. 4. Denique non ex parte intellectus, quia potiùs inde juvari deberent ad mutationem. Nam ſicut intellectus judicare poteſt, aliquid jam eſſe bonũ, quod ante putabat malum, aut non bonum, ita & voluntas per mutationem judicii poteſt mutare amorem. Præterquam quòd ſtante quocunque judicio voluntas manet libera.

Prob. denique. Voluntas Angeli creata eſt ſaltem recta, & amans bonum naturabiliter, & inclinata ad Dei amorem, & tamen in Dæmonibus mutata eſt, & converſa in malum; ergo voluntas Angeli de ſe non eſt immutabilis.

Objic. 1. Patres docent, Dæmones irrevocabiliter lapſos. Ex Fulgent. *Prævaricantes Angeli nec mala voluntate poſſunt carere*. Ex Damaſc. cit. Angelus eſt mi-

*minimè capax pœnitentiæ, quoniam corporis expers. Nam homo propter corporis imbecillitatem pœnitentiam eſt conſecutus*. Ex Sancto Laurentio Juſtin. *Poſt electionem, ſive in bono, ſive in malo immutabilem habet firmitatem. Ad quod enim ſe vertit, inflexibilis eſt*; ergo ex Patribus, voluntas Angeli eſt immutabilis, & maximè, ſi deliberatè eligit.

Reſp. neg. conſ. Nam Patres loquuntur de facto pro ſtatu, in quo jam ſunt Angeli, ſcilicet in termino beatitudinis, aut damnationis, non autem de eorum voluntate ex natura ſua, ut nos loquimur. Non dubitamus, quin hoc modo illi ſint immobiles in bono, & iſti in malo ratione ſtatus. Sanctus Laurentius loquitur de inflexibilitate morali, non phyſica. Difficiliùs mutantur, quàm nos, quia certiores ſunt in judiciis, & fortiores in volitionibus. Eodem ſenſu loquitur Damaſcenus, ut patet ex ratione ejus de corporis debilitate.

Objic. 2. Voluntas conformatur intellectui; ſed intellectus Angeli immobiliter adhæret judicio ſuo; ergo & voluntas electioni ſuæ. Maj. patet. Nam ſicut voluntas non fertur in incognitum, ſic conformatur cognitioni, ſicut appetitus ſequitur apprehenſionem. Illa enim eſt cœca. Prob. min. Angelus videt ſimplici intuitu objecta, nec in eis diſcurrit, ſicut nos non diſcurrimus circa prima principia, & ideò illis immobiliter adhæremus; ergo, &c.

Reſp. neg. maj. Nam intellectus fertur naturaliter in objectum ſuum, voluntas autem liberè. Neg. etiam conſ. prob. Nam licèt non poſſit ferri niſi in objecta ſibi propoſita ab intellectu, in quo conſiſtit tota conformitas illa, tamen poteſt illa objecta propoſita amare, vel odiſſe, aut ſaltem non amare. Minor etiam negari poſſet. Nam, ut diximus, intellectus Angeli eſt diſcurſivus, & poteſt aliquando decipi, v. g. circa futura libera, vel ſecreta cordis, item, cùm non omnia ſimul, & uno actu videat, poteſt, ſaltem ex inconſideratione modò unum velle ſub una formalitate, & modò idem nolle ſub alia.

Objic. 3. Voluntas perfectior fortiùs vult, & liberiùs eligit, & firmiùs adhæret electis; ſed voluntas Angeli eſt perfectiſſima; ergo firmiſſimè adhæret electis. Prob. maj. experientia. Nam videmus, quòd ſa-

ſapientes, qui maturiori deliberatione eligunt, rarius, & difficiliùs mutantur, *ſtultus* autem *ut Luna mutatur*.

Reſp. neg. maj. Nam ex majori perfectione voluntatis infertur quidem major libertas, & rectitudo, ſed non inflexibilitas abſoluta, imò major illa libertas ad primò volendum juvat, ad perſeverandum, vel ceſſandum à volitione, & ſicut actus, qui minùs ſunt liberi, minùs ſunt in noſtra poteſtate, ita magis liberi magis ſunt in poteſtate noſtra.

Inſt. Voluntas perfectior habet actus efficaciores, & fertur in objecta majori conatu; ſed majorem conatum, & efficaciam ſequitur firmior adhæſio, & immobilitas in volitis, & tales ſunt volitiones Angelicæ; ergo & immutabiles.

Reſp. diſt. maj. Sunt efficaciores, & fortiores, prout voluntas vult intenſius, aut remiſſiùs, con. ſunt neceſſariò intenſiores, neg. maj. Nec enim voluntas liberior ſemper agit fortius, nec ſecundum totas ſuas vires, ſed modò remiſſè vult, modo intensè pro ſua libertate, & ſic liberè in ſuis actibus ſtat, aut recedit ab eis.

Objic.4. Angelus vult immobiliter finem ultimum, ergo & media; ſed omnia, quæ eligit, ſunt ad finem illum; ergo omnia vult immobiliter. Prob. maj. Nihil mali videt in illo fine; ergo neceſſariò, & immobiliter vult illum.

Reſp. 1. neg. maj. Ut patet de malis Angelis, qui ab eo fine averſi ſunt; ergo circa finem ultimum verum fuerunt liberi, & mobiles, quatenus ſaltem alium ſibi elegerunt.

Reſp.2.neg. min. Nam ſicut ſunt liberi ex ſe ad peccandum, ita & deviandum à fine, & mediis, vel ad eligenda modò hæc, modò illa media etiam ad finem ultimum, ſicut plura, & varia illa ſunt. Nam ad cœleſtem Jeruſalem itur per duodecim portas, & vias.

Objic.5. Voluntas Angeli proximè accedit ad Divinam; ſed Divina eſt immobilis ob perfectionem ſuam, nam mutabilitas eſt imperfectio; ergo & Angelica.

Reſp. diſt. maj. Proximè accedit, infinitè tamen diſtans, & minoribus obnoxia defectibus, quam noſtra, con. ita, ut nullis ſit obnoxia defectibus, & nulli mu-

ſi mutationi, neg. maj. Certè finiti ad infinitum nulla eſt proportio, nec comparatio. Voluntas Dei eſt infinita, Angelica eſt finita, illa impeccabilis, iſta peccabilis, &c.

Inſt. Angeli ſunt ſapientiſſimi; ergo & immutabiles. Non enim eſt ſapientis mutare conſilium.

Reſp. neg. conſeq. Non enim dedecet ſapientem fieri ſapientiorem, & mutare conſilium de malo in bonum, aut de bono in melius. Imò pertinacia eſt vitium. Si autem per ſapientiam intelligatur inviolabilis rectitudo voluntatis, falſum eſt ant. alioquin non peccaſsent.

Dixi, *voluntatem Angeli eſſe libere mutabilem, quantum eſt ex ſe*, ſeu *ex natura ſua*. Nam, ut jam monui, ratione ſtatus, in quo ſunt de facto, ſc. beatitudinis, aut damnationis, boni immobiliter adhærent Deo, & mali peccato, illi ex efficacia gratiæ, & luminis gloriæ, & invincibili attractione objecti beatifici, iſti ex conſummata malitia, ex defectu gratiæ excitantis, & adjuvantis. ex vi tormentorum, &c. Loquimur ergo de Angelis præcisè ſecundum naturam ſuam, in qua creati ſunt, imò & ſecundum ſtatum gratiæ, quam acceperunt in ſtatu viæ, in quo alii benè egerunt, & meruerunt, alii malè, & demeruerunt; de quo infra.

## CONCLUSIO III.

*Angelus eſt liber libertate contradictionis, ſeu exercitii, ita ut quantum eſt de ſe, nullus ſit actus, à quo abſtinere, vel ceſſare non poſſit*. Eſt communior, & ſequitur ex præcedentibus.

Prob. 1. ex Scoto [1] cit. Nam ſi Angelus poſt primum peccatum potuit de illo pœnitere, potuit etiam non peccare, & à peccato abſtinere, & ceſſare; ergo quoad hoc fuit liber libertate contradictionis.

Probatur 2. Nulla poteſt aſſignari cauſa, per quam voluntas Angeli determinetur ad ullum actum poſitivum eliciendum, ita ut non poſſit non elicere, vel ceſſare ab illo; ergo eſt ad utrunque liber.



[1] *ibid.*

Confirm. Nam ſicut eſt perfectio in homine, quòd voluntas ſit integrè domina ſui actus; ergo à fortiori in Angelo, qui eſt longè perfectior; ſed hæc non eſſet integrè domina ſui actus, ſi determinaretur ad aliquem poſitivè eliciendum, ita ut non poſſet non elicere; ergo &c.

Objic. 1. Voluntas Angeli non poteſt abſtinere, aut ceſſare ab omni actu; ergo non eſt liber hac libertate, ſed aliquis actus eſt illi neceſſarius. Prob. antec. Nam otioſitas eſt defectus, nec ulla bonitas ibi poteſt eſſe; ergo non eſt poſſibilis in Angelo.

Reſpond. neg. conſeq. utranque. Nam licèt non poſſet ceſſare, vel abſtinere ab omni actu, ſeu ab omnibus ſimul, & collective, ſufficit, quòd nullus ſit in particulari, à quo non poſſit abſtinere, aut ceſſare; nam ſic erit liber reſpectu omnium diviſivè. Poſset etiam negari antec. Nec enim certum eſt, omiſſionem puram repugnare Angelo potiùs, quàm homini, cùm ille ſit liberior, nec illa otioſitas eſſet defectus, ſi attendatur ad libertatis uſum.

Cetera, quæ ſpectare poſſunt ad voluntatem Angeli, videbimus infrà, ubi de gratia, de merito, & peccato ejus.

## DISPUTATIO IV.

### *De loco, & motu Angelorum.*

INtellectus, & voluntas ſunt potentiæ activæ internæ per actus immanentes. Videndum de illis, per quas agere poſſunt ad extra, ut ſunt potentiæ occupandi locum, & tranſeundi ab uno in alium, & cæteras operationes externas exercendi, maximè circa hominem, cœlos, ſydera; & alias partes univerſi, aut inter ipſoſmet Angelos, & dici poteſt potentia executiva, & activa, &c.

QUÆ

# QUÆSTIO I.

*De loco Angelorum, an, & quomodò, & per quid ſint in loco.*

QUi Angelos eſſe corporeos dicunt, non habent difficultatem explicandi locationem eorum etiam circumſcriptivam. Sed nos, qui eos Spiritus puros dicimus, non ita facilè hanc quæſtionem reſolvimus. Quidam etiam SS. Patres dicunt, quòd *loci poſitio propria eſt corporum; quod autem natura eſt intelligens, & materia caret, longè ab omni ratione loci eſt*, ait Nyſſen. [1] Ideò videtur aliquibus, quòd tribuit eis *ubiquitatem*, aut *nullibilitatem*.

Diximus in Logica, quòd *ubi* conſiſtit formaliter in relatione extrinſecùs adveniente inter locum, & locatum, & reſultante ex poſitione rei in loco. Item diximus in Phyſica, omnem ſubſtantiam ſpiritualem, præter Deum eſſe in loco, & ibidem habes varias diviſiones loci, v. g. in *formalem*, & *materialem*, in *proximum*, & *remotum*, in *communem*, & *proprium*, in *externum*, ſeu *extrinſecum*, & *internum*, ſeu *intrinſecum*, in *realem*, & *imaginarium*, in *naturalem*, in quem inclinat locatum, ut lapis deorſum, & *violentum*, quem averſatur locatum, ut locus ſurſum pro lapide, in *circumſcriptivum*, in quo res eſt extenſivè, & ſecundum ſuam quantitatem totam in toto, & partem in parte loci, & *definitivum*, in quo res ita eſt, ut non ſit alibi, ſed ſine commenſuratione quantitatis, & indiviſibiliter totum in toto, & totum in qualibet parte ſpatii, ut anima in corpore noſtro.

Quæritur ergo 1. an Angeli ſint in aliquo loco reali, in quo contineantur, non quidem *circumſcriptivè*, quia non ſunt corporei, nec quanti, ſed *definitivè*, an verò ſint nullibi, vel ubique, 2. per quid ſint in loco, an per ſuam ſubſtantiam, quæ fundet immediatè relationem, quæ eſt *ubi formale*, an verò tantùm per operationem, ſeu per applicationem virtutis eorum activæ; ſic Michael eſſet in hac ſchola per hoc præciſè, quòd poſſet ibi aliquid ope-



[1] *con. Eunom.*

operari, licèt quoad ſubſtantiam, & actu eſset præſens in Cœlo.

## CONCLUSIO I.

A*Ngeli ſunt verè, & realiter in loco determinato, non autem ubique, aut nullibi*. Eſt communis contra Durandum, qui videtur velle, Angelum de facto eſse ubicunque, & poſse operari; unde ſequi videtur, quòd ſit ubique, quia poteſt operari ubique. Porrò in univerſitate Pariſienſi ſub Stephano Epiſcopo damnata eſt hæc propoſitio inter alias, *Angelus, vel anima ſeparata nuſquam eſt*.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quòd in Angelo eſt potentia paſſiva, qua poſſet eſſe in loco*... Et *dico quòd eſt in hoc loco, vel illo, quia non eſt ubique*, &c.

Prob. 2. ex Scriptura, qua conſtat, Luciferum fuiſſe in Cœlo, ex quo cecidit. Et tam de malis, quàm bonis indicatur eorum preſentia in certis locis. [2] *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer?* Et quòd poſt luctam Michaelis *non eſt inventus locus eorum ampliùs in Cœlo*. Et quòd [3] *Angelus Domini deſcendit de Cœlo*. Et [4] quòd erat Satan in deſerto tentans Chriſtum. Et quòd [5] *Circuivit terram, & perambulavit eam*. Et de Raphaele, [6] quòd comitabatur Tobiam juniorem, &c.

Prob. 3. ex SS. PP. Nam inquit Greg. Nyſsen. cit. [7] *Fieri non poteſt, ut quæ creatione producta ſunt, aut ſiunt, non omninò in loco, vel tempore habeant, ut exiſtant*. Et Baſil. [8] *In loco ſunt, & aſpectabiles ſiunt... cæterarum virtutum ſingulæ certo circumſcriptæ loco eſſe creduntur. Etenim Angelus ille, qui Cornelio aſtitit, non erat eodem tempore apud Philippum, neque qui ex altari Zachariæ alloquebatur, eodem tempore propriam in Cœlo ſtationem habebat*. Idem colligitur ex aliis communiter.

Prob. denique, tum quia Angelus eſt ſubſtantia finita, cui non repugnat eſse in aliquo loco, nec poteſt eſse ubique, & licet fortè non repugnet illi eſse nullibi, ſeu extra omne ſpatium reale ambiens, ut ſi eſset extra

[1] *d.2.q.5.& 6. & N.n.11.& 15.* [2] *Iſa.4.*
[3] *Luc.10.* [4] *Matth.4.* [5] *Job.1.* [6] *Tob.5.*
[7] *1.con.Ennom.* [8] *De Sp.S.16.& 22.*

extra mundum, tamen certum eſt, eum de facto eſse intra mundum, v. g. in cœlo, & in inferno; ergo Angelus eſt verè in loco reali, & determinato. Ant. patet quoad 1. p. Non enim poteſt repugnantia ulla dari, cur non poſſit eſse in aliquo loco. Patet etiam quoad 2. de ubiquitate. Nam propria eſt ſoli Deo propter immenſitatem, & infinitatem ſubſtantiæ ſuæ. Patet denique quoad 3. ex Scriptura, & Patribus citatis, qui Angelos aſserunt eſse modò in cœlo, modò in terra, & alios in inferno, vel in corporibus hominum.

Objic. 1. ex Patribus. Nam Gregorius Nyſs. [1] cit *Natura intelligens, & carens materia longè eſt ab omni ratione loci*. Et Didymus, *Loca, & commutationes locorum ab incorporalibus ſeparamus*. Et S. Baſilius dicit, *locum eſſe præcipuè corporis, animæ verò ex conſequenti propter habitudinem ad corpus, cùm ex naturæ ſuæ proprietate loco minimè circumſcribatur*; ergo multò minùs Angeli.

Reſp. neg. conſ. Nam Patres loquuntur de loco circumſcriptivo, non verò de definitivo. Nam anima eſt in corpore definitivè, corpora verò circumſcriptivè in loco.

Objic. 2. Locus eſt *ſuperficies ultima corporis ambientis immobilis*; ſed nulla res materialis poteſt continere ſpiritualem, qualis eſt Angelus; ergo iſte non poteſt eſse in loco realiter. Prob. min. Continens eſt actualius contento, ſed res corporea non eſt actualior ſpirituali; ergo nec poteſt iſtam continere.

Reſp. neg. min. alioqui anima non contineretur realiter in corpore &, diſt. maj. prob. Eſt actualior in ratione cauſæ activæ, conc. in ratione loci, neg. maj. & conſ. Nam ubicatio nullam dicit veram cauſalitatem erga locatum, ſed nudam præſentiam hujus ad illum.

Inſt. Auguſtinus poſt Ariſtotelem docet, ſola corpora eſse in loco; ergo Angeli non ſunt in loco.

Reſp. diſt. ant. In loco commenſurativè, ſeu circumſcriptivè, & per ubi corporeum, conc. per ubi ſpirituale, & definitivè, neg. ant. & conſ. Angeli enim ſunt in loco definitivè.

R 3 Objic.

[1] *ibid. 1. de Spir. Sanct.*

Objic. 3. Angelus eſt ubique; ergo non eſt in loco determinato. Prob. ant. Angelus poteſt operari ubique; ergo eſt ubique. In tantum enim res eſt alicubi, inquantum poteſt ibi operari. Et ideò Tertull. [1] & Orig. docent, Angelos eſſe ubique.

Reſp. neg. antec. & conſeq. prob. quidquid ſit de 2. ant. Non enim rectè infertur præſentia phyſica, & entitativa rei in loco præciſè, quia ibi operatur. 2. antec. non eſt abſolutè verum. Ut enim eſſent actu ubique per quandam immenſitatem actualem, deberent poſſe actu, & ſimul operari ubique, quod nemo ſomniavit. Poſſunt eſſe, ſicut & operari ubique ſucceſſivè, ſed hoc non argueret veram ubiquitatem. Et hoc ſenſu loquuntur illi Patres, non de actuali ubiquitate.

Objic. 4. Si Angelus non eſſet ubique, ſed in loco determinato, eſſet ſemper in loco æquali ſuæ ſubſtantiæ: ſed falſum conſ. nam poteſt occupare ſpatium modò minus, modò majus, quia eſt ſubſtantia ſpiritualis, ergo &c.

Reſp. diſt. maj. Æquali quoad aliquam limitationem, & determinationem, conc. quoad commenſurationem quantitativam, neg. maj. & conſ. Angelus eſt ſemper in loco æquali ſubſtantiæ ſuæ, eſt ſemper in loco determinato quoad aliquam determinatā magnitudinem, aut parvitatem, ſicut anima in corpore humano pigmæi, vel gigantis, ſed non aliter; eſt ſemper in aliqua determinata parte mundi, aut cœli.

## CONCLUSIO II.

*Locatio, ſeu ubicatio Angeli fundatur in ejus ſubſtantia, & terminatur ad locum realem, ſeu Angelus eſt in loco immediatè per ſuam ſubſtantiam formaliter, non verò per operationem, & applicationē virtutis ſuæ.* Eſt communis inter Scotiſtas, & alios contra Thomiſtas, qui volunt, eos eſſe in loco formaliter ratione operationis alicujus, vel per applicationem virtutis ſuæ operativæ.

Prob. 1. ex Scoto. [2] *Dictum illud, Angelus eſt in loco per operationem præciſè .... videtur eſſe damnatum, ſicut quidam articulus damnatus ab Epiſcopo* Pa-

[1] *Apol.22.* [2] *2.d.2.q.6.n.1.*

*Pariſienſi, excommunicatus*, &c. Et in Reportatis [1] *Angelus eſt in loco actu, quia coexiſtit corpori locanti .... minùs tamen propriè, quàm corpus, quia definitivè ... ſolùm igitur eſt in loco 4. modo*, (per præſentiam in corpore quod poteſt illum locare) *in actu*, (& hoc habet) *à creante ponente ipſum in loco, & poſteà poteſt ponere ſe in alio*, ſc. per motum localem.

Prob. 2. ex Script. quæ non colligit exiſtentiam localem Angelorum ex eorum operatione, ſed potius præſupponit exiſtentiam operationi, ut cùm inducitur Gabriel ſalutans Mariam, [2] *Miſſus eſt ad Mariam V. & ingreſſus dicit*, &c. Et de Chriſto D. *Acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei*. Et ſic de cæteris. Nam fruſtra diceretur *ingreſſus*, vel *acceſſiſſe*, ſi non aliter ibi eſſe poterat, quàm per miniſterium, &, ſi hæc poterat præſtare ſine præſentia entitativa, & reali, æquè, ac ſol operatur in viſceribus terræ, ubi non eſt per ſubſtantiam ſuam.

Prob. 3. ex Scoto, quia ſi Angelus non operaretur in cœlo Empyreo, ut forte non operatur, ſaltem tranſeunter, quia illud eſt immobile, non eſſet ibi localiter, nec etiam in terris, ſi eò mitteretur ſine operatione, & damnati non eſſent in inferno, in quo fortè nihil operantur, ſed patiuntur; ſed hæc abſurda ſunt; ergo & quòd Angelus non ſit in loco, niſi per ſuam operationem; ergo eſt in loco per ſuam ſubſtantiam.

Prob. 4. ex eodem. Si Angelus eſt in loco per operationem, eſt in toto cœlo, ſeu in toto primo mobili, nec poteſt aſſignari pars ulla determinata, in qua ſit potiùs, quàm in alia; ſed conſ. eſt falſum, & abſurdum, quomodò enim occuparet totum illud ſpatium? ergo &c. Prob. maj. Æqualiter agit, & movet totum illud cœlum; ergo æqualiter eſſet in illo toto.

Prob. 5. Nam eſſe non ſequitur operari, ſed è contra operari ſequitur eſſe; ergo operatio Angeli non eſt illi ratio eſſendi in loco, ſed potiùs exiſtentia in loco eſt illi ratio ibi operandi. Prob. conſ. Sicut ſe habet eſſe ſimpliciter, ad operari ſimpliciter, ita ſe habet eſſe alicubi, & ibi operari; ſed eſſe ſimpliciter eſt ratio operandi ſimpliciter, nam prius eſt eſſe ſimpliciter, quàm operari ſimpliciter; ergo eſſe alicubi eſt ratio.



[1] *d. 2. q. 2. n. 9* [2] *Luc. 2.*

tio ibi operandi; ergo non ideò præciſè Angelus eſt in loco, quia ibi operatur, ſed ideò ibi operatur, quia ibi eſt; ergo per aliud ibi eſt primò, quàm per operationem; ergo per ſuam ſubſtantiam.

Confir. Corpus poteſt eſse in loco ſine operatione; ergo à fortiori Angelus. Prob. conſ. Ideò Sol eſt in cœlo, quia ibi poſitus eſt à Deo, & non quia ibi operatur; ſed Deus tam poſset ponere Angelum in hac ſchola ſine operatione, quàm Solem in Cœlo; ergo ſi corpus poteſt eſse in loco ſine operatione, id poterit Angelus. Certè ſi Deus hodie ſuſpenderet omnem actionem Angelorum in cœlo, ut poteſt, ridiculum eſt dicere, quòd per hoc ceſſarent eſſe in cœlo.

Probatur 6. Illa operatio, per quam Angelus eſt in loco, eſſet immanens, vel tranſiens; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. 1. non eſt immanens, v. gr. intellectio, quia hæc eſt ſpiritualis æquè, ac ſubſtantia ejus; ergo non magis eſt illi ratio eſſendi in loco, quàm ſubſtantia ejus. 2. Non tranſiens, 1. quia, cùm ſit liber, poteſt ceſſare ab omni opere externo, ſaltem per negationem concurſus Dei, & tunc ceſſaret eſſe ullibi, quod eſt abſurdiſſimum. 2. quia ubicatio debet eſſe in ipſo locato; ſed operatio externa Angeli tranſit extra ipſum, & ad paſſum ſæpiùs diſtantiſſimum ab ejus ſubſtantia, ſecundum Thomiſtas, aut in toto cœlo, quod ab illo movetur. 3. quia ſi mittatur de cœlo in terram, & nihil operetur in medio ſpatio, dabitur naturaliter actio in diſtans, quam negant adverſarii; ergo, &c.

Alias rationes validas, & refutationes replicarum vide apud Fabrum noſtrum, & alios Scotiſtas.

Objic. 1. ex Patribus. Nam, inquit Damaſc. [1] *Incorporea natura, ubi adeſt, operatur, non corporaliter, ſed ſpiritualiter continetur... Intelligentia circumſcribi dicitur, ubi adeſt, intellectualiter operatur .... Intellectualiter adeſt, & operatur, ubi ubique miſſus fuerit*. Et Nazianz. [2] *Abuſivè dicimus Angelos in loco*, ſc. pro ſubſtantia. Et Auguſt. *Id facit ordo in ſpiritualibus, quod ſitus in corporalibus*. Sed in corporibus appro-

[1] *De fid.* 13. & 16.
[2] *Orat.* 34. *de Angel. fin.*

approximatio agentis ad paſſum attenditur ſecundum ſitum; ergo in Angelis præſentia, ſeu approximatio attenditur ſecundum ordinem; non enim ſunt capaces ſitus; ergo ex ſola operatione infertur locatio Angeli.

Reſp. neg. conſ. ultimam. Nec enim id ſequitur ex illis locis Patrum, ſed potiùs contrarium. 1. Damaſcenus ſemper ſupponit, Angelum eſſe, ubi operatur. *Ubi adeſt operatur*. Sic præſentia localis præcedit natura operationem, non verò iſtam ſequitur, & excludit ſolum ubi circumſcriptivum, ſeu corporale, non definitivum, ſeu ſpirituale. Uno verbo, docet & verè, quòd Angelus de facto eſt, ubi operatur, ſed non dicit, quòd non poſſit operari, ubi actu, & realiter non eſt, nec quòd neceſſariò operetur externè, ubicunque eſt, ita, ut ratio eſſendi ſit præcisè operatio ejus. Ad Nazianzenum dicit P. Faber, eum non ſic loqui, imò dicit Angelos eſſe modò in uno, modò in alio loco. *Ubique impigrè adſunt, tùm ob miniſterii promptitudinem, tùm ob naturæ levitatem*. Certè levitas nihil juvaret ad illam præſentiam localem, ſi non fieret niſi per operationem, vel applicationem virtutis. Nam operatio non exigit levitatem motus, ſed activitatem. Auguſtinus [1] etiam loquitur de ſitu corporali, quo locatum commenſuratur loco, & hunc meritò reijcit ab Angelo, non de ſitu ſpirituali, qui nihil eſt aliud, quàm determinatio locati ad certum locum, ſeu ſpatium, & eſt ordo ille, quem agnoſcit inter Angelum, & locum ejus, inquit Faber cit.

Objicies 2. Res corporeæ non ſunt in loco per ſubſtantiam, ſed per quantitatem; ſed Angeli ſubſtantia non eſt quanta; ergo non eſt in loco per ſubſtantiam. Prob. maj. Per id corpus eſt in loco formaliter, quod eſt illi ratio tangendi locum immediatè, ſicut habens veſtem non dicitur veſtitus, niſi tangat veſtem, & faciat diſtare latera ejus; ſed hæc fiunt per ſolam quantitatem, quia ſola quantitas dat habere partes extra partes impenetrabiliter; ergo res corporeæ non ſunt formaliter in loco, niſi per quantitatem.

R 5 Reſp.

[1] 2. *diſp.* 15. *a.* 28.

Reſp. neg. 1. maj. & diſt. 2. Per id res eſt in loco circumſcriptivè, & ubi corporeum, con. definitivè, & per ubi ſpirituale, neg. maj. Et diſt. min. Hæc fiunt materialiter, & impenetrabiliter, con. ſpiritualiter, & per indiſtantiam realem ſubſtantiæ, neg. min. Nam ſubſtantia animæ rationalis hoc modo tangit corpus, quod informat, & hoc ſufficit, ut dicatur eſſe in illo per ſubſtantiam æquè, ac per ullam operationem. Idem eſt de carne Chriſti in Euchariſtia, ubi eſt per ſuam ſubſtantiam ſine quantitate, & tamen ſufficienter tangit ſpecies panis, ut verè, & realiter dicatur eſſe ibi per ſubſtantiam, non verò per operationem.

Objic. 3. Ut ſubſtãtia Angeli ſit formaliter in loco, habere debet aliquid, quod illi ſit ratio fundandi relationem præſentiæ, ſeu ubicationis in loco illo; ſed nihil tale habere poteſt præter operationem; ergo non eſt in loco, niſi per operationem. Prob. min. Si quid aliud fundaret eam relationem, vel eſſet ipſa ratio ſubſtantiæ, vel ratio finitatis; ſed neutrum dici poteſt; ergo per ſolam operationem, Prob. min 1. non ratio ſubſtantiæ, quia eſt communis corporeæ, & incorporeæ, finitæ, & infinitæ, & eſt indifferens ad eſſe hic, vel alibi. 2. Non ratio finitatis, quia hæc etiam ratio eſt communis corporeæ, & ſpirituali, & indifferens ad omnem ubicationem; ergo nec ratio ſubſtantiæ, nec ratio finitatis non eſt formale fundamentum relationis præſentiæ localis.

Reſp. neg. min. 1. & 2. argum. & maj. 3. Non enim fundat illam relationem præciſè, & nudè per rationem ſubſtantiæ, & finitatis, ſed per utranque ſimul cum poſitione talis ſubſtantiæ in hoc, vel illo ſpatio, ſeu parte univerſi: in quo ponitur per Creatorem, vel per ipſummet Angelum ſe moventem. Nam relationes extrinſecus advenientes, ut ſunt ubicationes, non reſultant ſtatim poſitis fundamento, & termino in eſſe, ſed requiritur aliqua actio ponens conditionem, ſine qua non reſultant, ut diximus in Philoſophia. Sic Angelus non habet ubicationem in hac ſchola, niſi ſe in illa ponat.

Igitur, ex Scoto, nulla eſt ratio intrinſeca Angelo, per quam neceſſariò ſit in loco actu, ſed tantùm potentia, & aptitudine paſſiva, ut in hac, vel illa determinata parte univerſi; & hæc potentia eſt ratio

tio

tio ſubſtantiæ finitæ, & exiſtentis.

Ratio eſt, quia, ſi Angelus fuiſſet creatus ante mundum, fuiſſet exiſtens ſine ulla ubicatione actuali; ſi verò eſſet ſubſtantia infinita, ut Deus, non poſſet eſſe in loco determinato, quia non poſſet contineri, ſed eſſet ubique, & omnia contineret per immenſitatem ſubſtantialem, ut Deus. Et quia eſt ſubſtantia ſpiritualis, non poteſt eſſe in loco, niſi definitivè, & per ubi ſpirituale. Ita tamen eſt in uno, ut non ſit alibi ſimul, & naturaliter.

Fundamentum remotum illius ubicationis eſt ſubſtantia finita Angeli, proximum verò, & formale, ſeu conditio, ſine qua relatio iſta non reſultaret, eſt poſitio hujus ſubſtantię in hac parte determinata univerſi, v. g. in cęlo, ubi primùm poſita eſt à Deo creante; & ubicunque ſe ipſum ponere poteſt per motum.

Objic. 4. Si Angelus eſſet in loco per ſubſtantiam ſuam, eſſet ſemper in loco æquali, nec poſſet occupare majorem, aut minorem; ſed iſtud eſt falſum; ergo & illud. Prob. maj. quia Deus eſt ubique per ſuam ſubſtantiam, non poteſt non eſſe ubique, & quia anima per ſuam ſubſtantiam informat corpus totum, non poteſt informare plures, aut pauciores; ergo ſicut ſubſtantia Angeli non eſt modò major, ſeu amplior, & modò minor, ita nec poſſet occupare majorem, & minorem locum.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. Et diſparitas de Deo eſt, quia cùm ſit infinitus in actu ſecundo, & per eſſentiam immenſus, & immobilis, ſic in actu 2. debet ſemper replere omne ſpatium immobiliter. Non ita eſt de Angelo, ſed contrarium. Sic informatio eſt effectus naturalis animæ, non autem voluntarius, ita neceſſario informat totum corpus tantum, quantum eſt. Applicatio verò, ſeu præſentia Angeli eſt illi voluntaria, & ideò applicat illum ſpatio majori, aut minori, prout vult. Imò exemplum de anima probat falſitatem majoris. Nam ipſamet informat per ſuam ſubſtantiam corpus infantis exigui, & hominis grandioris, ſeu gigantei.

Quæres, *an potentia eſſendi in loco ſit in Angelo naturalis, an violenta.*

Reſp. nec ſic, nec ſic, ſed eſt neutra. Ratio Scoti eſt,

quia ſi eſſet naturalis, ille ex ſe inclinaretur ad eſſe in loco, & ſic non poſſet ſine violentia eſſe ſine loco, & ſi eſſet violenta, non poſſet ſine violentia ubicari; ſed utrunque eſt falſum; ergo illa potentia eſt neutra, ſeu indifferens, & ſicut potentia parietis ad albedinem, & nigredinem, ita & Angelus ad eſſe in loco, vel ſine loco, ſicut ad eſſe intra, vel extra mundum.

## QUÆSTIO II.

*Quantus ſit locus Angeli, an habeat terminum magnitudinis, aut parvitatis.*

Dicebamus, Angelum eſſe in loco diviſibili indiviſibiliter. Nunc quærimus, an ille locus debeat eſſe determinatæ extenſionis quoad magnitudinem, & parvitatem, ita, ut nullus ſit locus adeo extenſus, quin Angelus poſſit illum totum occupare, imò majorem in infinitum, nec ullus adeò parvus intra limites diviſibilitatis, quin poſſit reſtringi ad minorem in infinitum.

Suppono autem, ut certum, quòd licèt Angelus ſit ſubſtantia ſpiritualis, poteſt tamen occupare ſpatium diviſibile, ſicut anima eſt in corpore. 2. quòd Angeli de facto occupant loca determinata majora, aut minora, prout ſunt magis perfecti. 3. quòd nullus eſt, qui occupet totum mundum, vel cœlum totum, vel terram, vel aerem, alioqui non diceretur de Lucifero, & aliis, quòd *cecidit de cœlo*, & ſolus Deus dicere poteſt, *Cœlum, & terram ego impleo.* An verò poſſibilis ſit, qui ſic extendatur, videbimus.

Quærimus ergo hic, an Angelus de ſe habeat locum determinatum, ſeu adæquatum, ita, ut de ſe non poſſit occupare majorem, nec minorem; an verò poſſit extendi ad majorem in infinitum, aut reſtringi ad minorem, & minorem diviſibilem, aut reducere ſe ad punctum, ſi datur.

CON-

# CONCLUSIO I.

A*Ngelus habet locum determinatum in magnitudine, ultra quem non poteſt replere majorem, non autem in parvitate diviſibili.* Eſt communis quoad 1. p. contra Durandum, quatenus docet, Angelum poſſe ubique operari, & eſse, ubicunque potest operari. Quoad 2. verò videtur ſatis communis.

Prob. 1. p. 1. ex Scoto. [1] *Conceditur communiter, quòd non poteſt eſſe in loco quantumcunque magno, quia hoc eſt proprium Deo.* Quoad 2. verò non ſe declarat poſitivè, ut videbimus.

Prob. 2. ex eodem. Occupatio majoris loci eſt major perfectio activa, & entitativa, unde eſt perfectio infinita in Deo, quòd ſit ubique; ſed perfectio Angeli activa, & entitativa eſt finita; ergo locus, quem de ſe occupare poteſt, eſt finitus, & limitatus ad certam magnitudinem.

Prob. 2. p. 1. ex Scoto, qui licèt videatur inclinare in partem contrariam, & dicere videatur, *Angelum non poſſe eſſe in loco quantumcunque parvo*, fatetur tamen, quòd non adeſt *ratio neceſſaria nec ad unam partem, nec ad aliam, neo forte repugnat ei eſſe in puncto, ſicut in loco.* Unde

Prob. 2. ex eodem. [2] Probabile eſt; *Angelum poſſe eſse in puncto, ut in loco*; ergo multò magis poteſt eſſe in loco diviſibili quantumcunque parvo, donec deveniatur ad punctum, ſi iſtud non repugnet, de quo in Phyſica.

Confir. Angelus in loco diviſibili eſt totus in qualibet parte loci; ergo eſt totus in qualibet parte minima diviſibili.

Prob. 3. Quia non poteſt dari ulla ratio, cur id repugnet; ergo negari non debet illud eſſe poſſibile. Prob. ant. Vel repugnaret ex parte ſubſtantiæ, vel ex parte modi eſſendi in loco, vel ex parte modi operandi; ſed nullum horum dici poteſt; ergo &c.

Prob. min. 1. non ex parte ſubſtantiæ Angeli, quia eſt indiviſibilis in ſe, 2. non ex parte modi eſſendi; nam iſte eſt etiam indiviſibilis, & ſic locus parvus & indiviſibilis magis convenit utrique, ſc. ſubſtan-

tiæ,

[1] *Ibid.* 1. *n.* 11. [2] *Ibid. & R. n.* 13.

tiæ, & modo eſſendi. 3. non ex operandi modo, quia operari ſequitur eſse, & nulla pars adeò parva poteſt concipi, quam non poſſit movere Angelus: ergo nec in qua non poſſit operari.

Objic. 1. con. 2. p. Scotus docet poſitivè contrarium; ergo id non poteſt dici à Scotiſtis.

Reſp. neg. ant. & conſ. Scotus id tantùm probabiliter dicit, ex ſuppoſitione, quòd Angelus non poſſit poni in puncto; ergo cum in hoc ſit problematicus, ita & in illo.

Objic. 2. ex eodem. Non poteſt eſse in majori in infinitum per vos; ergo nec in minori pariter. Prob. conſ. Ratio, cur non poſſit eſse in majori, eſt, quia ſic poſset occupare ſpatium infinitum, & ſic eſset infinitæ virtutis; ſed idem requiritur, ut poſſit eſse in minori; ergo ſi illud repugnat, ita & iſtud. Prob. min. quia ſicut majoris perfectionis eſt poſse occupare majus ſpatium, ita & poſse reducere ſe ad minimum; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. 1. argum. & min. 2. & ant. 3. Nam ad occupandum majus ſpatium requiritur major virtus poſitiva; in reſtrictione autem attenditur quidem major libertas, ſed minor activitas, & conatus, & id faceret neceſsariò, ſi non haberet ex ſe majorem virtutem, quàm ad occupandum granum ſinapis, aut puncti. Præterea major perfectio petitur poſitivè ex virtute occupandi majus ſpatium, quoad partes determinatas, & categorematicas, non verò quoad indeterminatas, & ſyncategorematicas.

Inſt. ex eodem cum Euclide. *Quidquid poteſt eſſe in uno æqualium, poteſt eſſe in quolibet alio, niſi obſtet figura*, v. g. ſi Angelus poteſt occupare quadratum unius palmi, poteſt occupare quadrangulum ejuſdem extenſionis. Ex quo ſic arguitur. Duo latera quadrati poſſunt arctari per plures partes in infinitum, & quo magis duo illa latera arctabuntur, & approximabuntur inter ſe, eò magis alia duo elongabuntur, & ſic quadrangulum creſcet in infinitum in longitudine, & decreſcet in latitudine. *Quadrangulum* eſt corpus, vel ſpatium quatuor laterum æqualium, *quadrangulare* verò eſt quatuor laterum inæqualium, quia duo ſunt longiora duobus aliis.

Reſp.

Reſp. diſt. ant. quoad ult. p. & ant. prob. ejus. Quadrangulum creſcet in infinitum ſyncategorematicè, & Angelus occupabit illam longitudinem, con. creſcet poſitivè, & categorematicè, neg. ant. & conſ. Nam quantumcunque quadrangulum creſcat in longitudine per partes proportionales, nunquam occupabit majus ſpatium determinatum, quàm æquivalens ſpatio, quod occupabat quadratum. Nam quod acquiret in longitudine, deperdet in latitudine. Ita eſt de Angelo, qui occupat quadratum, aut quadrangulum. Et ſic non major virtus requiritur ad unum, quàm ad aliud. Hoc argumentum ſupponit compoſitionem continui ex partibus proportionalibus, & ſemper diviſibilibus.

Prætereà axioma illud Euclidis habet locum inter quantitates conſideratas Mathematicè, & in ſe, non autem reſpectivè ad formas ſubſtantiales. Nam anima non poſſet eſſe in corpore ſic extenſo in longitudine, licèt poſſet eſſe in quadrato.

## CONCLUSIO II.

*Probabile eſt, eundem Angelum poſſe occupare majus, & minus ſpatium, & quod poſſit eſſe in puncto indiviſibili, ſi detur.* Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] *Utrum* Angelus *determinatum locum requirat, ita, quòd habens tantam virtutem, ſi eſt præſens loco, de neceſſitate eſt præſens tanto loco, nec in poteſtate ſua eſt, quòd ſit præſens majori, & minori loco, ſicut eſt de corporibus, quia quodlibet eſt neceſſario in loco ſibi æquali .... Hoc dubium eſt, nec videtur faciliùs probari una pars, quàm alia.* Unde problema eſſe primam partem. Quoad 2. verò eodem modò reſolvit. *Nec fortè repugnat ſibi eſſe in puncto, ſicut in loco, quia nullum inconveniens videtur ex hoc inferri*, &c.

Prob. 2. 1. p. quia tam eſt liberum Angelo ponere ſe in hoc, quàm in illo loco quoad modum exiſtentiæ minus, aut magis extenſæ, quàm quoad ipſam exiſtentiam abſolutè; ſed iſtud eſt ei liberum; ergo & illud. Prob. maj. Si liberum eſt Angelo ponere ſe in

[1] *Ibid. l. n.* 14.

in corpore gigantis, & illud movere, ita, & ponere ſe in corpore pygmæi, & de facto videmus in Energumenis Dæmonem modò extendere ſe per totum corpus, & modò ſe reducere ad unam partem, v. g. ad pedes, aut digitum; ergo ſic poneret ſe in corpore majori, aut minori, v. g. in tota hac ſchola, aut in exiguo ejus angulo, & maximè, quia in hoc nulla eſt repugnantia, vel inconveniens, ajebat Doctor.

Confir. Quia, ex eodem, Angelus eſt in loco per liberam applicationem ſuæ ſubſtantiæ; ergo poteſt eam applicare majori, aut minori loco ex illis, quos poteſt occupare, niſi ratio urgeat in contrarium de Angelo, ſicut de corporibus; ſed nulla ratio urget; ergo &c.

Confir. 2. Nàm anima rationalis, quæ dum creatur, informat exiguiſſimum corpuſculum, tandem & ſucceſſivè extenditur, & informat corpus giganteum; ergo idem dici poteſt de Angelo quoad locum.

Prob. 2. p. 1. quia cùm ſubſtantia Angeli ſit ex ſe indiviſibilis, nihil repugnat, quin ſit in puncto ſimiliter indiviſibili, ſi detur; ergo probabile eſt eſſe poſse.

Prob. 2. Quando Angelus occupat locum diviſibilem, occupat illum indiviſibiliter, ita, ut ſit totus in toto, & totus in qualibet parte loci, & exiſtentia ejus in una parte nō pendet ab exiſtentia ejus in alia; ergo totus exiſtit in quolibet puncto; ergo non ſolum de poſſibili, ſed etiam de facto exiſtit localiter in puncto, ſi detur in continuo.

Cùm autem dico, *localiter*, non prætendo, quòd punctum illud contineat, aut ambiat ſubſtantiam Angeli, ſicut ſuperficies loci ambit corpus locatum, nec enim corpus indiviſibile habet ambitum, nec continere poteſt aliud indiviſibile; loquor de præſentia reali ſubſtantiæ Angeli in puncto, ita, ut non ſit actu extra illud, ac neutrum contineat aliud, ſed ambo coexiſtant ſibi præſentia contiguè.

Obiic. 1. con. 1. p. ex Poncio. Non debet concedi Angelo virtus fruſtranea; ſed ea, qua poſſet occupare minorem locum eo, quem naturaliter occupare poteſt, eſſet inutilis tam ipſi, quàm toti natu-

naturæ; ergo &c. Prob. min. quia nihil faceret in minori loco, quod non faceret in majori, nec poteſt aſſignari ulla talis virtutis utilitas; ergo &c.

Reſp. neg. min. & ant. prob. Nam quòd poſſit occupare majus, aut minus ſpatium, id commendat Dei ſapientiam, Angeli ipſius libertatem, & facit bonum univerſi, ut conformare ſe poſſet exigentiæ rerum, quæ poſſunt præſentiam ejus requirere, ut patet in anima, quæ valde utiliter reſtringit ſe in embryone; ſicut dilatat ſe in corpore grandiori, vel giganteo.

Inſt. Illa facultas animæ non pendet ab ejus libertate, ſed naturaliter ſic arctatur in embryone, & dilatatur in gigante; ergo neque in Angelo facultas illa debet pendere ab ejus libertate.

Reſp. neg. conſ. Nam eſt naturalis in anima, quia eſt informans, ut natura reſpectu corporis, cui infunditur; Angelus non eſt ut forma in loco, ſed liberè, & per liberam ſuæ præſentiæ adductionem.

Objic. 2. Deus non eſt minùs liber, quàm Angelus, & tamen non poteſt ſe arctare, ne ſit ubique; ergo nec Angelus, ut occupet minorem locum, quàm quem naturaliter occupare poteſt.

Reſp. neg. conſ. Nam Deus eſt neceſſariò immenſus, & ſic neceſſariò replet omne ſpatium reale; non ita eſt de Angelo quoad præſentiam ſuam in rebus, aut ſpatiis.

Objic. 3. Perfectio ſubſtantialis rerum non pendet à libertate, ſicut nec earum ſubſtantia; ergo ſicut Deus fecit hunc Angelum tantæ perfectionis, ut poſſit occupare tantum ſpatium, debet illud occupare neceſſariò, & non pendet ab ejus abitrio occupare majus, aut minus, quia hæc perfectio manat ab ejus ſubſtantia.

Reſp. diſt. ant. Non pendet à libertate quoad eſſe, & eſſentiam, con. quoad uſum, neg. ant. & conſ. Facultas volitiva, progreſſiva, intellectiva, & ſimiles in homine non pendent ab ejus libertate quoad eſſe, benè verò quoad uſum. Ita eſt de Angelo, qui accepit à Deo facultatem dilatandi, aut reſtringēdi ſe in loco majori, & minori, & uſus talis facultatis eſt ei liber; ſicut virtus activa quoad uſū pēdet ab ejus arbitrio, ut fortiùs, vel remiſ-

remiſſius, longiùs, aut propinquius agat.

Objic. 1. con. 2. p. Angelus eſt virtualiter diviſibilis; ergo nequit eſſe in loco indiviſibili, ſeu puncto. Prob. con. Quod eſt virtualiter diviſibile, debet eſse totum in toto, & in qualibet parte, ergo ſupponit locum extenſum, & diviſibilem, qualis non eſt in puncto.

Reſp. neg. conſ. & diſt. ant. prob. Quando eſt in loco diviſibili, & in actu, con. in actu 2. & quando eſt in locu indiviſibili, neg. ant. Quando Angelus eſt in loco diviſibili, ibi eſt in ſingulis partibus totus; cùm verò eſt in loco indiviſibili, & ſibi proportionato, eſt abſolutè totus in eo toto, & nihil ampliùs.

Objic. 2. Anima rationalis non poteſt informare punctum, nam requirit corpus organizatum, & extenſum habens partes; ergo nec Angelus eſſe in puncto, quia non eſt minoris virtutis.

Reſp. neg. conſ. & diſparitas eſt, quia anima eſt in corpore, ut forma informans, & compars ejus, ſine cujus concurſu non poteſt habere operationes humanas: Angelus verò non eſt in corpore, ut forma, non pendet ab eo, ut operetur.

Objic. 3. Angelus non poteſt eſſe, niſi ubi poteſt operari; ſed non poteſt operari in puncto ſaltem tranſeunter; ergo nec ibi eſſe.

Reſp. neg. min. Quid impedit, Angelum ſaltem inchoare operationem in puncto uno, & eam continuare in contiguis? poſſet etiam illud ipſum, in quo eſſet, movere.

Inſt. Non poſſet moveri localiter per puncta; ergo nec operari in eis.

Reſ. ex Scoto, neg. ant. Non ex puncto ſuo poſſet moveri in continuum, quod per illud punctum terminatur, & quidem ſucceſſivè continuè.

Dixi autem [1] *ſi dentur puncta realia* de quo viderint Philoſophi; ſicut & diviſibilitate continui in partes proportionales infinitas.

QUÆ-

[1] *Ibid.*

# QUÆSTIO III.

*Utrùm Angelus poſſit eſſe in pluribus locis diſſitis, & adæquatis ſimul, an plures in eodem loco, & quidem naturaliter.*

DIco 1. *naturaliter*. Nam quòd id poſſint ſupernaturaliter, non eſt major repugnantia de illis, quàm de corpore, & anima Chriſti D. vel hominis, 2. *diſſitis*. Nam ſicut poteſt eſſe in loco diviſibili indiviſibiliter, & majori, aut minori pro ſuo arbitrio, ſingulæ partes ſunt totidem loca, in quibus eſt totaliter ex parte ſui, & totalitate locati, non verò loci. Dubium eſt de locis diſſitis, v. g. Camberio, & Roma, aut partialibus, & inadæquatis ſeparatis, vel in pluribus adæquatis tam unitis, quàm diſſitis, v. g. ſuppoſito, quòd hæc ſchola ſit locus adæquatus, quem Angelus occupare poteſt, quæritur, an ſimul, & ſemel poſſit occupare duas æquales ſcholas, ſeu cubicula, an ſaltem occupare mediam partem unius Camberii, & aliam partem Romæ. Qui nolunt, Angelos eſſe in loco per ſubſtantiam, ſed per operationem, facilius dicere poſſunt, eos poſſe ſimul eſſe Romæ, & Camberii, quàm nos, qui ponimus eos in loco per ſubſtantiam.

## CONCLUSIO I.

A*Ngelus non poteſt naturaliter eſſe ſimul in duobus locis adæquatis, nec in duobus inadæquatis diſſitis*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto [1] poſt Damaſcenum, *De facto Angelus non eſt ſimul in duobus locis, & cum ſunt in cœlo, non ſunt in terra, nec è converſo. Hoc eſt de facto. De poſſibilitate tamen non videtur probabile, quod non poteſt unus ſimul eſſe in duobus locis, quorum uterque ſit ſibi adæquatus, ſecundum ultimum potentiæ ſuæ, puta, ſi ſecundum ultimum potentiæ ſuæ poſſet eſſe in loco unius milliaris, non poſſet virtute ſua eſſe in duobus locis talibus* ( ſc. milliaribus ) *quia tunc iſte locus* ( unius milliaris ) *non videretur ſibi adæquatus.*

[1] 2. *d.* 2. *q.* 7. *A. n.* 2.

*tus eſse ſecundum virtutem ſuam naturalem*. En 2. partem aſſertam, & probatam.

Prob. 2. ex eodem. Nam locus adæquatus ille dicitur, qui totam locati locabilitatem exhaurit, ita, ut nec locus excedat, nec excedatur; ergo repugnat naturaliter, eundem Angelum eſse ſimul in duobus locis adæquatis. Prob. conſ. Nam ſingula duo loca eſsent adæquata, & non eſsent; ſed hoc eſt contradictorium; ergo &c. Prob. mai. Eſsent, ut ſupponitur non eſsent verò, quia neuter adæquaret, vel exhauriret locabilitatem illius Angeli, quippe eſset locabilis in alio æquali loco.

Prob. 2. par. 1. ex Scoto [1], qui licèt videatur in hoc problematicus, aut dubius, tamen ex verbis citatis ex Damaſceno, quod idem non poſſit ſimul eſse in cœlo, & in terra, debet magis inclinare in partem negativam, nec enim in hoc quidquam facit major, aut minor diſtantia; ergo magis debet inclinare in hanc partem. Et ita tenent Scotiſtæ noſtri communiter.

Prob. 2. ex Patribus. Nam, inquit Ambroſ. [2] *Omnis creatura certis ſuæ naturæ limitibus eſt circumſcripta*; eſse autem ſimul in pluribus locis diſſitis, non eſt circumſcribi limitibus. Et Damaſc. [3] *Angelus dicitur eſse in loco, quia adeſt intellectualiter, & circumſcribitur, ubi & operatur. Neque enim in diverſis, ac pluribus locis operari eodem tempore poteſt.* Et ut loquitur Didymus. [4] *Angelus, qui aderat in Aſia oranti, non poterat ſimul adeſſe aliis in cæteris mũdi partibus conſtitutis*; ergo ex Patribus idem Angelus non poteſt ſimul eſse in duobus locis diſtantibus.

Prob. 3. Non aliter poteſt naturaliter Angelus eſse in loco, quàm ut eſt anima in corpore; ſed hæc non eſt in partibus corporis ſeparatis; ergo nec ille. Maj. patet. Non enim apparet ulla ratio diſparitatis inter Angelum, & animam quoad hoc. Prob. min. Alioqui enim anima noſtra eſset diviſibilis, & non eſset eadem in capite, & pede, ſed eſset diviſa à ſe ipſa, ſi perſeveraret eſse in pede abſciſso, & relicto Romæ, & in cętero corpore exiſtente Camberii.

Confir. quia ſic non videretur miraculoſa replicatio

[1] *Ibid.* [2] *De Spir. S.*
[3] 2. *Fid.* 17. [4] *Spi. S.*

tio corporis Chriſti in cęlo, & in Euchariſtia, in multis adeò locis. Nam diceretur ſpecies, ſub quibus exiſteret Romæ, & Camberii, & Pariſiis, eſſe tantùm diverſa ubi partialia humanitatis Chriſti tam naturalia, quàm iſta ubi ejuſdem Angeli.

Objic. 1. con. 1. par. Corpus Chriſti eſt ſimul in cœlo, & in altaris ſacramento, & quidem totaliter, ut in locis adæquatis; ergo Angelus id poterit.

Reſp. neg. ant. 1. quia id non fit naturaliter, ſed miraculosè. 2. quia id fit per replicationem ſubſtantiæ ejus, quod non fit in Angelo, prout hìc loquimur. Nec enim quærimus, an hoc ſit poſſibile in Angelo ſupernaturaliter.

Objic. 1. con. 2. par. ex Script. Angelus Raphael exiſtens in terra cũ Tobia dicit [1] ſe unum *ex ſeptem, qui adſtamus ante Dominum*; Idem eſt de Angelis cuſtodibus, qui *ſemper vident faciem Dei Patris, qui in cœlis eſt*; ergo ſunt ſimul in terra, & in cœlo.

Reſp. neg. conſ. Nam cùm Deus ſit ubique, ita & ubique poteſt videri ab Angelis, & ſerviri.

Objic. 2. Non debemus negare perfectionem aliquam Angelo, niſi repugnet; ſed non repugnat Angelo eſſe ſimul in pluribus locis partialibus, & diſſitis; ergo poteſt in eis eſſe.

Reſp. 1. neg. maj. Nam multas perfectiones imaginari poſſumus in Angelo non repugnantes, quas tamen eis non tribuimus.

Reſp. 2. neg. min. Nam ſicut repugnat in Angelo motus localis ab uno loco in alium diſtantem intranſito medio, ita & occupatio duorum locorum etiam partialium diſtantium relicto ſpatio medio. Eſſet enim à ſe ipſo diviſus.

Objic. 3. Quando Angelus dat ſe liberè præſentem uni loco adæquato, & partibus ejus, v. g. in hac urbe, vel id facit una indiviſibili locatione, vel pluribus reſpondentibus ad diverſas partes loci, & à ſe invicem dependentibus; ſi per unicam, adhuc eſt ei liberum facere ſe preſentem per unam ubicationem duabus, vel tribus partibus extremis urbis ejuſdem æquè, ac toti, nam liberum eſt illi occupare totum ſuum locum, vel partem ejus; ergo poterit ſe ponere præſentem parti ejus relicto medio; ergo & in

[1] *Tob.* 12.

in pluribus locis partialibus diſſitis.2. ſi per plures locationes, nulla ex eis dependet ab alia; & ſi vellet, produceret omnes ſimul, vel unicam, aut duas relictis aliis; ergo liberum eſt illi facere ſe præſentem partibus, quas voluerit relictis aliis, ſive mediis, ſive extremis. Prob. conſ. Non eſt minus liber ad eligendas ubicationes in tribus portis, quàm in quibuſcunque aliis partibus urbis. Pater Poncius putat hoc argumentum ſatis urgens.

Reſp. tamen diſt. ant. Per unicam totalem, vel pluribus partialibus etiam ſucceſſivè ſervato modo ſibi connaturali, con. alio modo, neg. ant., & conſequentias omnes. Nam ſive Angelus occupet totum ſuum locum ſimul indiviſibiliter per unicam ubicationem totalem, ſive per partes loci, ſemper id debet facere indiviſibiliter indiviſibilitate ſui, & per conſequens per partes loci continuas, aut ſaltem contiguas, ita, ut ſubſtantia ejus non ſit diviſa a ſeipſa; eſſet autem diviſa à ſe ipſa, ſi ſe ubicaret in partibus diſſitis, relictis intermediis.

## CONCLUSIO II.

PLures *Angeli poſſunt eſſe naturaliter in eodẽ loco ſimul.* Eſt communior, & videtur cõtra Thomiſt.

Prob. 1. ex Scoto [1] qui licèt fateatur, *non eſſe ita claram, & certam de facto*, illam tamen probat authoritate Richardi, addens, *quòd, ſi unus Angelus movens cœlum ſit in meridie, & alius bonus Angelus miſſus de cœlo in terram debeat tranſire per illũ locum, non videtur neceſſitas, quòd non tranſeat quaſi per lineam rectam, vel quòd Angelus cedat ſibi. Si etiam omnes fuiſſent creati ante omnem creaturam corporalem, ut putat Damaſcenus* [2], *non videtur facile aſſignare, quomodo tunc non fuiſſent ſimul.* Tum ſolvit argumenta contraria, & nullum ipſe proponit, quo videatur inclinare in partem aliam.

Prob. 2. ex Patribus. Nam Tertullianus [3] notat, quòd ſeptem Dœmones, imo & integra legio, ut in Gerazeno, poſſunt eſſe cum anima in eodem homine; unde colligit, quòd duæ animæ poſſunt facilius in unũ convenire. *Facilius anima conferetur ex ſocietate ſub-*

[1] *Ibid.* [2] *cap.* 17. & 21. [3] *De an.* 25.

*ſubſtantiæ, quàm Spiritus nequam ex diverſitate naturæ*. Et Nazianz. *Hæc intelligibilium natura eſt, ut incorporeo, & indiviſibili modo, & inter ſe, & in corporibus miſceantur*. Et Richardus, quem citat Doctor, arguit Dæmones non eſſe corporeos, quia una tota legio eorum unicum hominis corpus occupavit. *Nam ſi habuiſſent corpora, fuiſſent corpora eorum in eodem loco*, &c.

Prob. 3. Certum eſt, Angelos eſſe ſpiritus, & omnis materiæ expertes, & quantitatis; ergo nihil habent, per quod ſe ab invicem expellant ab eodem loco. Id enim habet ſubſtantia ex quantitate, ut patet ex Philoſophia.

Confir. Nam videmus, aliquas qualitates etiam ſenſibiles, & materiales ſeſe penetrare, & compati in eadem parte ſubjecti, v. g. aeris, ergo à fortiori duo Spiritus.

Dixi, *eos poſſe eſſe plures in eodem loco*, non autem, quod ita ſint de facto, nec fortè aliud intendit Scotus, quàm dubitare de facto, ut notat P. Faber, & ſaltem id pendet ab eorum voluntate, ſicut & eorum ubicatio in hoc, vel illo loco. Certè, juxta modum noſtrum concipiendi, videtur condecere, ut ſibi invicem cedant locum, ſicut fieri ſolet inter homines civiliter viventes.

Dixi 2. *naturaliter*. Nam de potentia ſupernaturali nemo dubitat, quandoquidem id non repugnat corporibus, ut docent Philoſophi.

Objic. 1. ex patribus, Ordo univerſi poſtulat, ut ſingulis aſſignentur loca ſingula. Unde Strabo [1] ad c. 1. Geneſis dicit, quòd Angeli *ordinatim in Empyreo collocati ſunt, ſtatim, ut illud factum eſt*. Quod à fortiori dicerent illi, qui putarunt, eos eſſe corpreos. Et plures negant Dæmones ingredi animas, ſed tantum corpora. Nam, inquit Paſcaſius, *Animæ, & Angelus Angelo conjungi poteſt, non infundi*, & addit, *Dæmones ſolas corporis latebras intrare poſſe, animæ vero interiora adire non poſſe*. Et Caſſianus, [2] *docet, ſoli Deo, qui ſolus eſt incorporeus, penetrabiles eſſe omnes ſubſtantias ſpiritales, intellectualeſque*; ergo Angeli non poſſunt plures ſimul eſſe in eodem loco. Nam id fieri non poſſet ſine mutua compenetratione.

[1] *Gloſſa ibid.* [2] *2. de Spir. S. 1. colla. 7. 13.* Reſp.

Reſp. neg. coſ. Nam ordo ille, de quo loquuntur Patres, reſpicit corporalia, non ſpiritualia, quibus perinde eſt, quod ſint locis corporalibus diſtincta, aut permixta, & cùm dicunt, Dæmones non ingredi animas, intelligunt ad alterandas earum ſubſtantias, vel imprimendos illis motus, nec ad detegenda eorum ſecreta, quia hæc non permittit eis Deus, qui ea ſibi ſoli reſervavit. Quoad penetrationem verò localem non puto, quòd eam negarint ulli Patres; niſi fortè, qui eos corporeos crediderunt, & in hoc ab eis reverenter diſſentimus.

Objic. 2. Si poſſent duo Angeli eſſe naturaliter in eodem loco, idem effectus poſſet pendere à duabus cauſis totalibus naturaliter; ſed conſequens eſt contra nos; ergo &c. Prob. maj. Quilibet eſſet in loco per ſuam operationem, & ſic vel alteruter, vel uterque impediretur à ſua operatione; Sed quilibet eſt cauſa totalis ſuæ operationis; ergo & ſuæ ubicationis; ergo penderet à duabus cauſis totalibus.

Reſp. neg. utranque maj. Nam falſum eſt Angelum non eſſe in loco per ſuam ſubſtantiam, item falſum eſt, quod ambo non poſſent operari ſaltem partialiter partialitate cauſæ, ſicut duo homines poſſunt uniri ad portandum onus, quod ſinguli poſſent ferre ſe ſolis, poſſent etiam ambo operari immanéter ſuas operationes independentes à loco.

Objic. 3. Duo corpora glorioſa non poſſunt eſſe ſimul in eodem loco; ergo neque duo Angeli, quia duo illa corpora non ſunt minus ſubtilia, quàm duo Spiritus. Prob. ant. Quæ habent eundem modum eſſendi, nequeunt eſſe ſimul.

Reſp. neg. ant. utrunq; Nec enim magis repugnat duo corpora glorioſa ſe compenetrare, quàm unum glorioſum penetrare non glorioſum, & patet experientia, quòd plura, quæ habent eundem modum eſſendi, ſunt ſimul, ut duo lumina, duo accidentia in eodem ſubjecto.

Reſp. 2. Dato ant. neg. conſ. Nam ſi hoc repugnaret duobus illis corporibus, aliunde proveniret, quàm ex eodem modo eſſendi; & tale impedimentum non eſt in Angelis.

QUÆ-

# QUSÆTIO IV.

## *De motu Angelorum, an, & per quod moveantur localiter.*

QUi tenent, Angelos eſſe ubique, aut non eſſe in loco, niſi per operationem, non admittunt in eis talem motum, quia in illis opinionibus, Angelum moveri, nihil eſt aliud, quàm ceſſare operari in uno loco, & operari in alio.

Porrò motus ex Philoſophis, *alius eſt indiviſibilis & inſtantaneus*, alius *diviſibilis, & ſucceſſivus*. Ille fit totus ſimul, & indiviſibiliter, ita ut mobile uno inſtanti deſerat totum locum, & alio acquirat totum alium. 2. verò per partes, ita ut mobile deſerat locum per partes poſt partes, & eodem modo acquirat alium, ſicut ignis 1. calefacit partes viciniores, & deinde remotiores unam poſt aliam. *Succeſſivus* alius eſt *continuus*, qui fit ſucceſſivè, & ſine quiete media; alius *diſcretus*, qui fit per partes, ſed mediis quietibus, & ſtationibus interpolatis, ita ut partes motus non copulentur inter ſe communibus mediis. Differunt etiam hi duo motus, quia *continuus* fit tranſeundo per medium à termino *à quo* ad terminum *ad quem*, non verò *diſcretus*, in quo mobile poteſt non tranſire per medium.

Medium autem aliud eſt *participans*, quod habet aliquid de extremis, ut tepidum habet de calore, & frigore, aliud *non participans*, quod nihil habet de extremis, inter quę mediat, ſed tantùm contingit loca extrema, ut paries mediat inter duo cubicula, aut domos.

Denique motus alius eſt *purè privativus*, cùm mobile deſerit locum unum, aut partem ejus ſine acquiſitione alterius loci, aut partis, ut cùm Angelus ceſſat occupare totum cubiculum, & ſe contrahit ad partem ejuſdem loci, alius *poſitivus*, quo deſerit locum unum totalem, & alium acquirit, v. g. tranſiens ab una cella ad aliam; alius *mixtus*, ſeu *partim privativus*, & *partim poſitivus*, quando mobile deſerit unam partem loci totalis, & acquirit partem alterius; ut ſi occupans totam hâc cellam deſerat medietatem ejus, ut occupet medietatem alterius vicinæ, & contiguæ. His poſitis

## CONCLUSIO I.

A*Ngelus verè, & realiter movetur ſucceſſivè, & continuè*. Eſt communior contra Durandum.

Prob. 1. ex Scoto. (1) quia inquit ex Damaſceno, *Angeli non ſunt ſimul in Cœlo, & in terra frequenter, & mittuntur in terram, ut apparet per Scripturam*, & id probat, quia *Angelus eſt receptivus alicujus ubi definitivè*, &c. Quod autem moveatur continuè patet, *quia inter duo* ubi *ſunt infinita* ubi *intermedia, quod probatur ex continuo motu per omnia illa* ubi, *per omnia autem illa poteſt Angelus tranſire, ita, quod in nullo horum ubi eſt, niſi indiviſibiliter, & per conſequens non poteſt illa omnia pertranſire, niſi continuò moveatur*. Et confirmat. Nam *anima Chriſti deſcendit realiter ad inferos, ſicut dicit articulus fidei*, ergo ex Scoto Angelus movetur localiter etiam ſucceſſivè, & continuè.

Prob. 2. ex Scriptura citata, ubi de Lucifero dicitur, (2) quòd *cecidit è Cœlo*. Et Chriſtus, (3) *Videbam Satanam, quaſi fulgur deſcendentem*. Et ipſe Dæmon dicit, *Circuivi terram, & perambulavi eam*. Et Jacob videt *Angelos aſcendentes, & deſcendentes* per ſcalam. Eccleſia orat, *Mitte Angelum tuum de Cœlis*, &c. Et in Euangelio Dœmones è corporibus humanis ejecti mittuntur in porcos, &c.

Prob. 3. ex Patribus. Nam inquit Auguſtinus, (4) *Angelus re vera ſecundum ſubſtantiam deſeruit Cœlum, & cœpit eſſe, ubi anteà non erat*, ſc. in inferno. Et Ambroſius (5) *Angelus cùm loco definiatur, poteſt locum acquirere, & deſerere*. Et Damaſc. (6) cit. à Doctore, *Angeli quo tempore mittuntur in mundum, impoſſibile eſt eos in eodem loco eſſe, & ſupra Cœlos*. Et Chryſoſt. *Angeli in multa loca propter nos mittuntur ... circa nos curſitant*. Sed hæc, & ſimilia intelliguntur litteraliter de motu reali, ergo &c.

Prob. 4. Quia Angelus verè habet ubi, ſeu locum determinatum, in quo verè, & realiter exiſtit, non autem eſt ubique per ſubſtantiam; ſed non alligatur naturaliter illi loco; ergo poteſt moveri ab illo. Maj. patet

[1] 2.*d*.2.*q*.9.*A*.*n*.7. [2] *Iſa*.13. [3] *Luc*.10.
[4] 1.*Retract*. 24. [5] *de Sp.S*. 10. [6] *hom*.3. *Hebr*.

patet ex dictis. Prob. min. quia locus eſt materialis, & ſubſtantia Angeli eſt ſpiritualis, ergo hæc non poteſt eſſe naturaliter alligata loco.

Prob. 2. p. Nam, ut dicebamus ex Scoto, inter duo loca, de quorum uno poteſt Angelus moveri ad alium, ſunt multa intermedia, per quæ poteſt, vel debet tranſire, & illa ſunt diviſibilia, & continua; ergo per illa movebitur ſucceſſivè, & continuè, non enim poteſt ſimul omnia occupare, aut tranſire. Prob. ant. Si quid impediret motum per loca illa, maximè ſpiritualitas, & indiviſibilitas Angeli. Sed hęc non impedit; ergo nihil impedit. Prob. min. Anima ſeparata eſt tam ſpiritualis, & indiviſibilis, quàm Angelus, ſed illa poteſt moveri ſucceſſivè, & continuè; ergo & ille. Prob. min. Anima Chriſti deſcendit ad inferos, & animæ juſtorum aſcendunt in Cœlum, nec ulla ratio probat, motus illos eſſe inſtantaneos; ergo ſunt ſucceſſivi, & continui.

Confirm. Nam ſunt in corpore diviſibili indiviſibiliter; ergo poſſunt moveri in eo ſucceſſivè indiviſibiliter. Non enim difficilius eſt moveri ſucceſſivè, quàm eſſe in corpore.

Confir. 2. Angelus Tobiæ movebatur cum illo per motum ſimilem noſtro; ſic de Angelis aſcendentibus, & deſcendentibus per ſcalam, ſcilicet gradatim; ergo &c.

Dices, Hunc motum fuiſſe per accidens, ſcilicet mediantibus corporibus aſſumptis, in quibus, & per quæ movebantur, ſicut lapis in navi, non autem motu intrinſeco; ſic anima movetur in corpore, & cum illo.

Contra 1. Tunc Angeli non movebantur cum corporibus ſine aliqua ſui motione paſſiva, inquit Doctor, & quidem diſtincta à motione corporum; quia non erant aliquid illorum corporum, ſed potiùs ipſi ea movebant, cum iſta non eſſent animata. 2. Quia ipſi ſæpe mittuntur inviſibiliter, ſicut qui miſſus eſt ad Joſeph de conceptu Mariæ Sponſæ dubitantem.

Prob. 2. Angelus poteſt ſe ſe reſtringere, vel dilatare ad majorem, aut minorem locum, ſed hoc fieri non poteſt naturaliter, niſi deſerendo aliquam partem, quam occupabat, vel extendendo ſe ad aliquas, quas

non occupabat; ſed ibi eſt ſucceſſio, & continuitas; ergo poteſt moveri localiter ſucceſſivè, & continuè.

Prob.denique. Poteſt venire Angelus Roma Camberium tranſeundo per loca omnia unum poſt alium, & ſine quiete, vel morula, ſed ille motus erit ſucceſſivus, & continuus; ergo &c.

Objic.1.con.1.p.exPP.Nam inquit Aug.(1)*ſpiritualis tantummodo per tempora mutari poſſet, corporalis autem per tempora, & loca ... omne quod movetur per locum, non poteſt niſi per tempus ſimul moveri: at non omne quod movetur per tempus, neceſſe eſt etiam per locum moveri*. Et S. Bernar. (2) *Diſcurrere, & de loco ad locum tranſire, non eſt niſi corporum; quod frequenter Angelos facere tam indubitata, quàm nota probat authoritas*; ergo Angeli per ſe, & ſine corpore non moventur localiter.

Reſp.neg. conſ. Nam Auguſt. negat motum Angeli diviſibilem,qualis eſt corporum, quæ ſunt in loco circumſcriptivè, & ſic motu diviſibili moventur, non autem motu indiviſibili, ut Angeli. Loquitur etiam de motibus internis, & purè intellectualibus, ſeu actibus intellectus, & voluntatis, v. g.(3) *movetur animus vel reminiſcendo, quòd oblitus erat, vel diſcendo, quod neſciebat, vel volendo, quod nolebat*. Bernardus autem loquitur de motu, & miniſteriis Angelorum, non ſecundum ſe, ſed circa nos in forma viſibili. Quonam autem modo (4) *impleat miniſterium ſuum abſque corpore apud viventes in corpore?* inquit. Non negat, quin poſſint moveri ſine corpore. *Quomodò veniret è Cœlo in iſta corpora, quæ aſſumunt ad tale miniſterium ſine motu locali?*

Objic. 2. Angelus poſſet eſſe in puncto, ſed ibi non poſſet moveri ſucceſſivè, & diviſibiliter; ergo non ſic movetur. Prob. min.quod movetur ſucceſſivè, partim eſt in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*, ſed quod eſt indiviſibile, ut Angelus in puncto, non eſt partim in illis terminis, ergo non poteſt ſic moveri.

Reſp. neg. min. & diſt. maj. Partim partialitate ſpatii, in quo movetur, vel mobilis, vel utriuſque,conc. par-

[1] 8.*Gen.litt.*20. [2] *Ser.*5.*cant.* [3] *ibid.*
[4] *ibid.*

partialitate mobilis ſolius, neg. maj. & conſ. Sufficit enim partialitas loci, in quo fit motus. Ideò corpus perfectè ſphericum poſſet moveri continue ſuper corpore perfectè plano, licèt illud non tangeret niſi in puncto.

Inſt. ex Philoſopho. Indiviſibile non poteſt moveri, ſed Angelus eſt indiviſibilis; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. Non poteſt moveri diviſibiliter, & commenſurativè ad locum, in quo movetur, conc. indiviſibiliter, & definitivè, neg. maj. & conſeq. Philoſophus loquitur de motu diviſibili, & commenſurativo ex parte mobilis ad loca per quæ movetur.

Inſt. 2. Motus eſt accidens in mobili; ſed motus ſucceſſivus non poteſt eſſe in mobili indiviſibili, ut ſunt Angelus, & punctum; ergo neutrum poteſt moveri. Prob. min. Accidens diviſibile non poteſt ſubjectari in re indiviſibili, ſed omnis motus ſucceſſivus eſt accidens diviſibile; ergo repugnat in Angelo, & puncto.

Reſp. diſt. utranque maj. Eſt in mobili tranſeunter, & ſecundum partes ſucceſſivè, conc. permanenter & ſecundum partes plures ſimul, neg. maj. Motus eſt in Angelo tranſeunter, & per partes ſucceſſivè, ita ut nunquam ſint duæ ſimul, & ideò eſt in eo indiviſibiliter.

Reſp. 2. diſt. maj. Eſt accidens relativum, & fluens, conc. abſolutum, & permanens, neg. maj. Nam motus non dicit niſi relationem mobilis ad locum, ad quem movetur, & hæc relatio tam poteſt eſſe in ſubjecto indiviſibili, quàm diviſibili, & quia ſemper tranſit, ita ut nullum ſit inſtans durationis motus, in quo illa ſit eadem cum præcedenti, & ſequenti.

Objic. cont. 2. p. Succeſſio in motu venit ex reſiſtentia mobilis, vel medii ad motorem, ideò Ariſtoteles negat hunc motum in vacuo defectu reſiſtentiæ; ſed nulla talis reſiſtentia eſſe poteſt in motu Angeli; ergo nec ſucceſſio. Prob. min. 1. non ex reſiſtentia mobilis ad motorem, quia ipſemet eſt mobilis, & motor, qui non ſibi reſiſtit, 2. nec medii ad mobile, vel motorem, quia medium eſt corporeum, mobile verò, & motor eſt ipſe Angelus, ſeu ſpiritus, cui non reſiſtit corpus.

Reſp. neg. maj. quæ non continet cauſas omnes ſuc-

ceſſionis in motu. Nam poteſt venire à diviſibilitate medii, & limitatione agentis. Nam cùm inter terminum *à quo*, & terminum *ad quem* ſint multa ubi media percurrenda, virtus finita Angeli non poteſt ſimul omnia pertranſire. Poſſet etiam negari min. Nam ob eandem rationem reſiſtentia eſt ex parte medii per ſuam diviſibilitatem, & extenſionem. De motu in vacuo patet ex Phyſica.

Objicies 2. Si motus Angeli eſſet continuus, vegetior non citiùs percurreret ſpatium, quàm debilior cum debiliori facultate; ſed conſeq. eſt falſum, abſurdum enim eſt, quòd fortior facultas motrix non moveatur velociùs, nec percurrat citius idem ſpatium. Prob. maior, quia tam fortior, quàm debilior deberet percurrere tot partes ſpatii cum æquali non reſiſtentia, nempe partes infinitas proportionales.

Reſpond. ut in Phyſica, de compoſitione continui, neg. maj. Nam fortior citiùs percurreret ſingulas partes ſpatii, & eadem eſt difficultas de quolibet alio mobili.

Reſp. 2. neg. maj. Nam licèt valeret illa ratio durationis, aliunde non valeret, quia fortior poſſet majorem vincere reſiſtentiam, aut æqualem faciliùs ſuperare, & majus corpus movere, & ſic percurrere citiùs idem ſpatium.

Reſp. 3. retorquendo argum. in adverſarios, qui vellent, omnem motum Angeli eſſe diſcretum, & inſtantaneum. Inde enim ſequitur evidentiùs, quòd robuſtior non percurreret citiùs ſpatium è cœlo ad terram, quia uterque, ſc. robuſtior, & debilior deſcenderet in inſtanti indiviſibili.

## CONCLUSIO II.

M*Otus Angeli eſt quid reale in Angelo, & dicit relationem extrinſecùs advenientem, quæ vocari poteſt relatio tendentiæ ejus à loco ad locum.* Patet ex dictis in Phyſica de motu, quem diximus eſſe formaliter in mobili, & importare ſucceſſionem termini *ad quem*, poſt terminum *à quo*.

Prob. 1. ex Scoto (1) *Mutatio etſi det intelligere ſubjectum*,

[1] 4. *d. n. q.* 1. *E. n.* 1.

*jectum, quod mutatur, & formam, ſecundum quam mutatur, & habitudinem ſubjecti ad formam, tamen ultra iſtam habitudinem formaliter importat ſucceſſionem immediatam informationis ad non informationem, & è converſo.* Vides motum importare plures relationes in mobili, v. g. ad motorem, ad terminum motus, qui eſt forma acquiſita per illum, & præcipuè ad terminum, *à quo* mobile recedit, & *ad quem* accedit, & ad diverſa *ubi*, quæ ſucceſſivè acquirit, & deſerit.

Prob. 2. quoad 1. par. Nam motus verè, & realiter denominat Angelum moveri, & iſte verè, & realiter movetur; ergo motus eſt verè quid reale in ipſo. Prob. conſ. Quoties ſubjectum denominationis eſt capax formæ denominantis, hæc in eo eſt formaliter; ſed Angelus eſt capax motus, qui eſt forma denominans, & qua dicitur moveri; ergo &c.

Prob. 2. par. Nam tota ratio, & eſſentia motus, prout diſtinguitur à motore, & mobili, eſt ad aliud ſe habere, totum ejus eſſe eſt ordinare mobile ab uno ubi ad aliud; ergo eſt pura relatio.

Prob. 3. p. Nam relatio, quæ non reſultat inter extrema ipſis poſitis in rerum natura, ſed ad quam requiritur actio aliqua, velut conditio neceſſaria, ſine qua non reſultat, talis, inquam, relatio dicitur extrinſecus adveniens, ut patet ex Philoſophia; ſed relatio motus non reſultat inter extrema ſua ex eorum natura, & ipſis exiſtentibus; ſed requirıtur actio motoris, ſine qua non eſſet motus; ergo eſt tantùm extrinſecùs adveniens. Prob. min. Nam quandiu Angelus quieſcit in Cœlo, tam ipſe, quàm Cœlum, & terra exiſtunt, & omnia ſpatia intermedia, ſine relatione, quam importat motus à Cœlo ad terram; ergo &c.

Objic. 1. con. 1. p. Motus ſpecificatur à termino, & eſt intrinſecus, ſi terminus *ad quem* eſt intrinſecus; ſed terminus, ad quem movetur Angelus localiter, eſt ei extrinſecus; ergo motus nihil dicit intrinſecum in Angelo. Confir. ex Philoſopho (1) dicente, quòd per motum localem mobile non mutatur intrinſecè, quia per eum nihil acquirit intrinſecum; ergo motus nihil eſt intrinſecum in Angelo.

 Reſp.

[1] 8. *Phyſ.* 89.

Reſp. neg. maj. pro 2. parte. Non enim dicimus, quòd per motum localem acquiratur quidquam intrinſecum, ſed quòd motus ſit intrinſecus mobili. Motus localis differt ab aliis in eo, quòd terminatur ad locum extrinſecum, & ad ubi intrinſecum, quod eſt relatio locati ad locum, non autem forma abſoluta. Et per id patet ad Philoſophum, qui negat tantùm, quòd per motum localem acquiratur forma abſoluta intrinſeca, ut fit per motum generationis, augmentationis, &c.

Objic. 2. Si motus eſſet intrinſecus Angelo, toties mutaretur intrinſecè, quoties movetur; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c. Maj. patet, quia cùm motus ſit ſucceſſivus, una pars ſuccedit alteri, & ſic ſemper mutatur mobile. Prob. min. Nam ſubiret mutationes infinitas ſecundum partes infinitas motus continui, & infinita ubi, quæ ſucceſſivè acquireret, & perderet; ſed tot mutationes intrinſecę ſunt indignæ in creatura nobiliſſima; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. Mutaretur per formas relativas, con. maj. & neg. min. per formas abſolutas intrinſecas, neg. maj. & conſ. Illæ omnes partes motus, & illa ubi ſunt puræ relationes, & nihil abſolutum ponunt in Angeli ſubſtantia, nihil autem abſurdi, quòd per tales relationes mutetur ſucceſſivè, etiamſi ſint infinitæ ſyncategorematicè.

## CONCLUSIO III.

*Angelus movet ſe ipſum localiter per facultatem motricem formaliter diſtinctam ab ejus eſſentia, & ab aliis facultatibus*. Eſt de fide quoad 1. p. & Scotiſtarum quoad alias.

Prob. 1. ex Scoto. (1) *Concedo, quòd poteſt à ſe localiter moveri, quia cuicunque ineſt potentia paſſiva ad aliquid acquirendum, vel habendum per motum, non eſt imperfectionis in eo, quòd habeat potentiam activam, per quam poſſit illud acquirere*. Sed eſt perfectio in Angelo, quòd poſſit recipere paſſivè locum per motum, ſicut eſt in aliis entibus; ergo & eſt perfectio, quòd per ſe ſibi poſſit locum acquirere per motum. Certè nulla eſt ratio negandi eam facultatem in

[1] *Ibid. q. 10. A. n.*

in Angelo, quæ eſt perfectio in aliis omnibus viventibus.

Prob. 2. ex Script. quæ talem facultatem, & motum ipſum tribuit Angelis tam bonis, quàm malis. Diabolus dicit de ſe, (1) *Circuivi terram*. Chriſtus de immundo ſpiritu dicit, (2) quòd exit ad homine, *ambulans per loca*, & quòd *aſſumens 7. Spiritus nequiores ſe, revertitur, unde exivit*. Et D. Petrus, (3) quòd *tanquam leo rugiens circuit quærens, quem devoret*. Et de Michaele, quòd *venit in adjutorium*, &c. ergo Angeli habent in ſe potentiam motricem ſui. Non enim ſic loqueretur Scriptura, ſi à Deo, vel alio motore extrinſecè ſic moverentur; nec Deus ferret, aut veheret Dæmones ad nocendum, & ridiculum eſſet dicere, quòd unus Angelus poteſt movere alios, non verò ſe ipſum.

Prob. 3. Illa virtus eſt perfectio in homine, & bruto, imò & in gravibus, & levibus, quæ moventur ſe ipſis ad centrum ſuum; ergo & in Angelo, qui longè perfectior eſt, & quidem in gradu vitæ. Nam ad perfectionem vitæ ſpectat virtus movendi ſe ab intrinſeco.

Prob. 2. par. Nam hæc facultas eſt ſeorſim adæquatè conceptibilis tum ab eſſentia Angeli, tum ab aliis ejus facultatibus, v. g. ab intellectiva, & volitiva; ergo ſic ab eis diſtinguitur.

Objic. 1. ex Ariſtot. *Omne, quod movetur, ab alio movetur*, alioqui idem eſſet movens, & motum, & in actu, quatenus ſe moveret, & in potentia ad ſe ipſum, quatenus moveretur à ſe ipſo; ſed implicat, idem ſimul eſſe in actu, & potentia ad ſe ipſum; ergo & Angelum moveri à ſe ipſo.

Reſp. neg. maj. Nam falſitas axiomatis patet experientia de viventibus, quæ à ſe ipſis moventur immanenter, & tranſeunter, & liberè. Et motus ipſe ex Ariſt. (4) *eſt actus entis in potentia, prout in potentia*; ergo actus, & potentia ibi uniuntur, & ex actu arguitur potentia juxta illud aliud axioma magis verum. *Ab actu ad potentiam valet conſequentia*. Philoſophus ergo in illo priori loquitur de motu, qui terminatur ad exiſtentiam, & hic actus, qui dicitur en-



[1] *Job* 1 [2] *Luc.* 1.
[3] 1. *Pe.* 5. [4] 8. *Phyſ.* 30.

*titativus*, ſeu *exiſtentia*, opponitur potentiæ *objectivæ*, quæ excludit exiſtentiam.

Objic. 2. Quidquid movet ſe, habet duas partes, quarum una eſt primò movens, & alia eſt mota; ſed Angelus non habet partes; ergo non ſe movet. Prob. maj. Si idem poſſet ſe primò movere, quieſceret, & non quieſceret, quieſceret, ut movens, & non quieſceret, quia moveretur; ſed hæc ſunt contradictoria in eodem reſpectu ejuſdem; ergo quod ſe movet, debet habere partes, quarum una ſit movens, & alia mota.

Reſp. neg. utranque maj. Philoſophus loquitur de ente corporeo, & vivente, quod per cognitionem internam movet potentias externas motu organico. Sed in anima ipſa, & in Angelo, idem eſt movens, & motum, quia non habent partes.

Inſt. Ratio moventis; & moti includit relationes oppoſitas; ergo non poſſunt convenire eidem animæ, vel Angelo.

Reſp. diſt. ant. Relationes oppoſitas ſine dependentia, vel cauſalitate reali extremorum, con. cum tali dependentia, & cauſalitate, neg. ant. & conſ. Iſtæ relationes non dicunt dependentiam, nec cauſalitatem realem ad invicem. Terminus formalis eſt formalitas motus, qui eſt accidentalis mobili, & in eo recipitur ſine vera cauſalitate ejus, qualis eſt inter cauſam, & effectum, vel producens, & productum. Angelus, ut cauſans motum, dicitur movens, & ut recipiens illum in ſe, dicitur motus. Sufficit autem ad relationes illas, ut motus diſtinguatur realiter à motore, & mobili.

## QUÆSTIO V.

*An motus localis Angeli poſſit eſſe inſtantaneus, & diſcretus, & an poſſit moveri in locum diſtantem impetranſito medio.*

Motus *inſtantaneus* opponitur *ſucceſſivo*, & *diſcretus continuo*. Vidimus, motum ordinarium Angeli eſſe ſucceſſivum, & continuum. Quæritur de aliis.

Suppono, ex Doctore, diviſibilitatem motus venu-

nire, 1. ex parte ſpatii, ſi ſit extenſum, & habeat partes, quæ non ſint de ſe pertranſibiles ſimul, ſed una debeat percurri poſt aliam. 2. ex parte mobilis, quod eſt pariter extenſum habens partes, quæ non poſſunt ſimul moveri, ſed una poſt aliam. 3. ex parte durationis, ſeu temporis menſurantis motum. Nam ſi motus duret per tempus, non poteſt non eſſe diviſibilis, & ſucceſſivus, quia tempus eſſentialiter eſt menſura motus ſecundum prius, & poſterius. Igitur motus eſt diviſibilis, 1. ſi mobile moveatur per partes. 2. ſi ſpatium de termino *à quo* ad terminum *ad quem* habeat ſimiliter partes, quæ debeant tranſiri ſucceſſivè, & 3. ſi motus duret per tempus aliquod, ſeu menſuretur aliquo tempore. Ex uno horum capitum arguitur diviſibilitas motus.

Certum eſt autem, quòd motus Angeli non habet diviſibilitatem ab ipſo, ſeu à mobili, quia eſt perfectè indiviſibilis. Ideò petenda eſt vel à loco, ſeu ſpatio, vel a duratione motus.

Suppono 2. ex Phyſica compoſitionem continui tam ſucceſſivi, quàm permanentis ex partibus ſemper diviſibilibus, & punctis continuativis, ac terminativis, non autem partibus, ſeu punctis indiviſibilibus. Quod meminiſſe juvabit.

Suppono 3. motum largè ſumi pro omni mutatione, & tranſitu ab uno termino ad alium, ſive tranſitus ille fiat per medium aliquod, ſive immediatè, & ſine medio; propriè verò pro tranſitu, ſeu tendentia ab uno ad aliud per aliquod medium ſeparans terminos motus.

Rurſus ſicut in continuo ſunt partes *communicantes*, ſeu *proportionales*, & *non communicantes*, ſeu *aliquotæ*, ita medium aliud eſt *non communicans*, quod nihil habet de extremis, ut ſpatium inter Camberium, & Lugdunum nihil habet de utroque, & in quantitate tripalmari. 2. Palmus nihil habet de 1. nec de 3. ſed mediat ſine communicatione; & aliud *communicans*, quod habet aliquid de extremis, ut ſi ex 1. & 2. accipias ſemipalmum, efficies palmum medium, & communicantem de utroque, & iterùm poteris ſumere medietatem ſingulorum ſemipalmorum, & ſic in infinitum ſubdividere poteris illa media.

Quæritur ergo 1. an Angelus poſſit in inſtanti indi-

viſibili tranſire duo loca totalia, & adæquata ſibi, vel partialia pertranſire ſive continuè, ſive diſcretè, 2. an ſic poſſit tranſire ab uno in alium, v. g. ab uno angulo ſcholæ in alium oppoſitum non tranſeundo per medium: quod illos angulos ſeparat. Jampridem dixi non videri, quòd Angelus poſſit occupare ſimul, & eodem tempore duo loca diſſita ſive totalia, ſive partialia. Solùm hìc quæritur de tranſitu ab uno ad alium.

## CONCLUSIO I.

*Angelus moveri poteſt de loco ad locum continuum in inſtanti temporis, ſi detur*. Eſt communior. Dico autem, *Si dantur illa diſtantia in tempore noſtro*. An autem dentur, non eſt hujus loci examinare.

Prob. 1. ex Scoto. (1) *Cùm quæritur, utrùm poſſit mutari, vel moveri in inſtanti, dico, quòd dupliciter intelligi poteſt mutatio, & poteſt dici duplex mutatio, 1. includens totam realitatem motus, 2. includens præcisè realitatem termini motus*. 1. dicit omnia, quæ continentur, vel contingere poſſunt realiter in motu ſucceſſivo ab uno angulo aulæ in alium, tranſeundo per medium acquireret tot ubi unum poſt aliud, quot ſunt partes ſpatii inter angulos illos, ideò mutatio continens totalitatem motus, contineret ſimul omnes illas ubicationes, quas haberet motus ſucceſſivus. 2. verò eſt illa, in qua mobile obtinet totum locum ſimul, quem poſſet occupare ſucceſſivè, partem poſt partem, ut accidit corpori Chriſti D. in Euchariſtia ſub ſpeciebus panis extenſis. Nam in uno, & ſimplici inſtanti ultimæ prolationis verborum ponitur ſimul in tota Hoſtia. *Primo modo*, inquit Doctor, *non video, qualiter Angelus virtute naturali poſſit mutari, vel moveri in inſtanti, quia non videtur, quòd virtute ſua naturali poſſit habere plura ubi æqualia. 2. modo non videtur inconveniens, quia poſſet mutari in inſtanti*; ergo ex Scoto, Angelus abſolutè moveri poteſt de loco in locum continuè in inſtanti acquirendo ſimul totum locum.

Prob.

[1] *Ibid. q. 21. C. n. 6.*

Prob. 2. Moveri localiter in inſtanti temporis nihil eſt aliud, quàm in inſtanti acquirere locum unum deſerendo alium, v. g. tranſire de una parte hujus ſcholæ in aliam partem; ſed id poteſt facere Angelus; ergo & moveri localiter in inſtanti. Prob. min. 1. quia nulla eſt in hoc repugnantia, 2. quia nihil cogit exiſtentem in media parte ſcholæ per horam tranſire ab illa in aliam medietatem in ultimo inſtanti terminativo illius horæ, ut patebit ſolutione objectionum; ergo &c.

Confir. Si Angelus poſt horam conſervet volitionem manendi in una parte, poterit in ultimo inſtanti terminativo ejuſdem horæ nolle ibi manere, ſed velle tranſire in aliam, quia ſemper eſt liber, & liberè conſervat ſuum velle, ſicut & liberè poteſt illud deſerere; ergo ſicut in inſtanti poteſt conſervare, aut non conſervare ſuum illud velle, ita & locum.

Prob. 3. ex Doctore. Quòd terminus motus non ſtatim inducatur, id provenit ex debilitate motoris; ſed hæc debilitas virtutis motoris non eſt tribuenda Angelo, quia dignificanda eſt ejus natura, quantum apparentia permittunt, ergo &c.

Confir. Materia prima movetur inſtantaneè ab una forma ſubſtantiali in aliam motu generationis, & Sol illuminat totum aerem in inſtanti; ergo &c.

Objic. 1. Si Angelus moveret in inſtanti propria virtute, quæ eſt limitata, major virtus poſſet ipſum movere citiùs; ſed hoc implicat, nam implicat motus velocior inſtantaneo, & indiviſibili; ergo & ille motus. Prob. maj. Nam ſi virtus finita poteſt movere in tempore, infinita poterit movere in inſtanti; ergo ſi finita poteſt movere in inſtanti, infinita poterit movere citiùs in infinitum.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. Aliud eſt arguere à velocitate temporanea, & diviſibili ad inſtantaneam, aliud ab una indiviſibili ad aliam indiviſibilem. Inter iſtas non datur magis, & minus, ſicut inter illas. Deus ipſe non poteſt movere citiùs, quàm in inſtanti, quia non eſt poſſibilis velocior motus.

Objic. 2. Si Angelus moveretur in inſtanti, haberet ſimul plura ubi adæquata; ſed hoc implicat per nos; ergo & illud. Prob. maj. Suppono, hanc cellam eſſe locum adæquatum ejus, & aliam ejuſdem men-

menſuræ eſſe alium locum adæquatum ejuſdem, & ſingulas continere decem paſſus; ſi Angelus ille moveretur ſucceſſivè ab uno ad alium, quando relinqueret unum paſſum à prima, acquireret unum in 2. & iſtud ubi eſſet aliud à primo, & ſemper adæquatum, quia ſemper occuparet 10. paſſus, & ſic quando relinqueret 5. paſſus in 1. acquireret totidem in 2. & ſemper ex utriſque fierent ſemper nova ubi adæquata in infinitum per diverſas partes tum aliquotas, tum proportionales, quas ſucceſſivè relinqueret in 1. & acquireret in 2. cella. Hoc poſito, prob. maj. In illo inſtanti Angelus percurreret, & occuparet omnia illa ubi, quæ occupaturus eſſet in tempore, & motu ſucceſſivo; ſed illa fuiſſent plurima, imò & infinita ſaltem ſyncategorematicè, & ſingula ſemper adæquata; ergo in inſtanti occuparet infinita loca adæquata.

Reſp. neg. maj. & diſt. 2. Occuparet ſimul omnia illa loca virtualiter, con. formaliter, neg. maj. & min. Neque enim ſucceſſivè, & *tota realitate motus* id fieri poſſe dicimus, ſed ſola totalitate termini, & ſic ille motus æquivaleret quidem illis motibus ſucceſſivis; ſed non eſſet ſucceſſivus, nec percurreret illa ubi ſucceſſivè.

Objic: 3. Si moveretur in inſtanti, eſſet ſimul in termino *à quo*, & *ad quem*; ſed hoc eſt contra eſſentiam motus; ergo &c. Prob. maj. Si priùs deſereret terminum à quo, quàm eſſet in termino *ad quem*; motus eſſet ſucceſſivus, non inſtantaneus, ſi verò non prius deſereret terminum *à quo*; ergo eſſet ſimul in utroque.

Reſp. diſt. maj. Eſſet ſimul diverſo modo, con. eodem modo, neg. maj. & min. Eſſet in termino *à quo* negativè, & per ultimum ſui eſſe, & primum non eſſe, ſeu deſerendo, & in termino *ad quem* per primum ſui eſſe; ac poſitivè, & per acceſſum. Idem accidit in generatione ſubſtantiali, quæ eſt motus inſtantaneus. Nam forma corrupta, & generata ſunt ſimul diverſo modo, illa ibi eſt deſinendo, & negativè, iſta inexiſtendo, & poſitivè.

Objic. 4. Motus eſſentialiter eſt ſucceſſivus; ergo repugnat, eum fieri in inſtanti, quia omne ſucceſſivum habet partes poſt partes, Prob. ant. Motus eſſentialiter dicit tranſitum ab uno termino ad alium.

Eit

Eſt enim *actus entis in potentia prout in potentia*.

Reſp. diſt. ant. & prob. Eſt ſucceſſivus, ita ut Potentia præcedat reali tempore, vel virtualiter, & natura actum, con. ita, ut potentia præcedat tempore reali actum, neg. ant. utrunque, & conſ. Nam ſufficit ſucceſſio virtualis ſecundum prioritatem aliquam naturæ, & tunc dicitur à Scoto mutatio potiùs, quam motus in rigore. Loquimur autem de ſimplici mutatione loci, qua Angelus deſerit unum, & alium acquirit.

## CONCLUSIO II.

*Angelus non poteſt moveri naturaliter de loco uno in alium diſtantem, quin tranſeat per medium non communicans.* Eſt communior.

Prob. 1. ex Scoto, (1) qui rem hanc, & mentem ſuam aliquot propoſitionibus aperit. Loquendo de locis immediatis, inter quæ ſunt media, quorum quodlibet eſt aliquid *extremorum, & de motu continuò Angeli, dico, quòd non poteſt tranſire continuò ab uno extremo in extremũ, niſi tranſeundo per tale medium... quia tale medium eſt ratio continuitatis inter illa extrema*. 2. Idem eſt de extremis, & medio non communicante, ac de motu continuo. 3. *Nunquid poteſt facere ſe* (præſentem) *in extremo diſtante mutatione præcisè includente realitatem termini motus?... videtur probabiliter, quòd non*, quia violaret ordinem præfixum à Deo... ſecundum quem *Angelus, quando movet ſe per corpora, quorum eſt talis ordo, non poteſt abſque omni ordine de quocunque* (ubi) *facere ſe in quodcunque* (ubi) *immediatè, tunc enim nulla diſtantia videretur impedire actionem ejus*. Eodem ſenſu aſſerimus, Angelum non poſſe moveri de loco in locum diſtantem, quin tranſeat per medium.

Prob. 2. ex eodem. Quando res habent inter ſe ordinem ſibi præfixum à Deo, non poteſt cauſa inferior invertere illum, ſed ordo eſt præfixus à Deo creaturis, ut non poſſint tranſire de loco in locum diſtantem impertranſito medio non communicante; ergo Angelus non poteſt aliter moveri de loco in locum

(1) 2. *d.* 2. *q.* 12. *A. n.* 2.

locum diſtantem. Prob. min. experientia, qua conſtat de illa limitatione agentium creatorum, quæ non poſsunt aliter moveri; vel agere, aut exiſtere. v. g. anima non vivificat caput, & pedes, niſi informet etiam medias partes, & omnia de ſe exigunt talem ordinem ſibi datum à Deo.

Prob. 3. quia ſicut poſset movere ſe, & facere præſentem in locum diſtantem impertranſito medio, ita & movere, & operari in alia corpora, v. g. exiſtens Camberii poſset movere corpus, & ponere illud Lugduni, aut Romæ, ſed adverſarii negant conſeq. ergo non debent admittere ant. Prob. maj. Non enim magis repugnat unum, quàm aliud, ut patet.

Prob. 4. quia ſi vellet movere ſe ab A. ad C. dum eſſet in media parte C. eſſet adhuc in A. pro media parte, & ſic in duobus locis diſſitis, & à ſe ipſo diſtans, & diviſus, naturali replicatione, aut diviſioné, quod abſurdum eſt.

Objic. 1. Angelus poteſt tranſire in locum immediatum impetranſito medio participante; ergo & impertranſito non communicante, & ad locum diſtantem. Prob. conſ. Nam licèt medium cellæ A. ſicut & medium cellæ B. ſint partes communicantes duorum locorum immediatorum, non minùs faciunt partes extremas diſtantes; ergo ſi poſſit movere ſe ad extremitates cellarum impetranſitis illis mediis, non minùs evertitur ordo præfixus, nec minùs Angelus erit in locis duobus diſſitis ſaltem inadæquatis.

Reſp. diſt. ant. Impetranſito medio participante per motum continuum, & ſucceſſivum, & priùs tempore, & ſecundum totam realitatem termini, con. ant. impetranſito medio priùs ſaltem natura, & inſtantaneè, ac virtualiter, & ſecundum totam realitatem motûs, neg. ant. & conſ. Nam. exiſtens in cella A. illam totam occupat, ut locum adæquatum, & dum tranſit in cellam B. occupat ſimiliter illam totam. Licèt autem actu, & ſucceſſivitate temporanea, & formali non pertranſeat partes poſt partes cellæ B. cùm ſe facit præſentem extremitati ejus; tamen prius natura, & virtualiter pertranſit partes ejus medias.

Inſt. Poteſt velle eſſe in loco diſtanti, & non in me-

medio; ſed non eſt in loco, niſi per voluntatem, & applicationem ejus; ergo poteſt moveri in extremum diſtans non tranſeundo per medium.

Reſp. diſt. maj. Poteſt velle voluntate inefficaci, con. efficaci, neg. maj. Et diſt. min. dependenter à voluntate, quatenùs non ſe movet niſi volens, con. ita, ut ſe moveat quocunque motu poterit velle efficaciter, aut inefficaciter, neg. min. Nam ſi vellet, aut poſſet velle movere ſe ultra vires, vel aliter, quàm Deus ordinavit, vel motu innaturali, non ideò ita ſe moveret.

Objic. 2. Corpus Chriſti D. cùm movetur de cælo ad altare, non tranſit per medium; ergo poſſibilis eſt motus in diſtans impetranſito medio.

Reſp. neg. conſ. Nam ille motus Chriſti eſt miraculoſus, & per reproductionem; imò non eſt propriè motus. Ideò objectio facit potiùs pro nobis.

Objectiones aliæ ſupponunt, Angelum eſſe in loco formaliter per operationem; & in hac ſuppoſitione aliter diceremus. Sed quia hæc ſuppoſitio falſa eſt, non immoramur.

Objic. denique. Non implicat motus diſcretus Angeli in locum diſtantem etiam naturaliter; ergo non debet ei negari. Nam dignificanda eſt ejus natura, quantùm poteſt ſine repugnantia apparenti, ut ipſe Scotus fatetur.

Reſp. neg. conſ. Non enim omne, quod non implicat, tribuendum eſt Angelo, alioqui multa illi tribueremus, quæ nullus adhuc illi conceſſit, ut eſſe ſimul in pluribus locis diſtantibus, & adæquatis. Ratio eſt, quia omnis virtus creata eſt limitata ad certos limites, quos licèt neſciamus poſitivè, tamen hoc ſufficit nobis, ut non tribuamus omni creaturæ, quidquid illi non repugnat evidenter.

Reſp. 2. neg. ant. Nam, ut diximus, ille motus eſt contra ordinem præfixum à Deo omni creaturæ, & argueret quandam illimitationem in virtute Angelica.

# DISPUTATIO V.

*De duratione Angeli, & ejus menſura.*

JAm diximus, naturam Angeli eſſe incorruptibilem de ſe, quatenùs non habet in ſe principium corruptionis, ſc. materiam. Ideò ejus exiſtentia, quantum eſt de ſe, duratura eſt in æternum, niſi Deus ceſſare velit ab ejus conſervatione. Diximus etiam in Phyſica, durationem non diſtingui realiter à re exiſtente, & actione ejus productiva, & conſervativa. Denique diſtinximus triplicem durationem, *æternitatem*, *ævum*, & *tempus*. Reſtat quærendum, quænam iſtarum conveniat Angelo, & quomodò menſuret ejus eſſe, aut ejus operationes.

## QUÆSTIO I.

*Utrum eſſe Angeli menſuretur ævo, aut tempore.*

SCiendum eſt, inquit Doctor, (1) *quòd eſt quoddam eſſe omninò ſimplex, immutabile, & invariabile, actu, & potentia, re, & intellectu, & hoc eſt ſolum*, eſſe Divinum, *cujus menſura eſt æternitas. Aliud eſt eſſe totum ſimul, invariabile actu, variabile tamen potentia, & hoc eſt* eſſe æviternorum, *quorum menſura eſt* ævum. *Aliud eſt eſſe variabile actu, & potentia, ſubjectum motui, & mutationi, quale eſt eſſe omnium*, generabilium, *&* corruptibilium. *Eſſe autem talium rerum eſt conſiderandum dupliciter*, 1. *ſecundum* eſſe permanens, *ſc. in quantum inter generationem, & corruptionem manet in toto, & eodem eſſe ſubſtantiali ſine additione, vel abjectione, & ſic tempore non menſurantur, ſed ævo; quamvis non ita propriè ſicut ſubſtantiæ incorporales*, 2. *Conſideratur, in quantum ab inſtanti generationis continuè ſecundum periodum currit motu alterationis ſecundum qualitates alterantes eſſe*, & *in eo impreſſionem facien-*

[1] *De rer. p. q.* 19. *n.* 21.

*cientes, per quarum actionem neceſſe eſt, quòd illud eſſe tandem corrumpatur, & ſic illud eſſe tempore menſuratur, ſed minùs, quàm accidentia, in quibus ſit adjunctio continua ſecundum partes temporis, & motus.*

Vides igitur, *ævum* eſſe menſuram omnis eſſe permanentis creati, ſed præcipuè, & magis propriè ſubſtantiæ ſpiritualis, qualis eſt Angelus, *tempus* verò menſuram omnis eſſe ſucceſſivi. Igitur *ævum* eſt duratio tota ſimul habens initium, non verò finem actu, benè verò potentia. Nam finiri poteſt. *Tempus* fluit ſucceſſivè habens initium, & finem. *Sic ævum* eſt duratio quaſi media inter *æternitatem*, & *tempus*; habet aliquid de utroque, habet indiviſibilitatem, & permanentiam ſine fine cum illa, & initium, & finibilitatem potentialem cum iſto.

Quæritur ergo hìc, quanam iſtarum durationum menſuretur exiſtentia Angeli, an ſit immunis ab omni ſucceſſione, ſeu diviſibilitate.

## CONCLUSIO.

A*Ngeli exiſtentia menſuratur ævo, quod eſt duratio tota ſimul, & indiviſibilis*. Eſt communior.

Prob. 1. ex Scoto (1) cit. & alibi. Nam videtur quidem permittere opinionem S. Bonaventuræ de aliqua ſucceſſione in æviternitate; ſed tandem inclinat in oppoſitum dicens, *Poteſt ergo dici, quòd nulla eſt neceſſitas ponendi aliquam ſucceſſionem in aliquo Angelo*, (quæ ſit in eo formaliter) *quia quidquid eſt ibi, poteſt manere idem*.

Prob. 2. Menſura durationis debet proportionati rei duranti, & reſpicit modum eſſendi, nam ex Philoſopho, *Menſura omnis debet eſſe unigenea rei duranti*; ſed nec æternitas, nec tempus ſunt proportionata naturæ Angeli, vel modo ejus eſſendi, benè verò ævum; ergo ſolum ævum eſt menſura durationis Angeli. Prob. min. Exiſtentia Angeli habet initium, & poteſt carere fine, & eſt tota ſimul, & eſt incorruptibilis, & de ſe perpetua; ergo non eſt æternitas, quæ caret initio, nec tempus, quod eſt ſucceſſivum, & habet finem, ſed ævum.

Conſir.

[1] 2. d. 2. q. 1. E. n. 12.

Confir. ex Patribus. Nam inquit Dionyſ. (1) *Ævum eſt menſura ſolius eſſe immutabilis*, eo ſc. modo, quo Angelus eſt immutabilis, ſc. per alterationem, & corruptionem ſubſtantiæ. Idem dicit Auguſt. (2) Et Anſel. in Pſ. 18. *Dominus regnabit in æternum, & ultra*, docet, hoc dictum eſſe, quia *Dei æternitas, quæ eſt tota ſimul, excedit æternitatem creaturæ, quæ non omninò eſt tota ſimul*. Æternitas Dei eſt undique infinita, ævum autem, ſeu duratio Angeli eſt finita à parte antè, & erit ſine fine à parte poſt, ſed poſſet finiri, ſi Deus vellet ceſsare aliquando ab ejus conſervatione; nam id poſſet; ergo; &c.

Prob. 2. p. 1. ex Scoto. Si duratio Angeli eſset ſucceſſiva, vel eſset idem, vel diſtincta ab ejus exiſtentia. 1. ſi eſset identificata, ergo ſicut exiſtentia, & ſubſtantia ejus caret ſucceſſione, (nam ſubſtantia, & exiſtentia non diſtinguuntur realiter) ita & duratio. 2. ſi diſtinguatur ab exiſtentia, ergo ſicut poteſt conſervari eadem exiſtentia, ita & duratio ſine ſucceſſione, ſeu ſine novitate conſervari poteſt nunc ævi, ſicut eadem exiſtentia, inquit Doctor, [3] quia tam facile eſt Deo prima conſervare, quàm facere nova. Probavimus autem in Phyſica, durationem non diſtingui ab exiſtentia, & iterum probabitur.

Prob. 2. ex Patribus. Nam inquit Dionyſ. (4) cit. *proprietatem ævi eſſe totum ſimul ſecundum totum metiri*. Et ſupra dixerat, *illud eſſe quietam, & totam ſimul vitam*. Et Auguſt. (5) differentiam inter ævum, & tempus ponit, quòd *ævum eſt ſtabile, & tempus mutabile*; ergo ævum caret omni ſucceſſione.

Objic. 1. con. 2. p. Damaſc. cit. à Scoto, [6] dicit, quòd *ſæculum protenditur cum æternis, velut ſpatium*; ſed Angeli durant per ſæcula, & ſpatium habet partes; ergo & duratio Angeli. Et Hieron. [7] *Tantùm Deus eſt, qui non novit fuiſſe, vel futurum eſſe*; ergo creatura habet utrunque, ergo & ſucceſſionem. Et Auguſt. [8] *Nunc temporis ſi ſemper ſtaret, & non flueret, non eſſet tempus, ſed æternitas*. Et Boetius: (9) *Quamvis ſecundum Philoſophos de corporibus cœleſtibus, & ſpiritibus dici poſſit, quòd ſunt ſemper, magna tamen*

[1] *Div.n.*10 [2] *ad Oroſ.q.*41. *monol.*18. [3] *Ib.n.* 18. [4] *Ibi.c.*10. [5] *c.*5. [6] 83.*qq.*72.
[7] 1.*fid.*25.*Ep.ad Marcel.* [8] 1.*Confeſ.*4. [9] 1.*Tr.*50.

*tamen eſt differentia in ſemper eſſe. In Deo enim tantùm præſens eſt, non currens; Nunc autem fluens* (quale eſt nunc creaturæ) *facit ſempiternitatem*, quæ eſt ævum; ergo ævum eſt duratio fluens, & ſucceſſiva.

Reſp. ex Scoto neg. conſ. Nec enim id volunt SS. PP. ſed tantùm, quod æviternitas non ſit independens, nec indefectibilis, ſicut æternitas, ſed dependens à Deo conſervante liberè, ita, ut ſingulo quoque momento poſſet eam terminare. Damaſcenus per nomen ſpatii non intelligit durationem extenſam per partes ſucceſſivas, ſed permanentiam indiviſibilem. Hieronymus vult, quòd omnis creatura reſpiciat præteritum, in quo non fuit, & futurum, in quo poſset deſinere eſſe, quod non repugnat indiſibilitati exiſtentiæ præſentis. Idem colligitur ex verbis Auguſtini, qui nomine æternitatis intelligit ævum, & vult, quòd, ſi tempus non flueret, ſed maneret ſine fine, eſset æternitas. Quid ad nos? Idem eſt de Boetio, qui loquitur de differentia æternitatis Dei, & creaturæ. Hæc enim eſt fluens, ſeu defectibilis.

Inſt. Auguſt. dicit, quòd ſicut aer à Sole non eſt factus, ſed fit lucidus continuè, & ſucceſſivè per lucem à ſe exeuntem, ita creatura eſt ſemper in fieri reſpectu Dei; ſed quod eſt in continuo fieri, non eſt totum ſimul, & Angelus eſt creatura; ergo non eſt totus ſimul duratione indiviſibili.

Reſp. diſt. maj. In continuo fieri ſemper eodem, & indiviſibili, con. maj. & neg. min. in fieri diverſis, & ſucceſſivis, neg. maj. & conſ. Fieri activum Angeli eſt indiviſibilis volitio Dei, quà ponitur in eſse, & conſervatur, & paſſivum eſt eſse, & ſubſtantia etiam indiviſibilis ejuſdem Angeli. Nec aliter intelligi poteſt Auguſtinus.

Objic. 2. Actio, qua Deus conſervat Angelum, ſucceſſit illi, qua creavit eum, & hæc actio conſervativa fit continuè, & ſucceſſivè in tempore; ſed duratio pendet ab actionibus creativa, & conſervativa; ergo eſt ſucceeſſiva, ſicut & ille actiones. Prob. maj. Illæ actiones ſunt ſeparabiles, nam per ſingula temporis momenta potuit, & poſset Deus ceſsare a conſervatione Angeli; ergo nulla eſt actio conſervativa pro ullo inſtanti, quæ non ſit ſeparabilis, & diſtincta

ab

ab aliis. Prob. ant. Angelus, qui erat heri, & eſt hodie, poterit non eſſe cras, & poterat non eſſe hodie; ergo actio, qua erat heri, & qua eſt hodie, & qua erit cras, & ſic de aliis, ſunt ſeparabiles, & diſtinctæ; ergo & ſucceſſivæ.

Reſp. neg. maj. & diſt. ant. prob. Poterat non conſervare in ſenſu diviſo, ſi per aliam volitionem creaſſet illum, con. in ſenſu compoſito, & ſtante volitione, qua creavit illum, neg. ant. 2. & 3. argum. Nam Deus creavit de facto Angelum pro tota æternitate ſequenti, & ſtante illa volitione non poteſt ceſſare ab ejus conſervatione, ſed potuiſſet aliter velle, & tunc potuiſſet eum annihilare pro quocunque tempore.

Inſt. 1. Actus, & potentia non poſſunt eſſe ſimul in eodem, & ſub eodem reſpectu; ſed Angelus eſt in actu durationis pro hac hora, & in potentia pro ſequenti ſub eodem reſpectu, & in eodem; ergo duratio, & actio, qua conſervatur pro hac hora, non eſt eadem cum illa, qua conſervabitur hora ſequenti; ergo illæ durationes, & actiones ſibi ſuccedunt, & diſtinguuntur.

Reſp. neg. min. Nam illa exiſtentia actualis, & potentialis reſpiciunt diverſas horas, actualis reſpicit horam præſentem, & potentialis futuram, & utraque differentia temporis eſt extrinſeca durationi intrinſecæ Angeli.

Inſt. 2. Quæ habent totum eſſe ſimul, non agnoſcunt differentias temporis, in illis idem eſt eſſe, fuiſſe, & fore; ſed in Angeli duratione ſunt illæ differentiæ, nam fuit heri, eſt hodie, & cras erit; ergo non habet totum ſuum eſſe ſimul.

Reſp. diſt. maj. Non habent differentias temporis intrinſecè, ſeu quoad durationem intrinſecam, con. maj. & neg. min. extrinſecè, ita, ut non coexiſtant illis differentiis temporis, neg. maj. & conſ. Angelus coexiſtit præterito, & futuro, & præſenti, quia omne tempus fluit circa illa, ſed ipſe ſemper idem eſt, ſicut rupes immota, circa quam fluunt aquæ.

Inſt. 3. Si Angelo idem eſſet fuiſſe, & fore, non poſſet non fore, ſicut non poteſt non fuiſſe; ſed conſ. eſt falſum, quia Deus poſſet illum annihilare cras; ergo Angelo non eſt idem fuiſſe, & fore.

Reſp.

Reſp. diſt. maj. Sicut non poteſt non fuiſſe, in ſenſu compoſito fuitionis, & futuritionis, con. in ſenſu diviſo, neg. maj. & min. Nam ſicut Deus potuit eum non creare, ita & potuit eum non velle conſervare pro die craſtina, ſed ſuppoſito præſenti decreto, quo liberè voluit eum creare, & conſervare in ſempiternum, non poteſt non conſervare, ut patet ex dictis de æternitate decretorum Dei.

Objic. 3. Ævum Angeli non eſt infinitum; ergo non eſt indiviſibile, nec totum ſimul. Prob. Alioqui poſset coexiſtere tempori infinito, & haberet ſimul totam illam durationem, ſeu æquaret tempus infinitum, ſicut, ſi Angelus coexiſtere poſſet ſpatio infinito, eſſet immenſus; ergo ſi poſſet coexiſtere tempori infinito, eſſet infinitus.

Reſp. neg. conſ. utranque. Nam ſpatium infinitum eſt quid poſitivè permanens, & categorematicè infinitum, & ideò Angelus illi coexiſtens eſſet immenſus; tempus verò eſt quid fluens, & infinitum ſyncategorematicè tantum, ideò coexiſtentia illi tempori non arguit infinitatem in Angelo, ſaltem poſitivam, & categorematicam.

Objic. 4. Ubi eſt prius, & poſterius, ibi eſt ſucceſſio; ſed hæc ſunt in Angelo, nam priùs fuit innocens, & poſteriùs peccator; ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Eſt ſucceſſio ſecundum ea, quæ fundant proximè prioritatem, & poſterioritatem, conc. in ſe abſolutè, neg. maj. & conſ. prob. Prioritas ergo, & poſterioritas ſunt in actibus Angeli, non in ejus ſubſtantia, ideò Dæmones fuerunt priùs in gratia, & poſteà peccarunt, ſed ſubſtantia, & exiſtentia, & duratio fuit ſemper eadem, & coexiſtens gratiæ, & peccato.

## QUÆSTIO II.

*Quomodò Angelus diſtinguatur à ſua duratione, & de menſura hujus durationis.*

PAuca reſtant dicenda de 1. p. quæſtionis. Nam diximus in Phyſica, durationem non diſtingui realiter ab exiſtentia rei durantis, & actione conſervativa ejus.

CON-

# CONCLUSIO I.

D*Uratio Angeli non diſtinguitur realiter ab ejus exiſtentia, ſed tantùm formaliter*. Videtur contra Thomiſtas.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui quærens, *an in Angelo actualiter exiſtente neceſſe ſit ponere aliquid menſurans exiſtentiam, vel durationem exiſtentiæ ejus realiter aliud ab ipſa exiſtentia*, reſpondet, quòd *ſi impoſſibile eſt eſſe Angelum ſine aliquo extrinſeco, quod ſit menſura actualis exiſtentiæ ejus, cùm illud, ſi eſſet aliud, eſſet poſterius naturaliter actuali exiſtentia Angeli, ſequitur, quòd non eſt aliud ab exiſtentia ejus, aut ſi eſt aliud, & per conſequens poſterius, poterit actualis exiſtentia abſque contradictione eſſe ſine illo, & ita non eſt neceſſarium ponere illud*. Hinc

Prob. concl. ex citato textu. Si Angelus diſtingueretur ab ævo ſuo, poſset eſſe ſine illo; ſed conſ. eſt falſum, ergo non diſtinguitur. Prob. maj. Si eſset diſtinctus à ſuo ævo, eſset prior illo, nam prius eſt rem exiſtere; quàm durare; ſed omne prius poteſt eſſe ſine poſteriori, ſaltem id non implicat; ergo ſi Angelus diſtingueretur ab ævo, ſeu duratione ſua, poſset eſſe ſine illa. Prob. maj. Diſtinctio realis non colligitur, niſi inter illa, quæ ſunt vel ſeparata, vel ſeparabilia, vel ſe habent ut ſeparabilia; ſed ſi Angelus eſſet prior ſuo ævo, ſe haberent ipſe, & ſuum ævum ut ſeparabilia, aut ſaltem ad modum ſeparabilium; ergo, &c.

Prob. 2. quia nulla eſt neceſſitas talis diſtinctionis; ergo male aſſeritur. Non enim ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate. Prob. ant. Nam hoc ipſo, quòd Angelus intelligitur exiſtens, ſufficienter intelligitur durans abſque ullo ſuperaddito; ergo, &c. Probatur antecedens. Illud ſeperadditum eſſet quid abſolutum, vel relativum; ſed neutrum dici poteſt; ergo nec illud. Prob. min. 1. non relativum, quia non poteſt aſſignari terminus ejus realis. Nam ſi Deus creaſſet unicum Angelum ante mundum, non minùs duraſſet, & tunc non habuiſset relationem realem ad ullum terminum realem. 2. non abſolutum. Nam iſtud

[1] *Ibid. q. 3. A. n. 1. & 3.*

illud eſset poſterius Angelo,qui tamen non poſset eſſe ſine illo, alioqui duraret,& non duraret. Præterea illud abſolutum reale diſtinctum haberet ſuam durationem diſtinctã,vel non,ſi diſtinctam, daretur proceſsus in infinitum,nam idem quærerem de iſta, ſi indiſtinctam, ita ut illud abſolutum duraret ſeipſo, cur non & ipſe Angelus?

Objic.1.Tempus diſtinguitur realiter à motu,quem menſurat; ergo & duratio diſtinguitur ab exiſtentia, quam menſurat.

Reſp.1.neg.ant.Nam,ut diximus in Phyſica [1] tempus intrinſecum non diſtinguitur realiter à motu.

Reſp. 2. ex Doctore,neg. conſ. quia licèt tempus diſtingueretur à motu, non eſset eadem ratio de duratione, & re durante. Nam partes temporis videntur ſeparari a partibus motus. Partes temporis ſemper eodem modo fluunt, & ſibi ſuccedunt, non autem partes motus tam ad ſe invicem, quàm ad tempus comparatæ. Illæ enim aliter ſe habent in motu veloci, & aliter in tardiori. Hæc autem ratio non militat inter exiſtentiam rei, & durationem ejus.

Objic.2. Quantitas permanens diſtinguitur realiter à ſubjecto,maximè à ſubſtantiali; ergo & quantitas ſucceſſiva; ſed duratio Angeli eſt quædam ſucceſſiva quantitas menſurans exiſtentiam ejus;ergo diſtinguitur ab eo.

Reſ. neg. ſubſumptum. Falſum eſt 1. durationem Angeli eſse ſucceſſivam,ut dictum eſt. 2. falſum eſt in illo eſse menſuram aliquam realem exiſtentiæ ejus, ut mox dicetur.

Objic. 3. Angelus eſt in loco per *ubi* diſtinctum, quod eſt relatio extrinſecùs adveniens per nos: ergo non eſt durans per ſeipſum, ſed per durationem diſtinctam,quæ pertinet ad prædicamentum *quando*. Prob. conſeq. Angelus non minus eſt indifferens ad durationem hanc, vel illam, ſeu ad coexiſtendum huic, vel illi tempori, quàm ad eſse hìc, vel alibi; ergo ſi determinatur ad eſse hìc per ubi diſtinctum, ita & ad eſse in iſto *nunc* ſeu *quando*, per durationem diſtinctam.

Reſp. ex dictis in Phyſica, neg.conſeq. & ant. prob. Nam



[1] *Diſp.* 21.*q.* 1.

Nam Angelus exiſtens eſt adhuc indifferens ad eſse hic, vel illic, ſed ſuppoſita ejus exiſtentia, & conſervatione, neceſsario eſt nunc, & illud habet à cauſa ſui productiva, & conſervativa: locum verò poteſt habere ab alia cauſa. Alias objectiones vide in Phyſica.

## CONCLUSIO II.

NOn datur in Angelo forma ulla realis intrinſeca, & diſtincta, per quam ejus duratio menſuratur; ſed tantum extrinſeca. Eſt communior.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui ſic proponit, & reſolvit quæſitum, *An debeat poni in Angelo exiſtente aliquid menſurās exiſtentiam ejus ... Dico, quod in actuali exiſtentia Angeli non oportet quærere aliquam menſuram intrinſecam aliam à natura ipſius rei menſurata*, &c. Monet autem, 1. quòd menſurare eſt notificare aliquam quantitatem ignotę extenſionis per aliam notiorem, ut longitudinem panni per ulnam. 2. quòd illa menſuratio fieri poteſt, 1. per quantitatem exiſtentem in imaginatione. Sic peritus artifex poteſt per quantitatem determinatam, quam habet objectivè in mente, cognoſcere, quanta ſit magnitudo rei alterius. 2. per applicationem realem quantitatis majoris, per quam cognoſcitur minor, advertendo ad exceſſum majoris, v. g. ſi applices ulnam ad pannum, cognoſcis ibi eſse ſemiulnam, prout magis, aut minus recedit à longitudine ulnæ. 3. applicando minorem quantitatem ad majorem. Sic enim cognoſcis, quanta ſit iſta, prout plus, aut minùs excedit minorem. Sic per palmum menſuratur ulna, 4. per applicationem æqualis, quæ ſit notior, cognoſcitur æqualis alia, v.g. per palmum cognoſcitur longitudo palmaris. Dico, *quæ ſit notior*. Alioqui enim neutra poſset dici menſura alterius. His poſitis

Prob. 2. quoad 1. p. Non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate, ſed nulla eſt neceſſitas admittendi in Angelo talem menſuram diſtinctam ab ejus eſsentia, & exiſtentia actuali; ergo &c. Prob. min. Si eſset aliqua neceſſitas, eſset propter durationem diſtinctam; ſed non datur ibi duratio diſtincta, ut dictum eſt: ergo neque talis menſura.

Con-

[1] *ibid. G. & H. n.* 12. & 13.

Confirm. Illa menſura eſset excedens, vel exceſsa: ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. 1. non excedens, quia nihil creatum excedit ævum, 2. non exceſsa, nam minor quantitas non menſurat majorem, niſi illa ſit determinata, ut per ſui replicationem notificet excedentem; ſed nulla quantitas determinata poteſt per quantamcunque ſui replicationem notificare, quantum ſit ævum Angeli, tùm quia eſt infinitum à parte poſt, tùm quia ibi non eſt quantitas, ergo nec menſurabilitas.

Prob.2.p.1. ex Ariſtotele. *In quolibet genere naturali quod eſt primum, eſt menſura aliorum in eodem genere*; ergo ſicut in genere corruptibilium datur aliquod primum, ſcilicet tempus, quod eſt menſura durationis ſucceſſivæ, & motus primi mobilis, qui eſt menſura omnium motuum, ita in genere ſpiritualium datur aliquod primum, quo alia menſurentur, & talis poteſt eſse duratio primi Angeli, qui ut eſt ſupremus in perfectione, ita & duratio ejus eſt prima.

Dici etiam poſset, quòd Deus actione ſuæ æternitatis ſit menſura extrinſeca omnium durationum, & quidem extra genus.

Objic. contra 1. p. Angelus cognoſcit ſuam durationem; ſed id non poſset cognoſcere ſine aliqua menſura interna diſtincta; ergo datur talis menſura.

Reſp. neg. min. Nam cognoſcit ſuam durationem in ſe, & per ſe ipſum ſine alia menſura, quia non adhibetur menſura, niſi quando menſuratum eſt ignotum.

Objic.1. con.2.p.Si duratio primi Angeli eſset menſura extrinſeca inferiorum, deſtructo illo,non poſsent alii menſurari; ſed conſ. eſt abſurdum; ergo &c.Prob. min. Nam ſic alii mutarentur.

Reſp. neg. min. & ant. prob. Nam licèt aliorum duratio non poſset menſurari ab extrinſeco, non tamen fieret in eis mutatio ulla intrinſeca. Nam relatio menſuræ ad menſurabile, aut menſuratum eſt ſolum rationis.

Objic.2. Ævum primi Angeli non eſt notius ævis aliorum; ergo non poteſt eſse eorum menſura.

Reſp. diſt. ant. Non eſt notius nobis, tranſeat, ſecundum ſe, neg. ant. Nam ſicut in ſe, & ſecundum

ſe eſt perfectius, & ſimplicius, & primum, ita & noſcibilius, quod ſufficit, ut poſſit menſurare alia.

Inſt. Primus Angelus non durat ante alios; ergo ejus ævum non excedit alia; ergo nec poteſt alia menſurare. Prob. antec. Omnes ſimul creati ſunt ergo &c.

Reſp. neg. conſ. Non enim ex majori, vel minori duratione petitur in eo ratio menſuræ, ſed ex ſimpliciori, & perfectiori; unde fit, ut ſit uniformior, & invariabilior.

Dixi autem, quòd *ævum* primi poteſt (*utcunque*) ſeu aliqualiter, dici menſura aliorum; non abſolutè; nam in rigore id non ſatis mihi patet.

Quæres, *an omnium æviternorum ſit idem ævum intrinſecum*.

Reſp. negativè, ſed tot eſse, quot ſunt æviterna, ſeu Angeli, & animæ.

Ratio ex dictis patet. Nam ſinguli habent ſuam ſubſtantiam, & exiſtentiam ſibi identificatam; ſed ævum ſingulorum non eſt quid diſtinctum à ſingulorum eſsentia, & exiſtentia; ergo ſinguli habent ſuum ævum, & durationem intrinſecam.

De extrinſeco autem ævo dici poteſt, illud eſse unicum, ut diximus de ævo primi Angeli, quòd poſſit eſse *utcunque* menſura aliorum in eodem genere entium, vel de æternitate Dei, quæ dici poteſt menſura *extra genus*.

## QUÆSTIO III.

### *De menſura durationis operationum Angeli.*

ANgeli operationes ſunt aliæ *immanentes*, ut intellectiones, & volitiones, quæ in eo recipiuntur, & manent, aliæ *tranſeuntes* circa corporea, v. g. circa Cœlos, & Sydera, quæ movet, & motus ejus locales. Rurſus immanentes aliæ ſunt *generabiles*, & *corruptibiles*, etiam de facto, ut intellectiones, & volitiones circa creaturas: aliæ *incorruptibiles*, ut viſio, & fruitio beata. Et ſingulæ habent ſuam durationem, ſicut & ſuam entitatem, & exiſtentiam. Certum eſt, quòd illæ priores ſibi mutuò ſuccedunt. Nam idem Angelus modò cogitat, & vult unum circa nos, & modò aliud; tamen ſinguli actus ſunt

ſunt toti ſimul ſine diſcurſu formali, & ſucceſſione intrinſeca.

Quæritur ergo hìc, an illæ operationes *immanentes* tam viæ, ſeu *generabiles*, & *corruptibiles*, quàm patriæ, ſeu *incorruptibiles* menſurentur tempore, quod eſt duratio ſucceſſiva, an ævo, quod eſt duratio permanens, & indiviſibilis.

## CONCLUSIO.

*Operationes internæ Angeli menſurantur ævo, ſeu duratione indiviſibili, non tempore.*

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] qui ſic probat, *Quæ habent uniformem modum manendi, dum manent, habent menſuram ejuſdem rationis in manendo, licèt una diutiùs maneat, quàm altera, ſed cognitio Angeli, dum manet, habet modum manendi eundem cum exiſtentia Angeli, licèt non tantam durationem; ergo habet menſuram ejuſdem rationis, cum illa exiſtentia, ita & menſuratur ævo ſua operatio, & non tempore. Prob. maj. quia formali rationi exiſtentiæ Angeli ſecundum, uniformitatem, vel difformitatem correſpondet propria ratio menſuræ*, ut volunt adverſarii.

Igitur ſicut operationes immanentes Angeli habent eandem rationem eſsendi, ſc. permanentiam indiviſibilem, ita & eandem menſuram durationis; ſed duratio Angeli eſt tota ſimul, & indiviſibilis, & menſuratur ævo ſuo; ergo & illæ operationes. Nec quidquam facit ad hoc major, aut minor duratio. Prob. maj. Nam ratio menſurandi exiſtentiam ſequitur modum exiſtendi, ergo quæ habent eundem modum exiſtendi, eadem menſura poſsunt menſurari; ergo quamvis aliqui Angeli minus durarent, & alii ſint aliis perfectiores, tamen eodem modo menſuratur eorum exiſtentia; ergo licèt Angelus magis duret, quàm ejus cognitio, vel volitio, adhuc eadem menſura menſurantur actiones iſtæ cum ejus exiſtentia.

Dices. Angelus exigit perpetuò exiſtere, non autem illæ actiones; item ſubſtantia Angeli exiſtit per ſe independenter à ſubjecto, non autem illi



[1] *n.* 4.7.4.

illi actus, qui inhærent intellectui, & voluntati; ergo non habent eundem modum eſsendi, nec eandem menſuram.

Contrà. Ratio communis ævi, prout diſtinguitur à tempore, non attenditur quoad rationes ſpecificas rerum, nec quoad majorem, aut minorem earum durationem, ſed quoad indiviſibilitatem, & permanentiam; ſed quoad hæc eſt eadem ratio; ergo & menſura. Maj. patet ex communi acceptione ævi, quod ſignificat durationem permanentem, & indiviſibilem, & totam ſimul. Prob. min. Operationes immanentes Angeli tam ſunt ſpirituales, & indiviſibiles, quam ejus ſubſtantia, & ejus exiſtentia ſubſtantialis; ergo quoad principalem rationem ævi eadem eſt in operationibus immanentibus, quæ in ſubſtantia, & exiſtentia ſubſtantiali Angeli. Aliud eſt, quòd ævum menſurans operationes minùs diſtet à tempore, & plus ab æternitate propter ejus finitatem utrinque, quàm quòd menſurat exiſtentiam ſubſtantialem, & aliud, quòd iſta æva conveniant, in ratione generica ævi. Quoad durationem longiorem differunt, quoad indiviſibilitatem exiſtentia conveniunt.

Probatur 2. Viſio beata Angeli menſuratur ævo, ſicut & ipſe Angelus, & anima; ergo & operatio immanens ejus. Ant. eſt de fide. *Juſti in perpetuum vivent*. Et, *Ibunt in perpetuas æternitates*. Et damnati *Ibunt in ignem æternum*. Probatur conſeq. Nam viſio beata eſt actus intellectus, & amor voluntatis, & quidem immanens; ergo productio utriuſque eadem duratione durat; ſed viſio, & amor in beatis menſurantur ævo; ergo & actiones, quibus eliciuntur.

Igitur, inquit Doctor,[1] *intellectiones Angeli menſurantur ævo. Et breviter quæcunque exiſtentia actualis invariabilis, hoc eſt, cui repugnat, ut ſecundũ ipſam ſit variatio, ſive fluxus ſive acquiſitio partis poſt partem. Neque enim perpetuitas aliquorum, vel corruptio, vel annihilatio, aliquorum variat menſuram formaliter, dummodò exiſtentia ſit ejuſdem rationis, dum manet*; ſcilicet, ut ſit indiviſibilis, & tota ſimul.

Obiic. 1. aliqua permanentia indiviſibiliter menſurantur tempore; ergo indiviſibilitas exiſtentiæ ope-

[1] *Ibid. A. n. 9.*

operationum Angeli non facit, ut menſurentur ævo; & ſic ruit totum fundamentum Scoti. Prob. ant. Ex Philoſopho quies menſuratur tēpore, ſed plura permanentia, quæ terminant motum, permanent ceſſante motu, & in quiete, & quidem ſecundum omnes ſuas partes; ergo &c. Prob. min. Generatio, & corruptio ſubſtantiales ſunt motus inſtantanei, ſicut & primum eſſe quietum generabilium; ſed hæc menſurantur per inſtans temporis; ergo multa permanentia quoad omnes ſuas partes ſimul menſurantur tempore, non ævo.

Reſp. diſt. ant. Si illa permanentia ſint, & deſtructibilia, aut acquiſibilia ſucceſſivè, & hoc in ſe, vel in aliqua forma antecedente, vel conſequente, con. ſi ſint ita permanentia, ut ex ſe repugnet illis omnis fluxus, ſeu ſucceſſio, neg. ant. 1. argum. & min. 2. Nam formæ, ſeu entia, quorum eſſe quietum, & permanens menſuratur tempore, vel quæ acquiruntur, vel deſtruuntur ſucceſſivè, ut calor, vel dependent ab aliis, quæ acquiruntur, vel deperduntur ſucceſſivè, ut formæ ſubſtantiales, quæ in ſui generatione, & corruptione dependent à diſpoſitionibus ſucceſſivè acquiſitis, aut deperditis; at operationes immanentes Angeli, de quibus hic loquimur, neutro modo fluunt, nec admittunt motum, vel ſucceſſionem; ideò menſurantur ævo.

Inſt. Operationes Angeli ſunt ex ſe fluibiles, & defectibiles aliter, quàm ejus ſubſtantia, vel exiſtentia; ergo illæ menſurantur tempore etiam in facto eſſe, ſeu in quiete. Prob. conſ. Subſtantia Angeli ſemel producta petit ſemper conſervari, & durare, non autem ejus intellectio, vel volitio; ergo ſi ſubſtantia menſuratur ævo, operationes menſurantur tempore. Prob. conſ. Duratio Dei menſuratur æternitate, & differt à duratione Angeli, quia duratio Dei eſt abſolute indefectibilis actu, & potentia; duratio verò Angeli eſt defectibilis potentia; ergo pariter duratio ſubſtantiæ Angeli debet differre ſpecie à duratione operationum ejus, quia iſtæ ſunt defectibiles actu, & potentia, ſubſtantia verò potentia tantùm, & non actu; ergo ſi iſta menſuratur ævo, illa debet menſurari tempore.

Reſp. neg. 1. & 2. conſ. & diſt. 3. Differt à duratione ſub.

ſubſtantiæ ævo differenti, con. ut ævum, & tempus, neg. conſ. Ævum in genere eſt duratio permanens, & indiviſibilis, tota ſimul, & ſubdividitur in diverſas ſpecies. 1. in illud, quod menſurat exiſtentiam rei indiviſibilis, & permanentis, & indefectibilis actu, & tale eſt ævum ſubſtantiæ Angeli. 2. aliud eſt, quod menſurat res pariter permanentes indiviſibiliter, ſed defectibiles tam actu, quàm potentia, & tale eſt ævum, ſeu duratio operationum Angeli, & ſic duæ iſtæ durationes, ſeu æva differunt ſpecie ſub eodem genere ævi, ſed differunt genere à tempore.

Dixi autem in concluſione, *operationes immanentes Angeli menſurari ævo*. Nam quantum ad tranſeuntes, quales ſunt motus locales, & aliæ actiones, quas exercent circa corpora, nihil vetat, eas menſurari tempore, ſicut fiunt ſucceſſive.

Imò dixi, *tam exiſtentiam, quàm operationes immanentes* poſſe menſurari tempore, quatenus coexiſtunt tempori noſtro, quod ideò tempus eſt aliqualiter menſura extrinſeca durationis.

## DISPUTATIO VI.

*De miſſione Angelorum, & illorum operationibus ad extra, & circa corpora.*

POſt operationes internas, & immanentes Angelorum, examinamus externa, & tranſeuntes ad extra, & circa corporea, & maximè circa homines, ad quos mittuntur tam viſibiliter in corporibus aſſumptis, quàm inviſibiliter. Et quia, ſi viſibiliter mittuntur, aſſumunt aliqua corpora, ſub quibus apparent, & loquuntur, & operantur, ideò has duas materias huc adduco, ſc. de illorum miſſione ad homines, & de illorum poteſtate, & activitate circa corporalia.

## QUÆSTIO I.

*An, & qui Angeli mittantur ad homines.*

CErtum eſt 1. Angelos mitti ad homines, ut illis nuntient Divina mandata. Miſſio autem, ex Scoto, duplex eſt, 1. purè *inviſibilis*, & interna, qua ſupe-

perior Angelus ad inferiores mittitur, ut eos illuminet. Sed hæc, ni fallor, ſatis impropriè dicitur *miſſio*, quia Angeli beati non diſtant à Deo mittente, neque ab illis, quos illuminant, nec ad eos hæc agentes propiùs accedunt. Nam videtur ad propriam miſſionem requiri aliquem motum localem, nec dicitur fieri miſſio ad præſentes. De quo tamen nolim contendere. Dicitur etiam *inviſibilis*, quia non fit per ullum ſignum, vel effectum ſenſibilem, ut cùm homo interius illuminatur, & movetur, aut ſi mittantur ad animas purgantes. 2. *viſibilis*, & *externa*, quæ fit ad homines in hac vita degentes per ſigna, vel effectus viſibiles, v. g. in corporibus aſſumptis veris, & realibus, vel apparentibus. Et de iſta præcipuè loquimur.

Certum eſt, inquam, Angelos verè mitti ſive ad alios, ſive ad homines. Nam patet ex innumeris Scripturæ locis, ut cùm dicitur, [1] *Qui facis Angelos tuos ſpiritus*, Et [2] *Miſſus eſt Gabriel Angelus*, ſeu nuntius, *ad Mariam Virginem*. Et, [3] *Omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus in miniſterium miſſi*. Et Petrus dicit, [4] *Nunc ſcio verè, quia miſit Dominus Angelum ſuũ*, &c.

Ratio petitur ex Dei ſapientia, qua gubernat creaturas inferiores per ſuperiores, & cũ Angeli, qui ſunt ſuperiores nobis, non ſint ubique, debent mitti de cœlo ad eos, qui in hoc mundo egent illorum ope; quod facit etiam ex charitate, mittens cœleſtes illos Spiritus ad directionem, & tutelam noſtram.

Diſputatur autem de miſſione ad extra, & viſibili, an quilibet & ex omnibus ordinibus mittantur ad nos indifferenter, an verò tantùm ex infimis.

## CONCLUSIO.

*Quamvis omnes Angeli mittantur vel intra, vel extra, tamen ordinariè non mittuntur extra niſi inferiores, in caſibus extraordinariis mittuntur ex ſupremis.*

Prob. 1. ex Scoto. [5] *Secundum communem proceſſum, & ordinem revelantur majora Dei myſteria ſuperioribus, priuſquàm inferioribus, & ſuperiores mit-*



[1] *Pſ.* 103. [2] *Luc.* 1. [3] *Hebr.* 1.
[4] *Act.* 10. [5] 2. *d.* 10. *A. n.* 2.

*iuntur ad inferiores, loquendo, & illuminando interius & alii inferiores mittuntur exteriùs ad illa revelata nuntianda hominibus, vel explenda, & ita non omnes communiter mittuntur extrà ........ Videtur tamen, quòd ſupremi, vel aliqui de ſupremis, mittantur quandoque ad extra*. Ecce totam concluſionem.

Prob. 1. de miſſione ad intra ex dictis de illuminatione. Nam inde conſtat, quòd inferiores à ſuperioribus illuminantur, quia myſteria Divina immediatius revelantur ſuperioribus; ergo hoc ſenſu ſuperiores mittuntur ad inferiores, & ad intra.

Confir. ex Script. Nam, inquit Doctor, inferiores videntes Chriſtum reſurgentem quærunt, [1] *Quis eſt iſte Rex gloriæ*; &, [2]*Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus?* &c. reſpondent ſuperiores, *Dominus fortis, & potens*. Et Chriſtus ipſe ex parte eorundem reſpondet, *Ego, qui loquor juſtitiam*. Et de utraque miſſione loquitur Apoſt. [3] *Omnes ſunt administratorii Spiritus*, &c. ſc. nullum excludit à miniſterio, nec à miſſione aliquali.

Prob.2.p.1.quia ſicut ordo Hierarchicus requirit, ut 1. illuminentur ſuperiores, & per iſtos medii, & per medios infimi, ita connaturalius eſt per infimos illuminari, & dirigi homines. Quod ut capiatur, & confirmetur, patet ex Script. quòd inter Angelos alii ſunt *aſſiſtẽtes*, alii *miniſtrantes*. Sic Raphael ſe dicit [4] *unũ ex ſeptem, qui adſtamus*, &c. Et Daniel, [5] *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant*. Aſſiſtentes ſunt, qui fixi manent in Dei contemplatione, *miniſtrantes* verò, qui aſſiſtunt, & attendunt, ut recipiant Dei juſſa, quæ hominibus nuntient, vel apud nos exequantur. Illi ordinariè immoti ſtant, iſti ordinariè veniunt, & redeunt, ut apparuit in ſcala Jacob.

Rurſus illa miniſtratio vel eſt pure *ſpiritualis*, quæ fit per illuminationem intra cœlum, ſicut primarii, & intimiores miniſtri Regum aliis inferioribus nuntiant, quæ decreta ſunt, & iſti mittuntur in provincias ad populos pro publicatione edictorum, & eorum executione, quæ eſt *miniſtratio externa*, &

[1] *Pſ.* 23. [2] *Iſa.* 63.
[3] *Hebr.* 9. [4] *Tob.* 12.
[5] *Dan.* 7.

& fit ab Angelis per motum localem è cœlo in terras. Et denique ſicut ordinariè primarii illi miniſtri non exeunt à Rege; ita eſt de ſupremis Angelis. Hinc

Prob.3.p. Nam ſicut in caſibus, & negotiis gravioribus, & maxime ſi agenda ſunt apud alios Reges, mittuntur ex primariis illis miniſtris, ita Deus aliquando mittit ex ſupremis illis Spiritibus; & hoc ſenſu dicuntur aſſiſtentes, dum alios intra aulam Divinam, & cœleſtem illuminant, & dum mittuntur in caſibus gravioribus ad homines, patet ex D. Athanaſ. [1] *Multi ſunt Archangeli, multi Throni, & Poteſtates, & Dominationes; millies, & decies centena millia miniſtrorum aſſiſtunt, & apparent, qui ſe* promptos offerunt, ut mittantur, & hoc ſenſu, *omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus*. Et ex Chryſoſt. [2] *Non eſt Angelis tributum, ut ſint conſilii principes*, (non eget Deus conſiliariis) *ſed ut aſſiſtant, & miniſterio fungantur .... Quod ut diſcas, audi magniloquentiſſimum Iſajam de ſuperioribus Angelorum loquentem, Vidi Cherubin ſtantem à dextris, & Seraphin, & tegebant facies ſuas*, &c.

Quod autem ex ſupremis aliqui interdum mittantur, patet ex Scriptura. Nam Cherubino datur cuſtodia Paradiſi terreſtris. Et Iſaias dicit, *Volavit ad me unus de Seraphin*. Et ad Thobiam mittitur Raphael [3] *unus ex ſeptem* adſtantibus. Ad Zachariam, & Mariam Dei Matrem mittitur Gabriel, [4] qui de ſe dicit, *qui adſto ante Deum*. Et ad populum Dei, [5] Michael *unus de principibus primis*. Et illi ſeptem miſſi ad Joannem [6] erant *de ſeptem Spiritibus, qui in conſpectu Throni Dei ſunt*.

Confir. ex SS. Patribus. Nam, inquit Gregor. [7] *decuit ad Mariam Virginem venire* Gabrielem *ſummum Angelum, qui ſummum omnium nuntiabat*, ſc. ex gravitate negotii redemptionis, & ex dignitate Mariæ delegatur ſupremus Angelus. Idem notat Bernardus, [8] ergo pro rebus extraordinariis mittuntur etiam ex ſupremis.

Objic.1.con.1.p. Ex Scoto Angelum mitti nihil eſt aliud, quam *deſtinari ab uno loco in alium*, ſed non

T 6 omnes

[1] *Orat.2.& 3.*[2] *Hom.8.*[3] *Tob.12.*
[4] *Luc.1.*[5] *Dan.10.*[6] *Apoc.*
[7] *Hom.34. Euang.* [8] *Hom.1. miſs.*

omnes ſic mittuntur; ergo &c. Prob. min. Nam multi non moventur loco, licèt alios illuminent; ergo illuminatio activa non eſt vera miſſio.

Reſp. diſt. maj. Mitti externè, & ſenſibiliter, con. internè,& purè ſpiritualiter,neg.maj.Scotus[1] ibi deſcribit miſſionem externam, & rigoroſam. Et diſt. min. Non omnes mittuntur ordinariè, con. extraordinariè, neg. min. Id pendet à voluntate Dei.

Objic.2.Ex D.Gergor.*Superiora agmina ab intimis* cœli *nunquam recedunt*. Et Dionyſ. dat rationem, *quia ea, quæ præeminent, uſum exterioris officii nunquã habent;* ergo ſupremi nunquã mittuntur ad extra.

Reſp. neg. conſ. Nam Patres illi loquuntur de miſſionibus ordinariis, & quæ longam à cęlo abſentiam exigunt, ut hominum cuſtodia. Nec enim debent ad rigorem ſumi ea Dionyſii verba contra clariores auctoritates Scripturæ.

Objic. 3. ex Scriptura plures ſunt aſſiſtentes, quàm miniſtrantes,[2] *Millia millium aſſiſtebant, & decies centena millia miniſtrabant*; ergo plures ſunt, qui non mittuntur.

Reſp. ut ſuprà, quòd aſſiſtentes non mittuntur niſi extraordinariè, ut patet de Gabriele, & Raphaele, &c.

Objic.4. Angelus bonus habet ſedem in Cęlo, & à viſione Dei ceſſare non debet, & malus alligatur inferno; ergo neutri debent mitti, ut non interrumpatur illorum gloria, & iſtorum pęna.

Reſp. neg. conſ.& rationem ejus,tùm quia per hæc non diſpenſantur ab obedientia debita Deo, tùm quia in iis miſſionibus non interrumpitur nec felicitas,nec pęna.

Quæres, *an etiam mali mittantur*.

Reſp. affirmativè. Nam Satan obtinet licentiam ad tentandum Job, & alter, ut decipiat Achab.[3] *Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum*. Deus verò permittit, & mittit, *Egredere, & fac ita*. Et Chriſtus Dęmones ejectos è corpore hominis mittit in porcos, quia, inquit Gregor.[4] *ſicut de bonis in hac vita laborantibus auxiliũ pietatis impenditur: ita mali occultæ Dei juſtitiæ neſciendo ſervientes miniſterium exequi reprobationis conantur*, &c.

Quæ-

[1] *Ibid.n.*1.[2] *Dan.*1. [3] 1.*Reg.ult.* [4] 2.*moral.*

Quæres 2. *an Angeli ſemper mittantur immediatè à Deo ſolo, an verò etiam ab aliis ſuperioribus.*

Reſp. affirmativè. Nam Angelus, qui loquebatur ad Zachariam, jubetur *loqui ad puerum iſtum*, dicens, [1] *Abſque muro habitabitur Jeruſalem.* Et ut docet Gregorius, [2] *pro diſpoſitione dignitatis alii aliis ſubminiſtrant. Ad Prophetam Angelus Angelum mittit ... quia tum per ſuperiorem ſcientiam virtute cognitionis, & præſtantiorem gratiam culmine poteſtatis excedit.* Et ratio patet ex dictis. Nam Deus immediatè revelat ſuas voluntates primis, & per iſtos mediis, & per medios infimis, qui per eoſdem mittuntur ad homines, ut in illis exequantur juſſa Dei.

## QUÆSTIO II.

*An, & quomodò mittantur Angeli ad cuſtodiam hominum.*

PRæcipuus finis miſſionis Angelicæ ad extra eſt hominum tutela, quod munus illis negant Calviniſtæ, & Magdeburgenſes. *An ſingulis hominibus ſinguli Angeli attributi ſint ad eorum defenſionem aſſerere non auſim*, inquit Calvin. [3] & alibi dixerat hoc eſſe *gratiam Dei extenuare*, & per id Diabolum fiduciam noſtram minuere. Contra quos ſit

## CONCLUSIO I.

*NOn tantùm ſingulis partibus mundi, aut Regnis, & Provinciis, ſed etiam omnibus, & ſingulis hominibus deſtinantur ſinguli Angeli cuſtodes.* Eſt de Fide.

Prob. 1. ex Scoto, [4] qui hoc aſſerit ex Magiſtro, & probat cum Auguſtino ex Scriptura. *Homines non ſunt contemnendi, quia ad illorum cuſtodiam mittuntur Angeli.* Et hanc veritatem ut certam ſupponens quærit, *an Angelus cuſtodiens poſſit effectivè aliquid cauſare in intellectu cuſtoditi.*

Prob. 2. p. 1. de partibus mundi, ex Script. & Patribus. Nam Danielis 10. Michael dicitur princeps popu-

[1] *Zachar.* [2] *Moral.* [3] 1. *Inſt.* c. 14. [4] 2. *d.* 11. *n.* 1.

*populi Iſrael*. & cuſtos Synagogæ; licèt aliqui putent eam curam datam fuiſſe Gabrieli. Et in Apocalypſi, [1] ut putat ſanctus Bonaventura cum aliis, Michael præliatur pro Eccleſia contra Luciferum. Ideò clamant Cœlites, *Nunc facta eſt ſalus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius, quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum*. Et ſanctus Dionyſ. [2] dicit, quòd idem Michael, qui olim Synagogæ, nunc *Eccleſiæ præſidet*. Idem ſanctus Bonaventura [3] putat, Angelum loqui in perſona Joſue dicentis; [4] *Princeps ſum exercitus Domini*. Idem putat Auguſt. & in idem refertur illud Sapientis dicentis de Deo, [5] quòd *in unanquanque gentem poſuit rectorem*, ſcilicet, inquit Auguſt. *unaquæque res viſibilis habet poteſtatem Angelicam præpoſitam*. Theologi etiam putant, (6) aliquos ex præcipuis deputari cuſtodiæ Regum, & principum, imò & duos ſingulis, unum pro perſona, & alium ſublimiorem pro regimine. Idem putat Dionyſius, ſcilicet aliquos ex Principibus pro regibus, ſicut pro ſingulis hominibus privatis deputantur ex infimis. Unde in Deuteronomio, (7) ubi vulgata legit, *Quando dividebat Altiſſimus gentes*, pro *conſtituit terminos populorum*, 70. legunt *conſtituit terminos gentium juxta numerum Angelorum Dei*; ergo Angeli deputantur Regnis, & Provinciis, Ideò Hieron. in illud Danielis 10. *Quatuor ventos Cœli*, ait, *arbitror Angelicas Poteſtates, quibus principalia Regna commiſſa ſunt*, &c.

Prob.2.p. 1. ex Script. ubi Jacob dicit, (8) *Angelus, qui eripuit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis*. Et in Exodo, *Tollens ſe Angelus Domini, qui præcedebat caſtra*. Et David, (9) *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te*. Et, *Noli metuere Daniel*... *Veni, ut docerem te*. Et Judith, (10) *Vivit Dominus, quoniam cuſtodivit me Angelus ejus*. Et Chriſtus ipſe, (11) *Ne contemnatis unum de puſillis iſtis; Angeli enim eorum ſemper vident faciem Patris*. Et idẽ patet de Petro, cui in carcere *adſtitit Angelus Domini*; ergo ex Scr. non tantùm Regnis, & populis in cõmuni, ſed etiã ſingulis hominibus deputantur ſinguli Angeli cuſtodes.

Prob.

[1] *Apoc.* 12. [2] *Ser.* 2. *de Angel.* [3] *Joſ.* 5. [4] *q.* 7. *in Joſ.* [5] *Eccle.* 17. [6] *Suar.* [7] *Deuter.* 32. [8] *Gen.* 48. [9] *Pſ.* 90. [10] *Judith.* [11] *Matth.*

Prob. 2. ex Patribus, qui uno ore id docent, ut Dionyſ. (1) *Principatuum, Archangelorum, Angelorumque poſtremam diſtributionem enuntiandi munus adeptam humanis ordinibus, ac functionibus ſacris viciſſim præeſſe credendum eſt, ut illius miniſterio, ſuo ordine, ferantur in Deum*. Juſtin. Mar. (2) *Si quemlibet hominem Angelus ſequitur cuſtos, ut ſacræ docent Litteræ*. Et Baſil. Mag. (3) *Quod verò ſingulis fidelium adſit Angelus, ut Pædagogus quidam, & paſtor ad vitam dirigendam, nemo contradicet, qui verborum Domini recordatur dicentis*. Quod probat ex Scriptura. (4) Sanct. Hieron. (5) *Quòd unuſquiſque noſtrum habeat Angelos, multæ Scripturæ docent*. Et Auguſt. (6) *Angeli diligunt concives ſuos ... ideòque magna cura, & vigilanti ſtudio adſunt nobis omnibus locis, & horis ſuccurentes, & providentes*. Et Bernard. (7) *Putemus, Angelos dici, qui ſinguli ſingulis hominibus dati creduntur*. Et ſic de aliis.

Prob. 4. ex Judæis, & Philoſophis. Nam Rabbi Salomon in cap. 10. Danielis, *Angelus uniuſcujuſque hominis*, &c. Et Epictetus apud Arrianum, *Tutorem unicuique Deus aſſignavit ſingulorum Genium, & huic ipſum cuſtodiendum tradidit*, &c.

Prob. 5. validis congruentiis, quas ſuggerit Seraph. Doctor ſanct. Bonaventura. (8) *Conveniens erat homini lapſo deputari cuſtodiam Angelicam*, 1. quia *decet altitudinem Divinæ potentiæ*, quatenùs vult honorari in ſe, & ſervis ſuis, dum ab eis exigit, ut miniſtrent creaturæ ſuæ, & ſibi, & quatenus per eos expugnat Dæmones hoſtes ſuos, & ſic vocatur *Dominus exercituum*. 2. *decet ordinem ſapientiæ ſuæ*, quæ conſervat infimis per media, & mediis per ſuperiora, ſcilicet homini per Angelos, qui quaſi mediant inter Deum, & hominem. 3. *decet dulcedinem miſericordiæ ſuæ*, quæ aperuit ſinum homini lapſo dando ei cuſtodem, defenſorem, & ductorem.

Objic. 1. cum Calvino. Hæc opinio derogat gratiæ Dei; ergo cavenda. Prob. ant. Major eſt gratia, quòd omnes Angelos indiviſim adjutores deſtinaverit, quàm ſi unum uni, & ſingulos ſingulis; ſed nos unicum uni damus; ergo derogamus gratiæ Dei.

Reſp.

[1] *Hier.* 9. [2] *q.* 30. 5. [3] *con. Euno. c.* 66. [4] *Iſa.* [5] *Soliloq.* 27. [6] 5. *conſid.* 3. [7] 1. *de bo. gen.* 14. [8] *Hie. a.* 1. *q.* 2.

Reſp.neg.ant. & diſt. min. Unicum uni damus ſpecialiter ſine excluſione aliorum, con. cum excluſione, neg. min. Nam cùm ſpecialiter ſingulos ſingulis concedat Deus, alii tamen non deſunt in neceſſitatibus communibus. Sic præter Angelum proprium, miſit alium ad Balaam; [1] qui eum corriperet, ſic ad Tobiam miſit Raphaelem extraordinarium ductorem, ſic alios defenſores murorum Jeruſalem, [2] ſic ad Danielem, [3] qui clauderent ora leonum, ad Zachariam venerunt plures, [4] ad Jacob totus exercitus; [5] ad paſtores (6) naſcente Chriſto *facta eſt multitudo cœleſtis exercitus*.

Objic.2. Illa cuſtodia nocet libertati hominis, & minuit ejus merita; ergo non eſt admittenda. Prob. ant. Cùm enim non poſſit ad malum compelli, ſufficit ei ſua libertas, ut reſiſtat tentationibus, quę reſiſtentia eò glorioſior eſt illi, quò inferior eſt hoſtibus; ſed non eſt inferior hoſtibus cum Angelo cuſtode; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & diſt.maj. Sufficit libertas cum auxilio gratiæ, ſimpliciter, & abſolutè, con. ſecundum quid, & ad melius eſſe, neg. maj. Nam tutela Angeli reddit victoriam faciliorem, ſecuriorem, & pleniorem. Nam, ut monet Apoſtolus, *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem, ſed contra ſpiritualia nequitiæ*. Et Damaſc. (7) *Non poſſet fragilitas humana verſutiæ tam callidi hoſtis reſiſtere, niſi eam à tentationibus electorum virtus Angelica propulſaret*. Adde, quòd & alia mala poſſet Dæmon nobis inferre, quæ non penderent à noſtra libertate vitare.

Objicies 3. Homo eſſet nobilior Angelo; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c. Prob. maj. Nam (8) *major eſt, qui recumbit*, & cui miniſtratur, *quàm qui miniſtrat*; ſed homo quaſi recumberet, & Angelus miniſtraret illi; ergo &c.

Reſp. neg. 1. maj. & diſt. 2. Quàm qui miniſtrat miniſterio ſervitutis, aut ſubjectionis, con. maj. & neg. min. miniſterio charitatis, præſidentiæ, directionis, protectionis, neg. maj. & conſ. Nam miniſterium Angeli erga hominem eſt charitatis, præſidentiæ, & non ſubjectionis; & ideò notat præcellentiam Angeli ſupra hominem.

Inſt.

(1) *num.* 22. (2) *Iſa.c.*2. (3) *Dan.* 6. (4) *Zachar.* 1. (5) *Gen.*32. (6) *Luc.*2. (7) *Ep.ad Alex.*1. (8) *Luc.*22.

Inſt. Illa miniſteria haberet Angelus vel à natura, vel à gratia; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. 1. non à natura, nam Dæmon eſt ejuſdem naturæ, & tamen illud non habet. 2. non à gratia, alioqui habens plus gratiæ cuſtodire poſſet minus habentem; & Beata Virgo non haberet Angelum, quia plus habet gratiæ, quàm omnes Angeli.

Reſp. ad maj. hoc eos habere à Divina voluntate, & providentia, diſpoſitivè autem & à natura, quæ fortior, & perfectior eſt ad opitulandum, & à gratia, & charitate conſummata, quæ inclinat ad tale miniſterium. Ideò maj. eſt falſa, & diminuta, ſupponens hæc non aliunde venire poſſe, quàm à natura, vel gratia. Min. etiam falſa eſt. Nam utraque juvat, & reddit Angelum aptiorem huic deſtinationi, ac miniſterio.

Objicies denique. Cuſtodia hominum ſoli Deo tribuitur, & propria eſt, & ſufficit; ergo alia eſt fruſtra, imò & injurioſa Deo, quaſi per ſe ſolum non ſufficeret. Prob. ant. Nam dicitur (1) *cuſtos hominum*. Et (2) *Qui cuſtodit Iſrael, non dormitabit*. Et *Dominus cuſtodit te ab omni malo*. Et, *Cuſtodit introitum, & exitum tuum*, &c.

Reſp. diſt. ant. & prob. ejus. Coſtodia principalis, & primaria, con. ſecundaria, & miniſterialis, neg. ant. Deus ſolus cuſtodit principaliter, &, ſi vellet ſe ſolo id facere, id ſufficeret, ſed ex ſapientia, & miſericordia id facit per ſe, & per miniſtros ſuos, quibus (3) *mandavit de te, ut cuſtodiant te*, &c.

Dixi, *omnibus, & ſingulis*, neminem excluderem, non infantem in utero matris, nec adultos, nec infideles magis, quàm fideles, nec peccatores, ſicut nec juſtos, nec reprobos magis, quàm electos.

De infantibus patet ex Sanctis Patribus. Nam inquit Hieron. (4) *Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum*, & qui in utero poſſit quidem id præſtare cuſtos matris. Sed quid vetat, etiam proprium illi concedi ab inſtanti animationis ex majori Dei gratia æquè, ac poſt nativitatem ex utero? id videtur facere tùm ad majorem commenda-

tio-

(1) *Job.* 7. (2) *Pſ.* 120.
(3) *Pſ.* 90. (4) *In Pſ.* 90.

tionem cuſtodis, tùm ad exactiorem tutelam corporis, & vitæ, cui multa poſſent nocere, & ſic poſſet infans mori in peccato originali, niſi eum tueretur ſuus Angelus. Id docet Anſelmus, *Unaquæque anima, dum in corpus mittitur, Angelo committitur.*

Prob. de aliis adultis etiam infidelibus, & reprobis. Nam, ut diximus aliàs, Deus ex ſe vult, illos omnes ſalvari, & præparavit omnibus media ſufficientia ad ſalutem; ergo etiam illis providet Angelum cuſtodem. Et certè ſicut permittit peccatores ut reprobos tentari à Dæmone, & aliis hoſtibus, ita congruit bonitati ſuæ, ut eiſdem provideat de bono Angelo ad tutelam, ſi velint ea uti. Et fortè per illam præſervantur à gravioribus. *Parcior non eſt bonus Angelus ad præſervandum à peccato, quàm malus ad præcipitandum in malum*, ait ſanctus Bonaventura, &c. Ideò *de nemine deſperandum eſt, dum adhuc viator exiſtit*. Nam Angelus hominem non deſerit ante mortem.

Quæres 1. *an ſaltem deſerat obſtinatos.*

Reſp. negativè. Nam, ut dicebamus, bonus Angelus eſt pronior ad charitatem, & ad bonum ſui hominis, quàm Dæmon ad malum; ſed malus nunquam deſerit quantumcunque juſtum, aut peſſimum uſque ad mortem; ergo nec bonus, & quidem à fortiori non deſerit peccatorem.

Non diffiteor tamen, quandoque Angelos remittere officia cuſtodiæ ob clientum incapacitatem, & nimiam obſtinationem, ut videtur colligi ex illo textu, (1) *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam.* Quod indicat Gloſſa, & conſentiunt ſanct. Bonaventura, & Thomas, & alii Patres. Et ſic explicantur alii, qui videntur velle, Angelos abſolutè tales deſerere, ſaltem remiſſiùs agendo.

Quæres 2. *an primi parentes in ſtatu innocentiæ habuerint cuſtodem.*

Reſp. affirmativè, quia tunc multis egebant auxiliis, ne deciperentur, & caderent, ut ceciderunt; & ſicut Deus permiſit eos tentari, ita decebat ejus providentiam, & bonitatem providere eis defenſores.

Quæres 3. *an Beata Virgo habuerit cuſtodem.*

Reſp.

[1] *Jerem.* 31.

Reſp. habuiſſe. Nam licèt fuerit *gratia plena*, & in gratiis confirmata, dignitate ſuperior Angelis, tamen, ſi non ad præſidium, ſaltem ad miniſterium, debuit non uno, ſed pluribus ſtipari ut eorum Regina. Ideò ſcribit Ambroſius (1), quòd Gabriel Angelus ei fuit ſpecialiter deſtinatus, *& ipſam conſolabatur in anguſtiis, & Divina mandata ipſi intimabat, & arcana revelabat*. Idem cenſet Bernardus, & alii Theologi.

Quæres 4. *an Chriſtus Dominus habuerit*.

Reſp. negativè, quia inquit ſanctus Bonaventura, non indigebat cuſtodia, nec decebat eum, quia cuſtodia dicit in cuſtodiente quandam præſidentiam, & in cuſtodito indigentiam. Deputari potuerunt plurimi, vel omnes non ut cuſtodes, ſed ut miniſtri. Ideò legimus, quòd victo Satana, *acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei*, ſcilicet ut ſervi Domino.

Dices. In ipſa tentatione teſtatur, ſibi adeſſe Angelos, applicans ſibi illud Pſalmiſtæ, (2) *Angelis ſuis Deus mandavit de te*, &c. Et in ejus agonia, (3) *Adſtitit Angelus Domini confortans eum*. Et re vera, ſecundum humanitatem potuit egere multis auxiliis, ut cæteri homines; ergo habuit Angelum cuſtodem.

Reſp. neg. conſ. 1. quia locum illum objicit Diabolo in perſona hominum, non in ſua. 2. quia confortatio illa non fuit *proponendo aliquid, quod ipſum lateret* (& multo minùs ferendo auxilium) *ſed tantùm repræſentando, quòd quidquid gerebatur, à Deo Patre decretum fuerat*, ait Damaſc. (4) & ut notat Titus Boſtrenſis, id fecit Angelus, *non citra illuſtrem laudem, pronamq; adorationem*, & ut dicunt alii, *afferens reſponſa à Deo Patre orato*. Et 3. ſicut erat homo, ita & Deus verus; & ſic independens, & impeccabilis, & omnipotens.

Quæres 5. *de Antichriſto*.

Reſp. eum habiturum Angelum cuſtodem, quia erit homo, ſicut alii; ergo ſicut Deus vult ſalvare omnes homines, ita & iſtum. Et ideò providebit ei Angelum, ſicut aliis, ut nihil ei deſit ex parte Dei de neceſſariis ad ſalutē. Putant aliqui, quod cùm ad ſummum creverit ejus malitia, ut ſe fingat Deum, fortè

[1] *Ser.* 77. [2] *Pſ.* 90. [3] *Luc.* 22. [4] *De fide* 3.

te penitùs ab eo recedet Angelus, & deſeret eum in malitia ſua. Sed nihil certum.

## QUÆSTIO III.

### *Qui ſint effectus cuſtodiæ Angelicæ, maximè circa homines.*

PLures effectus enumerant Patres, & Theologi de cuſtodia Angelica, & inter alios, ſanctus Bonaventura 12. adducit. Præcipui ſunt ſequentes.

1. Monent, ne peccemus, & cùm peccamus, increpant, imò & aliquando præveniunt, non ex ira, ſed ex charitate, ut patet ex Script. Nam (1) *venit Angelus ad populum aberrantem à ſalute, & increpavit*, &c. Et minatus eſt ſubvertere Jeruſalem (2). *Cumque extendiſſet manum ſuam Angelus Domini ſuper Jeruſalem, ut diſperderet eam, miſertus eſt Dominus*, &c. Imò & Deus per illos ſæpè nos caſtigat, ſicut & per malos. Dicit Auguſtinus (3) *ſanctos Angelos punire, quos accipiunt lege æterna puniendos.* Et notatur, quòd qui miſſi ſunt ad Sodomam ſubvertendam, erant ex bonis, tamen ordinariè *mittit* in peccatores (4) *iram indignationis ſuæ, immiſſiones per Angelos malos.*

2. A peccatis deterrent, & liberant ab eorum ſervitute; quod figuratum videtur in liberatione Petri à vinculis Herodis. Oſtendunt nobis peccati fœditatem, atrocitatem, & pœnas temporales, & æternas, ad horrorem excitant, & deteſtationem inſpirant, oſtendunt virtutis bona, &c. His, & aliis modis revocant nos à peccàto, & ad virtutem juvant. *In manibus portabunt te*, &c.

3. Dæmones coercent, ne graviùs tentent, aut alia mala inferant, ut Raphael Dæmonem ab uxore junioris Tobiæ expulit, (5) *& religavit in deſerto ſuperioris Ægypti*. Angeli cuſtodes ſunt 60. illi fortes, qui circa lectum Salomonis excubias agunt, id. circa animam fidelem, quæ eſt thalamus Chriſti. *Fortes Angeli Dei ſunt, qui perfectum virum circumſtant*, ait Athanaſ. (6)

4. Ora-

[1] *Judic*.2. [2] 2.*Reg*.24. [3] 9. *civ*.5.
[4] *Pſal*.117. [5] *Tob*.12. [6] *L*. *qq*.22.

4. Orationes clientum deferunt ad Deum, non quòd ipſe per ſe non audiat, & videat, ſed quia meritis, & orationibus ſuis vires eis addunt, & elevant, & intercedunt. *Obtuli orationem tuam Domino*, inquit Raphael (1). *Aſcendit fumus* (de orationibus ſanctorum) *in conſpectu Angeli de manu Angeli* [2] Et, *Prævenerunt Principes conjuncti pſallentibus* [3]. Nam inquit Bernardus (4), *Credimus, ſanctos Angelos adſtare omnibus, offerre Deo preces, & vota hominum*. Ad quod facit viſio ſcalæ Jacob, (5) per quam Angelos videt *aſcendentes, ut hominum vota, preceſque ad cœleſtia perferant*, inquit Origenes (6). Imò & ipſimet orant pro nobis, ut aſſerunt ſancti Patres ex ſacris Scripturis.

5. In afflictionibus conſolantur nos, ut patet de Agar ancilla Abrahæ (7) *Angelus conſolatus eſt Agar fugientem*. Et de Gedeone, quem ſalutat Angelus, *Dominus tecum, virorum fortiſſime*. Et de Tobia, &c. *Neque enim ulla unquam mater erga unicè dilectum filium ſuum regendum, cuſtodiendum, tuendumque vigilavit, uti hi beatiſſimi Spiritus ſaluti invigilant* ut ait Baſilius.

6. Docent nos, & illuminant, revelant myſteria, ducatum præbent in via, ut Raphael erga Tobiam, &c.

7. Morientibus aſſiſtunt, in purgatorium comitantur, & conſolantur in pœnis, & purgatas, vel mundas animas in Cœlum evehunt, ut legitur de Lazaro (8), cujus anima portatur ab Angelis in ſinum Abrahæ.

8. Non dubitatur etiam, quin gaudeant in bonis clientum, v. gr. in eorum converſione, & ſalute. Unde augetur accidentaliter eorum gloria. Triſtari verò propriè in eorum malis, & perditione non poſſunt. Primum patet ex Euangelio dicente, *erit gaudium in Cœlo coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*. Et ut docet Aug. (9) *quoties bene agimus gaudent Angeli, & triſtantur Dæmones: quoties à bono deviamus, Diabolum lætificamus, & Angelos ſuo gaudio defraudamus; gaudium eſt enim eis*, &c. Igitur

[1] *Tob.* 12. [2] *Apoc.* 8. [3] *Pſal.* 67. [4] *Ibid.*
[5] *Gen.* 28. [6] *5. con. Belſ.* [7] *Gen.* 32.
[8] *Luc.* 16. [9] *Soliloq.* 17.

tur gaudent in bonis noſtris; & illud gaudium accidit eorum beatitudini, quæ, cùm ſit perfecta eſſentialiter, non capit augmentum ſubſtantiale, ut ſuppono ex tr. de Beatitudine.

De triſtitia verò, quæ eſt dolor de malo præſenti, illa repugnat ſtatui beatitudinis eorum, ubi *Abſterget Deus omnem lacrymam*. Scilicet beatitudo eſt inalterabilis poſitivè, ſed alterabilis ad ſummum negativè, quatenus, ut dicebamus ex Auguſtino, *quoties à bono deviamus, Angelos ſuo gaudio defraudamus*. Ideò cenſuram meretur Origenes, (1) qui putaſſe videtur, quòd *Angeli pro nobis ſoliciti ſunt, ſcientes, quòd ſi nos benè gubernaverint, & ad ſalutem uſque perduxerint, habent ipſi fiduciam videndi faciem Patris*, &, ſicut videbunt eam, ſi per eorum curam ſalvemur, *ita ſi per eorum negligentiam homo corruerit, etiam ſui periculi rem eſſe non neſciunt*. Imò (2) & *culpari Angelos tanquam pædagogos, ſi eorum commiſſi curæ ab officio deflexerint*, Idem videtur ſenſiſſe Calvinus (3) dicens, quòd *ſi Deus ſummo jure cum Angelis agat, inveniet, quod in eis deſideret*. Sed contra hos errores clamant Patres, & Theologi omnes.

Reſtat videndum, quomodò Angeli agant in intellectum, & voluntatem noſtram, ut in nobis cauſent pias cogitationes, & affectus. Nam præcipui effectus, qui eis tribuuntur, inquit ſanctus Bonaventura (4) poſt Dionyſium ſunt *purgare, illuminare, & perficere* 1. *purgant movendo phantaſmata, quæ impediunt illuminationem, quam Angelus facere intendit in nobis. Tria ſic removent ab anima, ſcilicet ignorantiam, nubila phantaſiarum, & falſas opiniones revelationi contrarias*. 2. *illuminant* 1. *ad ſenſum, cùm aſſumpto corpore aliqua manifeſtant*, 2. *ad imaginationem, cùm fumoſitates, quæ per ſpiritum animalem ad cerebrum elevantur, tranſmittunt in diverſa phantaſmata, quod etiam præſtare poſſunt Dæmones*. 3. *ad intellectum, & hæc illuminatio eſt perfecta ..... Tria autem requiruntur ad hoc, ut intellectus aliquid intelligat, ſcilicet ſpecies, qua cognoſcatur, lumen, in quo cognoſcat, & attentio, qua convertatur ſupra*

[1] *Hom.*23. & 45. *Luc.* [2] *Hom.*20. *nu.*3.
[3] *Inſt.*14. [4] *d.*1. *a.*2. *q.*1. 1. & 2.

*ſupra ſpeciem. Illuminat autem Angelus Intellectum noſtrum excitando, diſponendo, & lumen Divinum transfundendo*, &c. Sed quomodo hæc fiant, paulò accuratiùs diſcutiendum ad mentem Scoti. Ideò ſit

## CONCLUSIO.

*ANgelus non poteſt naturaliter cauſare effectivè ſpeciem aliquam, vel cognitionem in intellectu noſtro, ut cauſa totalis, vel partialis, & multò minùs in voluntate; poteſt tamen in phantaſia, & ſenſibus, & ita docere hominem.*

Prob. 1. p. ex Scoto. [1] *De primo dico, quòd nullam intellectionem actualem, nec ſpeciem, intelligibilem poteſt Angelus cauſare in intellectu noſtro, ut cauſa totalis*, &c. Et hoc non venit ex impotentia Angeli; quia ſicut ex ſe poteſt cauſare intellectionem in alio Angelo, ut patet ex dictis de locutione, ita & poſſet in nobis, ſed hoc venit ex parte intellectus noſtri, qui pro hoc ſtatu pendet à phantaſmatibus, & ſenſibus.

Prob. 2. ex dictis de anima. Nam pro hoc ſtatu nihil eſt naturaliter in intellectu, quod non fuerit in phantaſia, nec in phantaſia, quod non fuerit in ſenſu, nec in ſenſu, ad quod non concurrat objectum per ſui præſentiam, ergo naturaliter Angelus non poteſt cauſare effectivè, & directè ullam intellectionem, vel ſpeciem intelligibilem, quia ſic inverteret ordinem naturæ, vel præſcriptum à Deo propter peccatum, quia, ut diximus ibi, hæc dependentia intellectus à ſenſibus venit ex peccato.

Confir. Nulla eſt ratio tribuendi Angelo talem facultatem naturalem, alioqui eſſet etiam in Dæmone, in quo eſt tota natura; ergo non debet tribui.

Prob. 2. p. De voluntate, quia eſt eſſentialiter libera; ergo Angelus, nec Dæmon eam immutare poteſt cauſando in ipſa ullum actum directè.

Prob. 3. p. 1. ex Scoto. [2] Nam *propter dicta Sanctorum, ut Dionyſii dicentis revelationes fieri hominibus per Angelos, manifeſtum eſt, quòd Angelus poteſt* doce-

[1] *2.d.11.B.* & *C.n.4.* & *5.* [2] *Ibid.*

*docere hominem, ſicut homo facit, ſed perfectius*. Angelus ergo poteſt in corpore aſſumpto, vel aliter efformare voces, vel uti ſignis conceptuum de rebus, quas nobis vellet revelare, aut explicare, aut res ipſas proponere per ſenſus, ut faciunt Doctores, imò & perfectiùs, quàm ullus homo; ergo & perfectiùs docere per ſenſibilem illuminationem.

Prob. 2. ex Script. qua conſtat, Deum per Angelos inſtruxiſſe homines tùm ſenſibiliter per apparitiones, aut loquutiones ſenſibiles, ut contigit Abrahæ, Jacob, Moyſi, Tobiæ, & aliis, tùm inviſibiliter, & per phantaſmata, ut Prophetis, ſancto Joſepho, tribus Regibus, quos monuit in ſomnis Angelus, & his modis tentat Dæmon homines; ergo à fortiori ſic docere nos poterunt & Cuſtodes noſtri tum inviſibiliter, tum viſibiliter, exhibendo ſigna, vel objecta ſenſibilia in ſua realitate, aut in apparentiis, ſeu ſpeciebus externis.

Illuminant ergo nos Angeli inviſibiliter, excitando in nobis ſpecies rerum aliàs acquiſitas, movendo humores, & organa, cum quibus illæ ſpecies habent connexionem, & ſic eo ordine excitant eas, quo ſciunt poſſe excitari cogitationes, quas volunt, v. g. de Inferno, vel de Paradiſo, vel de peccatis, vel de virtutibus, ut nos per illas provocent ad pœnitentiam, aut ad virtutis amorem, aut peccati odium. Nam intellectus excitatur facilè ad illa cogitanda, quæ phantaſia cogitat, & ex illis cogitationibus intellectivis excitantur in voluntate affectus amoris, vel odii, aut ſcrupuli, & remorſus conſcientiæ.

Objic. con. 1. p. Non repugnat in Angelis virtus cauſativa immediatè ſpecierum intelligibilium, ex quibus oriantur illæ cogitationes, & hoc facit ad majorem perfectionem eorum, & ad faciliorem operationem bonorum motuum in nobis; ergo ita dicendum eſt eſſe.

Reſp. neg. conſ. tùm quia non omne, quod eſt poſſibile, debet admitti de facto, tùm quia ſi hoc in bonis cederet in bonum noſtrum, in Dæmonibus cederet in perniciem.

Inſt. Si Angelus movendo humores, & organa, ubi reſident ſpecies, excitaret cogitationes, id etiam faceret Dæmon, & ſic tam facile eſſet iſtis

no-

nocere nobis, quàm illis prodeſſe; ergo nulla ſolutio.

Reſp. neg. conſ. Nam licèt Dæmones per aliquot eaſdem vias naturales poſſint nobis nocere, per quas boni poſſunt prodeſſe, non ſequitur invertendum eſſe rerum ordinem naturalem, ut iſti proſint. Hic autem ordo fert, quòd ſpecies cauſentur in ſenſibus per objecta præſentia, & applicata, & per ſenſationes in phantaſia per phantaſmata in intellectu.

Objic. 2. Si Angelus movendo humores excitaret phantaſmata, & cogitationes, poſſet ex uno homine decerpere aliquos humores, & transferre illos in alium, & ſic excitaret in iſto cogitationes rerum nunquam viſarum, v. g. in cæco cognitionem colorum, & in ſurdo ſonorum: ſed hæc ſunt abſurda; ergo & illud.

Reſp. neg. maj. Nam licèt phantaſmata ſubjectentur immediatè in phantaſia, & habeant connexionem aliquam cum humoribus, tamen iſti debent informari anima, & ſtatim, ac ceſſat illa informatio, evaneſcunt ſpecies; ceſſat autem informatio per ſeparationem humoris à cerebro unius, & translationem in alterum, & per conſequens priſtina connexio cum ſpeciebus in priori cerebro exiſtentibus. 2. quia, ex Scoto, [1] *non poteſt aliter phantaſma transferre, niſi transferat ſubjectum* (eſt enim accidens) *& fortè diceretur, quòd translato humore ab organo fortis, non remaneret in eo phantaſma, quia non eſſet in eadem proportione ad cauſam, quæ gignebatur*. De translatione autem humorum, ſpirituum, & phantaſmatum in eodem homine, poteſt eſſe non levis difficultas, quæ pendet ex dictis de anima.

Objic. 3. Niſi Angelus poſſet aliquid cauſare in intellectu, & voluntate noſtra, fruſtra eſſet cuſtodia ejus, quia non poſſet nos dirigere in actibus noſtris intellectus, & voluntatis, ſed conſeq. eſt falſum, & contra nos, ergo &c.

Reſp. neg. maj. quia poteſt agere in intellectum modis prædictis, ſcilicet excitando bonas cogitationes per phantaſmata, vel diſtrahendo à malis, vel amovendo impedimenta, ne excitentur, ſive docendo, ſive protegendo contra conatus Dæmonum, &c. Et ſic indirectè excitant voluntatem ad



[1] *Ibid. D. n. 6.*

ad bonum, & deterrent à malo per illas cogitationes.

Hinc colligis errorem vanum eorum, qui quærunt ſcientias à Dæmonibus, quandoquidem non poſſunt in eis cauſare cogitationes, vel ſpecies novas ſaltem inviſibiliter. 2. colligis cum Scoto, Angelum bonum, nec malum non poſſe efficere raptum in homine ad intellectualem viſionem, niſi quatenus facit aliqua intenſiùs imaginari, quia intenſa imaginatio alicujus rei diſtrahit intellectum, & ſenſus ab omni alia cogitatione, vel ſenſatione, & hanc imaginationem vehementem ſequitur quandoque tam vivax intellectio rei imaginatæ, ut homo putet, ſe illam intueri; ſed ſemper imaginatio præcedit intellectionem.

## QUÆSTIO IV.

*De apparitionibus Angelorum, & Dæmonum.*

JAm diximus, Angelos mitti ad homines viſibiliter, & inviſibiliter. Hìc agimus de miſſione viſibili. Cùm verò ſubſtantias purè ſpirituales, & prorſus ex ſe inviſibiles conſtet ſenſibiliter apparuiſſe in ſpecie humana, aut aliis, neceſſe eſt, quòd aſſumant corpora aliqua viſibilia, & quæritur qualiter fiat illa aſſumptio corporum, an per nudam aſſiſtentiam, an per unionem phyſicæ compoſitionis, ſeu informationis, ut anima cum corpore, vel per unionem hypoſtaticam, ut Verbum cum humanitate in Chriſto. Quidam dubitaſſe videntur illas apparitiones eſſe veras, & reales, ſed illuſiones ſenſuum, ut Guillielmus Pariſienſis, & Uldaricus quidam.

Quærimus ergo, utrùm Angeli aſſumant, vel aſſumere poſſint corpora vera, & realia, in quibus appareant, & qualiter hæc fiant, & ex qua materia.

## CONCLUSIO I.

A*Ngeli verè apparent ſenſibiliter ſub veris corporibus aſſumptis*. Eſt communiſſima.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui hoc probat ex Scriptura, & ad-

[1] 2.*d*.8.*A*.*n*.2.

& addit, quòd *hoc non eſt informare corpus nec etiam hypoſtaticè unire, ſed tantùm intrinſecùs motor corporis. Nam tunc aſſumit, id. ad ſe ſumit, quia ad operationes ſibi proprias explendas utitur illo, ſicut inſtrumento.* Idem aſſerit in Reportatis.

Prob. 2. ex Script. Nam Dæmon apparet Evę[1] ſub corpore ſerpentis; tres boni Angeli apparent Abrahæ ſub ſpecie trium virorum, [2] & duo educunt Loth è Sodomis, [3] & unus luctatur cum Jacob *uſque mane*. [4] Et Raphael multis diebus, & longo itinere converſatur cum Tobia. Gabriel viſibiliter apparet V. Mariæ, & Satan Chriſto, cujus non poterat deludere phantaſiam, vel ſenſus.

Prob. 3. ex Patribus. Nam, inquit Damaſc. [5] *probis, ac virtute præſtantibus hominibus, quibus eos conſpiciendi ſui copiam facere Deus voluerit, non quales ſunt, apparent, ſed aliam, atque aliam formam, prout videri ab hominibus poſſunt, aſſumunt.* Et Auguſt. [6] *Sic apparuiſſe hominibus Angelos in talibus corporibus, ut non ſolùm videri, ſed etiam tangi poſſint, veriſſima Scriptura teſtatur*, &c.

Prob. denique, quia nulla eſt in hoc repugnantia, vel incongruitas; ergo cùm ſic apparuiſſe leguntur in Scriptura, id ita verè, & realiter factum meritò credendum eſt, ut ſic ſe hominum captui accommodarent.

Objic. 1. Si aſſumunt vera, & realia corpora, debent illis uniri per modum formæ, aut ſuppoſiti; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. maj. Debent magis uniri corporibus aſſumptis, quàm non aſſumptis, tum quia motor debet uniri mobili, tum quia aſſumere eſt ſibi ſumere; ergo &c.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. Nam ad hoc ſufficit realis præſentia, ut moveant illa corpora, quam non habent ad ea, quæ non movent.

Inſt. Si ſufficeret illa præſentia, & motio, Angelus, qui movet cœlum, diceretur illud aſſumere; ſed hoc falſum eſt; ergo & reſponſio.

Reſp. neg. maj. Nam licèt præſentia, quam habet motor cœli, ſufficeret ad aſſumptionem alterius corporis, non tamen dicitur aſſumere, vel apparere ſub

V 2 cœlo,

[1] *Gen.* 3. [2] *Gen.* 18. [3] *Gen.* 19. [4] *Gen.* 32.
[5] 2. *Fid.* 3. [6] 15. *civ.* 23.

cœlo, quia in eo non exercet operationes vitæ, & proprias Angelo, vel homini, ut in illo manifeſtetur.

Objic. 2. Aſſumens, & aſſumptum debent proportionari; ſed Angelus non poteſt proportionari cum ullo vero corpore; ergo nec aſſumere.

Reſp. diſt. maj. Proportione, qualis eſt inter movens, & motum, conc. maj. & neg. min. ſicut actus, & potentia, vel perfectivum, & perfectibile, neg. maj. & conſeq. Nam alia proportio non requiritur ad illam aſſumptionem, quàm virtutis activæ in Angelo ad movendum corpus aſſumptum.

Objic. 3. Sæpe apparitiones Angelorum non ſunt reales, ſed imaginariæ; ergo ita contigiſſe in aliis putandum eſt. Nam ſicut in aliquibus caſibus ſufficit imaginaria, ita in aliis. Prob. ant. Nam Angeli ſcalę Jacob apparentes non aſſumpſerant vera corpora, nec ille, qui apparuit Joſepho in ſomnis, &c.

Reſp. neg. conſ. & ant. prob. Nam quando apparitiones fuerunt purè imaginarię, id ſignificatur in Scripturis. Nam Jacob dicitur vidiſſe ſcalam, & Angelos dormiens, & Angelus apparuiſſe S. Joſeph in ſomnis. Non ita eſt de Eva, de Abraham, de Tobia, nec de Chriſto, & Mater ejus, & ſimilibus.

Objic. 4. Illa corpora vel actu formantur ab Angelis, ut aſſumantur, vel ſumuntur aliunde formata: ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. non 1. quia talis formatio non eſt in poteſtate Angeli, quia non poteſt generare, nec creare, non 2. quia illa corpora ſubitò diſparent; ergo non ſunt realia, & aliunde formata, alioqui non poſſent tam ſubitò diſparere, corrumpi, aut annihilari.

Reſp. neg. min. Nam utroque modo id fieri poteſt, ut mox patebit.

## CONCLUSIO II.

*Angelus non poteſt aſſumere corpus per unionem phyſicam compoſitionis, ſeu informationis, neque per unionem hypoſtaticam, ſed per puram, & intimam locationem definitivam, ut motor intrinſecus in ordine ad operationes aliquas per illud corpus exercendas, eaſque veras, aut apparentes.*

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Quid ſit Angelum aſſumere cor-*

[1] 2. *d.* 8. *A.* 2. *&* *Repor. ibid.*

*corpus, hoc quidem non eſt informare corpus nec etiam hypoſtaticè unire ſibi, ſed tantùm eſſe intrinſecus motor corporis. Nunc autem aſſumit, id. ad ſe ſumit, quia ad operationes proprias ſibi explendas utitur illo ſicut inſtrumento*. Ecce totam concluſionem ferè in terminis.

Prob. quoad 1. p. Nam Angelus eſt ſubſtantia ſpiritualis per ſe completa; ergo non poteſt uniri alteri ſubſtantiæ, & maximè corporeæ, ut forma,ſeu per informationem, ut anima unitur corpori noſtro, alioqui ſe haberet ut anima talis corporis,quod repugnat ſubſtantiæ completæ.

Prob. 2. p. Nulla creatura habet vim cauſandi in ſe, vel in alio talem unionem; ergo Angelus non poteſt aſſumere corpus ullum in unitatem ſuppoſiti.

Confirm. utraque pars. Sine unione hypoſtatica, vel compoſitionis, poſſunt ſufficienter ſalvari omnia, quæ Angelus dicitur facere in illis corporibus; ergo ſine ulla neceſſitate diceretur aſſumere illa corpora per unionem hypoſtaticam, vel compoſitionis phyſicæ.

Prob. 3.p.quia per hoc, quod intelligitur Angelus eſſe definitivè præſens in aliquo corpore, ſufficienter eſt illi aPplicatus ad omnes operationes,quas ibi exercere dicitur communiter; ergo per hoc explicatur ſufficienter modus talis aſſumptionis, ſc. dicendo *illum fieri intimè,& definitivè præſentem illi corpori in ordine ad exercendas per illud velut per inſtrumentum operationes, ad quas exercendas mittitur à Deo*, v. gr. ad movendum illud totum per ſingula membra ad greſſum, ad loquutionem, ad actus manuum, &c.

Dixi 1. *ut motor intrinſecus*, quia ſi tantùm moveret ad extra,ut movet cœlum,non diceretur propriè illud aſſumere, &, ſi non eſſet ibi ut motor, non magis diceretur illud aſſumere, quàm Petrus Paulum, ſi in eo ſe poneret penetrativè,vel quàm aerem,in quo eſt localiter.

2. *in ordine ad operationes*, &c. Niſi enim in eo corpore, & per illud exerceret tales operationes, non magis diceretur illud aſſumere, quàm ille, qui tulit Prophetam Habacuc ſecum in lacum leonum ad Danielem.

3. Dixi, *actiones veras, vel apparentes*. Nam aliæ

ſunt reales, ut greſſus, motus, voces, &c. aliæ verò ſunt tantùm apparentes, ut comeſtio, ſomnus, & aliæ vitales, ut audire, videre, ſentire, &c.

Objic. 1. Angelus aliter eſt in corpore aſſumpto, quàm in obſeſſis, vel energumenis, ſeu Dæmoniacis; ſed in iſtis eſt ut motor internus, & in eis exercet operationes vitales, v. g. loquutiones ignotarum linguarum, latratus, ſaltus, &c. ergo non ſic benè explicatur vera aſſumptio corporum.

Reſp neg. min. Et diſparitas eſt, quia in corporibus aſſumptis fiunt illæ operationes ſine concurſu vitali eorum, cùm illa non ſint viventia, in Dæmoniacis verò corpus, & membra, v. g. lingua, & manus, &c. concurrunt vitaliter ad illos motus, & actus, nec per illos actus intendit Dæmon ſe exhibere præſentem, ut bonus Angelus in veris aſſumptionibus, in quibus illa exercet, ut appareat præſens.

## CONCLUSIO III.

C*Orpora, quæ aſſumunt Angeli, non ſunt ex materia cæleſti, vel elementari pura, ſed mixta, vel cadavera hominum, vel animalium mortuorum.* Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto.[1] *Dico, quòd non aſſumit corpus cæleſte, nec elementare, in quibus appareat, quia in elementari non apparet viſibiliter, nec corpus elementare eſt capax illorum accidentium, in quibus apparet.. corpora autem mixta, jam à natura generata, poteſt aſſumere, ſicut & cadavera mortuorum.*

Prob. 1. p. quia, ſi ſumeret corpus cœleſte, vel eſſet aliqua pars excerpta ex ipſa ſubſtantia cœli, vel alia ſimilis producta, ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. 1. non ex ipſa materia cœli; quia ſic corpora cœleſtia non manerent integra, vel deberet creari alia pars loco ejus ſubſtituenda, quod cogitare eſt ridiculum. 2. non ex materia ſimili producta de novo. Nam à quo produceretur? & præterea, corpora, in quibus apparent Angeli, ſunt ſimilia mixtis ſublunaribus; ergo ſunt potiùs ex materia ſublunari.

Prob. 2. p. Nam elementa pura non ſubſunt acciden-

[1] *Ibid. n. 3.*

cidentibus, ſub quibus apparent illa corpora aſſumpta, & maximè aer, ex quo volunt aliqui ea eſſe formata; ergo non ſunt ex puro ullo elemento. Prob. ant. 1. quia aer non ſubiacet coloribus,nec poſſet Angelus naturaliter illos ibi producere; 2. quia nec poſſet naturaliter aerem ſic condenſare, & ſolidare, ut ſunt carnes, & oſſa corporis humani, aut ferini; ergo, &c.

Confir.Nam cùm illa corpora appareant ſimilia ceteris mixtis, & facilius ſit Angelis ita reperire, aut formare, cùm ea ſumere volunt, certè ſine fundamento, & contra experientiam diceretur illa eſſe ex alia materia.

Prob. 3. par.Nam de corporibus mixtis formatis de novo, aut cadaveribus mortuorum nulla eſt difficultas,nec repugnantia, imò id ita contigiſſe conſtat multis hiſtoriis, ut cùm legimus Dæmonem diù geſtaſſe corpora aliquot mortuorum, ut de quodam Rege, cujus corpus dicitur geſtatum per annum à Diabolo, quaſi adhuc viveret, ut narrat Scotus. [1] Idem eſt de aliis, quæ ipſimet Angeli ſibi formant ad tales apparitiones, & miniſteria.

Notat autem Doctor, quòd, quando aſſumunt corpora realia antè formata per cauſas naturales, ut corpora mortuorum, hæc poſt diſceſſum Angeli non ſtatim evaneſcunt; cum verò aſſumunt corpora à ſe ipſis formata, hæc ſtatim evaneſcunt & diſparent, ut contigit de Raphaele apud Tobiam, & Samuele apud Saulem.

Objic. Si Angelus poſſet aſſumere corpus verum, mixtum, & palpabile, ſive formatum, ſive repertum, Chriſtus D. non ſufficienter probaſſet Apoſtolis ſuam reſurrectionem, in vera carne oſtendens vulnera palpanda, [2] *Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet*, nam hæc vidiſſent, & palpaſſent in corpore, vel cadavere aſſumpto. Sed conſequens eſt falſum, & contra ſenſum Eccleſiæ, & PP. ergo &c. Prob.maj. quòd ſic evacuaretur efficaciſſima probatio Reſurrectionis Chriſti in vera ſua carne. Nam dici poſſet, Apoſtolos vidiſſe, & palpaſſe corpus aſſumptum; ergo &c.

Reſp. 1. neg.maj. & conſ. prob.Nam dici poteſt cum plu-



[1] *Repor.ibid.n.2.* [2] *Luc.24.*

pluribus Theologis, quòd in corporibus aſſumptis ſemper notabiles ſunt differentiæ cum corporibus verè animatis, ut in coloribus, in mollitie, duritie, calore, quæ percipiuntur viſu, & tactu. Et præterea in corporibus à Dæmone aſſumptis, præter defectus illos, notantur ſemper aliquæ monſtruoſitates, ungues curvæ, & acutæ, oculi feroces, vox ſtridula, obſcura, rauca, & confuſa, & alia, quæ horrorem faciunt.

Reſp. 2. neg. eandem maj. & conſ. quia ſufficiebat Chriſto probare diſcipulis ſe verum corpus, & veram carnem habere, non phantaſticum, ut ipſi putabant, ex eo, quòd intraſſet ad eos januis clauſis. Non curabat autem de corpore formato, & moto per aſſiſtentiam, de quo illi non cogitabant. Et aliunde etiam, ac deinceps eandem veritatem ſatis probavit per alias experientias.

Quæres 1. *à quo formentur corpora, quæ aſſumunt, præter cadavera.*

Reſp. illa poſſe formari ab ipſis Angelis.

Ratio Scoti [1] eſt, quia cùm illa corpora non ſint mixta perfecta in ſua ſpecie, nihil vetat, illa compingi per adunationem aliorum corporum, & applicando activa paſſivis. *Corpus, quod ita quaſi ſubito formatur, & reſolvitur, eſt mixtum imperfecta mixtione, qualis poteſt induci ab agentibus naturalibus, quaſi ſubitò facta approximatione elementorum, ita, quòd tale corpus magis aſſimiletur impreſſioni, quæ eſt imperfectè mixta,* &c. Et in Reportatis [2] dicit, quòd *illa corpora ſunt ſicut impreſſiones in aere, antequàm generentur mixta. Sic in eis eſt figura, & color, & ſicut ſtatim poſſũt formari ex nube, ita & ſtatim reſolvi in nube.*

Quæres 2. *an corpora ſic formata ſint ejuſdem ſpeciei cum aliis, quæ naturaliter generantur.*

Reſp. negativè, quia corpora naturalia non generantur, nec reſolvuntur tam ſubitò. *Tota natura creata non poſſet tam citò formare mixtum perfectum.... Imò oportet, quòd procedat per formas medias. Licèt enim ranæ, & alia imperfecta poſſint formari, ſicut fecerunt Magi in Ægypto per Dæmones, applicando activa paſſivis in tali approximatione ad Solem, ubi benè noverunt, quòd ſubitò generarentur ranæ veræ, tamen*

[1] *Ibid. n. 3.* [2] *n. 2.*

*men non poſſet ſic generare corpus hominis, vel bovis*, inquit Doctor. [1] Idem eſt de corruptione talium corporum, quia, inquit, *ſicut natura ſervat proceſſum determinatum in generatione, ita & in corruptione. 1. corrumpendo mixtum animatum in cadaver, deinde reſolvendo humiditates meliores*, &c.. ſed aliquando diſparent ſubitò illa corpora; ergo ſunt mixta imperfecta, & ſpecie differunt à perfectis.

Quando ergo corpora aſſumpta diſparent ſubitò poſt diſceſſum Angeli, vel Dæmonis, ſignum eſt, illa eſſe ab eiſdem formata, cùm verò remanent cadavera, ſignum eſt, ea fuiſſe anteà formata, & eſſe naturalia.

Dices ad 1. illa corpora poſſe formari à Deò miraculosè, & ſimiliter reſolvi tam ſubito, quam facta ſint; ergo non benè id tribuitur Angelis ipſis.

Reſp. neg. conſ. Nam potiùs malè recurritur ad miracula, quando adſunt cauſæ naturales. 2. licèt tribui hæc poſſent Dei potentię quoad illa, quę aſſumuntur à bonis Angelis, quia non niſi Deo poſitivè volente, & ad bonum hæc fiunt, non ita eſt de illis, quæ aſſumuntur à Dęmone, qui hæc non facit niſi in malum, Deo permiſſivè ſe habente.

Dices ad 2. Corpora ſic formata habent eadem accidentia externa cum noſtris, v. g. figuram, colorem, ſoliditatem, &c. ergo habent etiam eandem formam corporeitatis, nec difficilior eſt productio talis formæ, quàm accidentium, quæ ad eam diſponunt, vel ſequuntur.

Reſp. neg. conſ. Nam 1. quantùm ad figuram nihil facit ad formam illam, alioqui in ceram, lutum, lapidem, aut aliam materiam, in qua effigiari poſſet corpus humanum, cum coloribus poſſet introduci forma illa corporeitatis. 2. non ſunt eadem accidentia, niſi apparenter. Nam color, ſoliditas, & ſimiles qualitates artificiales imitantur quidem naturales, ſed valde differunt.

Quæres 3. *an Angelus poſſit ita apparere, loqui, videri, & audiri ab uno, ut non appareat, nec audiatur ab aliis æquè præſentibus.*

Reſp. poſſe. Nam poteſt ita diſponere medium circa aliorum oculos, & aures, ut ad eos non pertingant ſpecies viſibiles, & audibiles corporis, & vocis.

[1] *ibid.*

Et licet non poſſemus dicere, quomodò id fieret, adhuc non rectè negaremus, id fieri poſſe. Nec enim ſcimus omnia, quæ, & quomodò fieri poſſint ab Angelis.

## QUÆSTIO V.

*Quas operationes exercere poſſit Angelus in corporibus aſſumptis, an operationes vitales.*

Operationes aliæ ſunt *vitales*, ſeu *vitæ*, aliæ *viventis*, aliæ *mixtæ*. 1. Illæ ſunt *vitales*, quæ fiunt à principio vitæ conjuncto per vitales potentias. Et hę ſunt duplices, aliæ, quæ non dependent à corpore, & organis corporeis, ut *intelligere*, & *velle*, & de his non eſt quæſtio, nec dubium, quin Angeli in corporibus illis intelligant, & velint, & in ſe ipſis vivant, ſicut extra omne corpus: aliæ, quæ fiunt dependenter à corpore, & à potentiis corporeis, organicis, & vitalibus, *ut videre*, *audire*, *odorari*, *imaginari*, *generare*, &c. 2. actiones *viventis* ſunt, quæ fiunt à cauſa vivente, ſed non ut vivente, ſeu quæ non ſunt propriæ viventi, nec à principio vitæ ut informante, ſed ut aſſiſtente, & motore, atque ad extra, & in alieno ſubjecto, *ut ambulare*, *membra movere*, *oculos aperire*, vel *claudere*, *cibos in ora mittere*, *dentibus conterere*, *& deglutire*. 3. *Mixtæ* ſunt, quæ aliquid habent de vitalibus, & de non vitalibus, ut *ridere*, *manducare*, &c. Nam *riſus* dicit exhilarationem, & dilatationem cordis ex aliqua ſenſibilitate, & motum genarum, oculorum, aliarumque partium. Similiter manducatio dicit 1. illos motus, quibus cibus defertur in os, dentibus teritur, gutture deglutitur, ſtomacho excipitur, qui ſunt puri motus externi, & poſſunt eſſe ſine vita. 2. dicit alterationem, & coctionem cibi, aſſimilationem ejus, & aggenerationem ad ſubſtantiam viventis. Similiter locutio dicit 1. formationem, & articulationem vocum, 2. intentionem per illas voces ſignificandi exteriùs, quod interiùs in mente habemus. Primi illi motus fieri poſſunt ſine vita, non verò ſecundi.

Hinc monet ſanctus Bonaventura, quòd anima in cor-

corpore tripliciter operatur, 1. ut perficiens, & informans, & ſic facit illud vegetare, & ſentire, 2. ut nuda motrix, ut cùm facit illud ambulare, 3. ut forma, & ut motrix ſimul, ut cum facit riſum, aut comeſtionem integram mox deſcriptam. Quæritur ergo an Angelus poſſit omnia illa exercere in corporibus aſſumptis.

## CONCLUSIO.

*Angelus in corporibus aſſumptis agit ut motor, ſeu facit opera, quæ non important niſi motus aliquos, non autem opera vitæ, ne quidem mixta, ſaltem integrè, & propriè.* Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quòd motum localem poteſt cauſare in corpore aſſumpto, & ita motum; qui videtur eſſe progreſſivus, motum etiam, qui eſſet inſpirationis, & reſpirationis, motionem palpebrarum, & manuum ....ſed operationum naturalium, quæ conſiſtunt in agere, & pati, ut ſunt operationes ſenſuales, in illas non poteſt, quia illæ non ſunt natæ recipi niſi in compoſito ex organo, ſaltem perfectè mixto, & ex anima, in quantum perfectivam virtutem habent.*

Prob. 2. quoad 1. par. quia virtus Angeli in corpore non eſt minor, quàm aliorum agentium; ſed iſta poſſunt ſe, & alia movere localiter; ergo & Angeli. Prob. min. Gravia, & levia ſe movent ad centrum, & alia eò impellunt, ut venti, procellæ, & vapores, Sol ipſe agitat nubes, quas attrahit, &c. quantò magis Angelus poterit movere labia, linguam, palpebras, muſcula, manus, pedes, & alia membra corporum, quibus ineſt?

Prob. 3. quia conſtat, Angelos cauſaſſe tales motus in corporibus, quæ aſſumpſerant, ut patet de Raphaele, & aliis, & ſcimus, eos hæc non feciſſe ut informantes, ſed ut purè aſſiſtentes; ergo &c.

Prob. 2. p. quia ſentire per tactum, viſum, auditum, imaginari, & nutriri, ſunt operationes, quæ non recipiuntur niſi in potentiis organicis, & viventibus, ſed membra corporum aſſumptorum non ſunt organica, nec viventia, v. gr. oculi, lingua, maxillæ,



[1] *Ibid. c. n. 4.*

ad bonum, & deterrent à malo per illas cogitationes.

Hinc colligis errorem vanum eorum, qui quærunt ſcientias à Dæmonibus, quandoquidem non poſſunt in eis cauſare cogitationes, vel ſpecies novas ſaltem inviſibiliter. 2. colligis cum Scoto, Angelum bonum, nec malum non poſſe efficere raptum in homine ad intellectualem viſionem, niſi quatenus facit aliqua intenſiùs imaginari, quia intenſa imaginatio alicujus rei diſtrahit intellectum, & ſenſus ab omni alia cogitatione, vel ſenſatione, & hanc imaginationem vehementem ſequitur quandoque tam vivax intellectio rei imaginatæ, ut homo putet, ſe illam intueri; ſed ſemper imaginatio præcedit intellectionem.

## QUÆSTIO IV.

### *De apparitionibus Angelorum, & Dæmonum.*

JAm diximus, Angelos mitti ad homines viſibiliter, & inviſibiliter. Hìc agimus de miſſione viſibili. Cùm verò ſubſtantias purè ſpirituales, & prorſus ex ſe inviſibiles conſtet ſenſibiliter apparuiſſe in ſpecie humana, aut aliis, neceſſe eſt, quòd aſſumant corpora aliqua viſibilia, & quæritur qualiter fiat illa aſſumptio corporum, an per nudam aſſiſtentiam, an per unionem phyſicæ compoſitionis, ſeu informationis, ut anima cum corpore, vel per unionem hypoſtaticam, ut Verbum cum humanitate in Chriſto. Quidam dubitaſſe videntur illas apparitiones eſſe veras, & reales, ſed illuſiones ſenſuum, ut Guillielmus Pariſienſis, & Uldaricus quidam.

Quærimus ergo, utrùm Angeli aſſumant, vel aſſumere poſſint corpora vera, & realia, in quibus appareant, & qualiter hæc fiant, & ex qua materia.

## CONCLUSIO I.

ANgeli verè apparent ſenſibiliter ſub veris corporibus aſſumptis. Eſt communiſſima.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui hoc probat ex Scriptura, & ad-

[1] 2.d.8.A.n.2.

& addit, quòd *hoc non eſt informare corpus nec etiam hypoſtaticè unire, ſed tantùm intrinſecùs motor corporis. Nam tunc aſſumit, id. ad ſe ſumit, quia ad operationes ſibi proprias explendas utitur illo, ſicut inſtrumento*. Idem aſſerit in Reportatis.

Prob. 2. ex Script. Nam Dæmon apparet Evę[1] ſub corpore ſerpentis; tres boni Angeli apparent Abrahæ ſub ſpecie trium virorum, [2] & duo educunt Loth è Sodomis, [3] & unus luctatur cum Jacob *uſque mane*. [4] Et Raphael multis diebus, & longo itinere converſatur cum Tobia. Gabriel viſibiliter apparet V. Mariæ, & Satan Chriſto, cujus non poterat deludere phantaſiam, vel ſenſus.

Prob. 3. ex Patribus. Nam, inquit Damaſc.[5] *probis, ac virtute præſtantibus hominibus, quibus eos conſpiciendi ſui copiam facere Deus voluerit, non quales ſunt, apparent, ſed aliam, atque aliam formam, prout videri ab hominibus poſſunt, aſſumunt*. Et Auguſt. [6] *Sic apparuiſſe hominibus Angelos in talibus corporibus, ut non ſolùm videri, ſed etiam tangi poſſint, veriſſima Scriptura teſtatur*, &c.

Prob. denique, quia nulla eſt in hoc repugnantia, vel incongruitas; ergo cùm ſic apparuiſſe leguntur in Scriptura, id ita verè, & realiter factum meritò credendum eſt, ut ſic ſe hominum captui accommodarent.

Objic. 1. Si aſſumunt vera, & realia corpora, debent illis uniri per modum formæ, aut ſuppoſiti; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. maj. Debent magis uniri corporibus aſſumptis, quàm non aſſumptis, tum quia motor debet uniri mobili, tum quia aſſumere eſt ſibi ſumere; ergo &c.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. Nam ad hoc ſufficit realis præſentia, ut moveant illa corpora, quam non habent ad ea, quæ non movent.

Inſt. Si ſufficeret illa præſentia, & motio, Angelus, qui movet cœlum, diceretur illud aſſumere; ſed hoc falſum eſt; ergo & reſponſio.

Reſp. neg. maj. Nam licèt præſentia, quam habet motor cœli, ſufficeret ad aſſumptionem alterius corporis, non tamen dicitur aſſumere, vel apparere ſub

V 2 cœlo,

[1] *Gen.* 3. [2] *Gen.* 18. [3] *Gen.* 19. [4] *Gen.* 32.
[5] 2. *Fid.* 3. [6] 15. *civ.* 23.

cœlo, quia in eo non exercet operationes vitæ, & proprias Angelo, vel homini, ut in illo manifeſtetur.

Objic. 2. Aſſumens, & aſſumptum debent proportionari; ſed Angelus non poteſt proportionari cum ullo vero corpore; ergo nec aſſumere.

Reſp. diſt. maj. Proportione, qualis eſt inter movens, & motum, conc. maj. & neg. min. ſicut actus, & potentia, vel perfectivum, & perfectibile, neg. maj. & conſeq. Nam alia proportio non requiritur ad illam aſſumptionem, quàm virtutis activæ in Angelo ad movendum corpus aſſumptum.

Objic. 3. Sæpe apparitiones Angelorum non ſunt reales, ſed imaginariæ; ergo ita contigiſſe in aliis putandum eſt. Nam ſicut in aliquibus caſibus ſufficit imaginaria, ita in aliis. Prob. ant. Nam Angeli ſcalę Jacob apparentes non aſſumpſerant vera corpora, nec ille, qui apparuit Joſepho in ſomnis, &c.

Reſp. neg. conſ. & ant. prob. Nam quando apparitiones fuerunt purè imaginarię, id ſignificatur in Scripturis. Nam Jacob dicitur vidiſſe ſcalam, & Angelos dormiens, & Angelus apparuiſſe S. Joſeph in ſomnis. Non ita eſt de Eva, de Abraham, de Tobia, nec de Chriſto, & Mater ejus, & ſimilibus.

Objic. 4. Illa corpora vel actu formantur ab Angelis, ut aſſumantur, vel ſumuntur aliunde formata: ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. non 1. quia talis formatio non eſt in poteſtate Angeli, quia non poteſt generare, nec creare, non 2. quia illa corpora ſubitò diſparent; ergo non ſunt realia, & aliunde formata, alioqui non poſſent tam ſubitò diſparere, corrumpi, aut annihilari.

Reſp. neg. min. Nam utroque modo id fieri poteſt, ut mox patebit.

## CONCLUSIO II.

*Angelus non poteſt aſſumere corpus per unionem phyſicam compoſitionis, ſeu informationis, neque per unionem hypoſtaticam, ſed per puram, & intimam locationem definitivam, ut motor intrinſecus in ordine ad operationes aliquas per illud corpus exercendas, eaſque veras, aut apparentes.*

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Quid ſit Angelum aſſumere* cor-

[1] 2. *d.* 8. *A.* 2. *&* *Repor. ibid.*

*orpus, hoc quidem non eſt informare corpus nec etiam hypoſtaticè unire ſibi, ſed tantùm eſſe intrinſecus motor corporis. Nunc autem aſſumit, id. ad ſe ſumit, quia ad operationes proprias ſibi explendas utitur illo ſicut instrumento.* Ecce totam concluſionem ferè in terminis.

Prob. quoad 1. p. Nam Angelus eſt ſubſtantia ſpiritualis per ſe completa; ergo non poteſt uniri alteri ſubſtantiæ, & maximè corporeæ, ut forma, ſeu per informationem, ut anima unitur corpori noſtro, alioqui ſe haberet ut anima talis corporis, quod repugnat ſubſtantiæ completæ.

Prob. 2. p. Nulla creatura habet vim cauſandi in ſe, vel in alio talem unionem; ergo Angelus non poteſt aſſumere corpus ullum in unitatem ſuppoſiti.

Confirm. utraque pars. Sine unione hypoſtatica, vel compoſitionis, poſſunt ſufficienter ſalvari omnia, quæ Angelus dicitur facere in illis corporibus; ergo ſine ulla neceſſitate diceretur aſſumere illa corpora per unionem hypoſtaticam, vel compoſitionis phyſicæ.

Prob. 3. p. quia per hoc, quod intelligitur Angelus eſſe definitivè præſens in aliquo corpore, ſufficienter eſt illi aPplicatus ad omnes operationes, quas ibi exercere dicitur communiter; ergo per hoc explicatur ſufficienter modus talis aſſumptionis, ſc. dicendo *illum fieri intimè, & definitivè præſentem illi corpori in ordine ad exercendas per illud velut per inſtrumentum operationes, ad quas exercendas mittitur à Deo*, v. gr. ad movendum illud totum per ſingula membra ad greſſum, ad loquutionem, ad actus manuum, &c.

Dixi 1. *ut motor intrinſecus*, quia ſi tantùm moveret ad extra, ut movet cœlum, non diceretur propriè illud aſſumere, &, ſi non eſſet ibi ut motor, non magis diceretur illud aſſumere, quàm Petrus Paulum, ſi in eo ſe poneret penetrativè, vel quàm aerem, in quo eſt localiter.

2. *in ordine ad operationes*, &c. Niſi enim in eo corpore, & per illud exerceret tales operationes, non magis diceretur illud aſſumere, quàm ille, qui tulit Prophetam Habacuc ſecum in lacum leonum ad Danielem.

3. Dixi, *actiones veras, vel apparentes*. Nam aliæ

ſunt reales,ut greſſus, motus, voces,&c.aliæ verò ſunt tantùm apparentes, ut comeſtio, ſomnus, & aliæ vitales, ut audire, videre, ſentire, &c.

Objic. 1. Angelus aliter eſt in corpore aſſumpto, quàm in obſeſſis, vel energumenis, ſeu Dæmoniacis; ſed in iſtis eſt ut motor internus,& in eis exercet operationes vitales, v. g. loquutiones ignotarum linguarum, latratus, ſaltus, &c. ergo non ſic benè explicatur vera aſſumptio corporum.

Reſp neg. min. Et diſparitas eſt, quia in corporibus aſſumptis fiunt illæ operationes ſine concurſu vitali eorum, cùm illa non ſint viventia, in Dæmoniacis verò corpus & membra, v. g. lingua,& manus, &c. concurrunt vitaliter ad illos motus, & actus, nec per illos actus intendit Dæmon ſe exhibere præſentem, ut bonus Angelus in veris aſſumptionibus, in quibus illa exercet, ut appareat præſens.

## CONCLUSIO III.

C*Orpora, quæ aſſumunt Angeli, non ſunt ex materia cœleſti, vel elementari pura, ſed mixta, vel cadavera hominum, vel animalium mortuorum*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto.[1] *Dico, quòd non aſſumit corpus cœleſte, nec elementare, in quibus appareat, quia in elementari non apparet viſibiliter, nec corpus elementare eſt capax illorum accidentium, in quibus apparet.. corpora autem mixta, jam à natura generata, poteſt aſſumere, ſicut & cadavera mortuorum*.

Prob.1. p. quia,ſi ſumeret corpus cœleſte,vel eſſet aliqua pars excerpta ex ipſa ſubſtantia cœli, vel alia ſimilis producta, ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. 1. non ex ipſa materia cœli; quia ſic corpora cœleſtia non manerent integra, vel deberet creari alia pars loco ejus ſubſtituenda, quod cogitare eſt ridiculum. 2. non ex materia ſimili producta de novo. Nam à quo produceretur? & præterea, corpora, in quibus apparent Angeli, ſunt ſimilia mixtis ſublunaribus; ergo ſunt potiùs ex materia ſublunari.

Prob. 2. p. Nam elementa pura non ſubſunt acciden-

[1] *Ibid. n. 3.*

cidentibus, ſub quibus apparent illa corpora aſſumpta, & maximè aer, ex quo volunt aliqui ea eſſe formata; ergo non ſunt ex puro ullo elemento. Prob. ant. 1. quia aer non ſubiacet coloribus, nec poſſet Angelus naturaliter illos ibi producere; 2. quia nec poſſet naturaliter aerem ſic condenſare, & ſolidare, ut ſunt carnes, & oſſa corporis humani, aut ferini; ergo, &c.

Confir. Nam cùm illa corpora appareant ſimilia ceteris mixtis, & facilius ſit Angelis ita reperire, aut formare, cùm ea ſumere volunt, certè ſine fundamento, & contra experientiam diceretur illa eſſe ex alia materia.

Prob. 3. par. Nam de corporibus mixtis formatis de novo, aut cadaveribus mortuorum nulla eſt difficultas, nec repugnantia, imò id ita contigiſſe conſtat multis hiſtoriis, ut cùm legimus Dæmonem diù geſtaſſe corpora aliquot mortuorum, ut de quodam Rege, cujus corpus dicitur geſtatum per annum à Diabolo, quaſi adhuc viveret, ut narrat Scotus. [1] Idem eſt de aliis, quæ ipſimet Angeli ſibi formant ad tales apparitiones, & miniſteria.

Notat autem Doctor, quòd, quando aſſumunt corpora realia antè formata per cauſas naturales, ut corpora mortuorum, hæc poſt diſceſſum Angeli non ſtatim evaneſcunt; cum verò aſſumunt corpora à ſe ipſis formata, hæc ſtatim evaneſcunt & diſparent, ut contigit de Raphaele apud Tobiam, & Samuele apud Saulem.

Objic. Si Angelus poſſet aſſumere corpus verum, mixtum, & palpabile, ſive formatum, ſive repertum, Chriſtus D. non ſufficienter probaſſet Apoſtolis ſuam reſurrectionem, in vera carne oſtendens vulnera palpanda, [2] *Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet*, nam hæc vidiſſent, & palpaſſent in corpore, vel cadavere aſſumpto. Sed conſequens eſt falſum, & contra ſenſum Eccleſiæ, & PP. ergo &c. Prob. maj. quòd ſic evacuaretur efficaciſſima probatio Reſurrectionis Chriſti in vera ſua carne. Nam dici poſſet, Apoſtolos vidiſſe, & palpaſſe corpus aſſumptum; ergo &c.

Reſp. 1. neg. maj. & conſ. prob. Nam dici poteſt cum plu-



[1] *Repor. ibid. n. 2.* [2] *Luc. 24.*

pluribus Theologis, quòd in corporibus aſſumptis ſemper notabiles ſunt differentiæ cum corporibus verè animatis, ut in coloribus, in mollitie, duritie, calore, quæ percipiuntur viſu, & tactu. Et prætereà in corporibus à Dæmone aſſumptis, præter defectus illos, notantur ſemper aliquæ monſtruoſitates, ungues curvæ, & acutæ, oculi feroces, vox ſtridula, obſcura, rauca, & confuſa, & alia, quæ horrorem faciunt.

Reſp. 2. neg. eandem maj. & conſ. quia ſufficiebat Chriſto probare diſcipulis ſe verum corpus, & veram carnem habere, non phantaſticum, ut ipſi putabant, ex eo, quòd intraſſet ad eos januis clauſis. Non curabat autem de corpore formato, & moto per aſſiſtentiam, de quo illi non cogitabant. Et aliunde etiam, ac deinceps eandem veritatem ſatis probavit per alias experientias.

Quæres 1. *à quo formentur corpora, quæ aſſumunt, præter cadavera.*

Reſp. illa poſſe formari ab ipſis Angelis.

Ratio Scoti [1] eſt, quia cùm illa corpora non ſint mixta perfecta in ſua ſpecie, nihil vetat, illa compingi per adunationem aliorum corporum, & applicandò activa paſſivis. *Corpus, quod ita quaſi ſubito formatur, & reſolvitur, eſt mixtum imperfecta mixtione, qualis poteſt induci ab agentibus naturalibus, quaſi ſubitò facta approximatione elementorum, ita, quòd tale corpus magis aſſimiletur impreſſioni, quæ eſt imperfectè mixta, &c.* Et in Reportatis [2] dicit, quòd *illa corpora ſunt ſicut impreſſiones in aere, antequàm generentur mixta. Sic in eis eſt figura, & color, & ſicut ſtatim poſſũt formari ex nube, ita & ſtatim reſolvi in nube.*

Quæres 2. *an corpora ſic formata ſint ejuſdem ſpeciei cum aliis, quæ naturaliter generantur.*

Reſp. negativè, quia corpora naturalia non generantur, nec reſolvuntur tam ſubitò. *Tota natura creata non poſſet tam citò formare mixtum perfectum.... Imò oportet, quòd procedat per formas medias. Licèt enim ranæ, & alia imperfecta poſſint formari, ſicut fecerunt Magi in Ægypto per Dæmones, applicando activa paſſivis in tali approximatione ad Solem, ubi benè noverunt, quòd ſubitò generarentur ranæ veræ, tamen*

[1] *Ibid. n. 3.* [2] *n. 2.*

*men non poſſet ſic generare corpus hominis, vel bovis*, inquit Doctor. [1] Idem eſt de corruptione talium corporum, quia, inquit, *ſicut natura ſervat proceſſum determinatum in generatione, ita & in corruptione. 1. corrumpendo mixtum animatum in cadaver, deinde reſolvendo humiditates meliores*, &c. ſed aliquando diſparent ſubitò illa corpora; ergo ſunt mixta imperfecta, & ſpecie differunt à perfectis.

Quando ergo corpora aſſumpta diſparent ſubitò poſt diſceſſum Angeli, vel Dæmonis, ſignum eſt, illa eſſe ab eiſdem formata, cùm verò remanent cadavera, ſignum eſt, ea fuiſſe anteà formata, & eſſe naturalia.

Dices ad 1. illa corpora poſſe formari à Deò miraculosè, & ſimiliter reſolvi tam ſubito, quam facta ſint; ergo non benè id tribuitur Angelis ipſis.

Reſp. neg. conſ. Nam potiùs malè recurritur ad miracula, quando adſunt cauſæ naturales. 2. licèt tribui hæc poſſent Dei potentię quoad illa, quę aſſumuntur à bonis Angelis, quia non niſi Deo poſitivè volente, & ad bonum hæc fiunt, non ita eſt de illis, quæ aſſumuntur à Dęmone, qui hæc non facit niſi in malum, Deo permiſſivè ſe habente.

Dices ad 2. Corpora ſic formata habent eadem accidentia externa cum noſtris, v. g. figuram, colorem, ſoliditatem, &c. ergo habent etiam eandem formam corporeitatis, nec difficilior eſt productio talis formæ, quàm accidentium, quæ ad eam diſponunt, vel ſequuntur.

Reſp. neg. conſ. Nam 1. quantùm ad figuram nihil facit ad formam illam, alioqui in ceram, lutum, lapidem, aut aliam materiam, in qua effigiari poſſet corpus humanum, cum coloribus poſſet introduci forma illa corporeitatis. 2. non ſunt eadem accidentia, niſi apparenter. Nam color, ſoliditas, & ſimiles qualitates artificiales imitantur quidem naturales, ſed valde differunt.

Quæres 3. *an Angelus poſſit ita apparere, loqui, videri, & audiri ab uno, ut non appareat, nec audiatur ab aliis æquè præſentibus.*

Reſp. poſſe. Nam poteſt ita diſponere medium circa aliorum oculos, & aures, ut ad eos non pertingant ſpecies viſibiles, & audibiles corporis, & vocis.

[1] *ibid.*

Et licet non poſſemus dicere, quomodò id fieret, adhuc non rectè negaremus, id fieri poſſe. Nec enim ſcimus omnia, quæ, & quomodò fieri poſſint ab Angelis.

## QUÆSTIO V.

*Quas operationes exercere poſſit Angelus in corporibus aſſumptis, an operationes vitales.*

OPerationes aliæ ſunt *vitales*, ſeu *vitæ*, aliæ *viventis*, aliæ *mixtæ*. 1. Illæ ſunt *vitales*, quæ fiunt à principio vitæ conjuncto per vitales potentias. Et hæ ſunt duplices, aliæ, quæ non dependent à corpore, & organis corporeis, ut *intelligere*, & *velle*, & de his non eſt quæſtio, nec dubium, quin Angeli in corporibus illis intelligant, & velint, & in ſe ipſis vivant, ſicut extra omne corpus: aliæ, quæ fiunt dependenter à corpore, & à potentiis corporeis, organicis, & vitalibus, *ut videre*, *audire*, *odorari*, *imaginari*, *generare*, &c. 2. actiones *viventis* ſunt, quæ fiunt à cauſa vivente, ſed non ut vivente, ſeu quæ non ſunt propriæ viventi, nec à principio vitæ ut informante, ſed ut aſſiſtente, & motore, atque ad extra, & in alieno ſubjecto, *ut ambulare*, *membra movere*, *oculos aperire*, vel *claudere*, *cibos in ora mittere*, *dentibus conterere*, *& deglutire*. 3. *Mixtæ* ſunt, quæ aliquid habent de vitalibus, & de non vitalibus, ut *ridere*, *manducare*, &c. Nam *riſus* dicit exhilarationem, & dilatationem cordis ex aliqua ſenſibilitate, & motum genarum, oculorum, aliarumque partium. Similiter manducatio dicit 1. illos motus, quibus cibus defertur in os, dentibus teritur, gutture deglutitur, ſtomacho excipitur, qui ſunt puri motus externi, & poſſunt eſſe ſine vita. 2. dicit alterationem, & coctionem cibi, aſſimilationem ejus, & aggenerationem ad ſubſtantiam viventis. Similiter locutio dicit 1. formationem, & articulationem vocum, 2. intentionem per illas voces ſignificandi exteriùs, quod interiùs in mente habemus. Primi illi motus fieri poſſunt ſine vita, non verò ſecundi.

Hinc monet ſanctus Bonaventura, quòd anima in cor-

corpore tripliciter operatur, 1. ut perficiens, & informans, & ſic facit illud vegetare, & ſentire, 2. ut nuda motrix, ut cùm facit illud ambulare, 3. ut forma, & ut motrix ſimul, ut cum facit riſum, aut comeſtionem integram mox deſcriptam. Quæritur ergo an Angelus poſſit omnia illa exercere in corporibus aſſumptis.

## CONCLUSIO.

*Angelus in corporibus aſſumptis agit ut motor, ſeu facit opera, quæ non important niſi motus aliquos, non autem opera vitæ, ne quidem mixta, ſaltem integrè, & propriè*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quòd motum localem poteſt cauſare in corpore aſſumpto, & ita motum; qui videtur eſſe progreſſivus, motum etiam, qui eſſet inſpirationis, & reſpirationis, motionem palpebrarum, & manuum .... ſed operationum naturalium, quæ conſiſtunt in agere, & pati, ut ſunt operationes ſenſuales, in illas non poteſt, quia illæ non ſunt natæ recipi niſi in compoſito ex organo, ſaltem perfectè mixto, & ex anima, in quantum perfectivam virtutem habent*.

Prob. 2. quoad 1. par. quia virtus Angeli in corpore non eſt minor, quàm aliorum agentium; ſed iſta poſſunt ſe, & alia movere localiter; ergo & Angeli. Prob. min. Gravia, & levia ſe movent ad centrum, & alia eò impellunt, ut venti, procellæ, & vapores, Sol ipſe agitat nubes, quas attrahit, &c. quantò magis Angelus poterit movere labia, linguam, palpebras, muſcula, manus, pedes, & alia membra corporum, quibus ineſt?

Prob. 3. quia conſtat, Angelos cauſaſſe tales motus in corporibus, quæ aſſumpſerant, ut patet de Raphaele, & aliis, & ſcimus, eos hæc non feciſſe ut informantes, ſed ut purè aſſiſtentes; ergo &c.

Prob. 2. p. quia ſentire per tactum, viſum, auditum, imaginari, & nutriri, ſunt operationes, quæ non recipiuntur niſi in potentiis organicis, & viventibus, ſed membra corporum aſſumptorum non ſunt organica, nec viventia, v. gr. oculi, lingua, maxillæ,



[1] *Ibid. c. n. 4.*

phantaſia, ſtomachus, &c. ergo in illis per tales motus non poſſunt Angeli operationes illas vitales exercere. Hinc

Prob. 3. p. Nam licèt Angelus Raphael loqueretur, & cibos ſumeret, dentibus tereret, & deglutiret, imò & fortè alteraret in ſtomacho, tamen propriè non comedebat, ut videdatur, nec convertebat in ſubſtantiam corporis aſſumpti; ſed propria comeſtio vitalis hæc requirit; ergo non exercebat opera vitæ. Idem eſt de riſu, & aliis ſimilibus actibus, quos in tanta mora cum Tobia potuit externè operari, *Videbar vobiſcum manducare, & bibere, ſed ego potu, & cibo inviſibili utor*; ergo licèt motus apparentes, & externos manducationis efficeret, non tamen quoad vitalitatem.

Objic. 1. con. 2. & 3. p. Vera comeſtio eſt actio vitalis; ſed Angeli verè poſſunt comedere; ergo & exercere actus vitales. Maj. patet ex dictis. Nam vera comeſtio eſt actus vitalis, ſaltem mixtus, per nos, alioqui non magis diceretur quis comedere, quàm qui cibos in peram reponeret, vel infunderet in os mortui. Prob. min. ex hiſtoria trium Angelorum Abrahæ apparentium.

Reſp. neg. min. Nam illi viri, ſeu Angeli non veriùs comedebant cum Abraham, quàm Raphael cum Tobia. Major etiam non eſt integrè vera. Non enim omnia, quæ conveniunt comeſtioni, ſunt operationes vitales, ſed viventis.

Inſt. Si illa comeſtio non eſſet verè vitalis, comeſtio Chriſti poſt reſurrectionem non fuiſſet vitalis, nec ſufficiens probatio reſurrectionis; ſed conſ. eſt falſum, nam id faciebat ad illam probandam Apoſtolis, & niſi ſeriò, & ſyncerè comediſſet, decepiſſet eos; ergo &c. Et de tribus Angelis Abrahæ dicit Tertullianus, [1] quòd *veris & ſenſibus, & actibus veram habuerunt ſubſtantiam carnis*, quod dicebat contra Marcionem negantem, Chriſti carnem fuiſſe veram, ſed phantaſticam, licèt videretur manducare, & bibere; ergo ſicut Angeli aſſumunt vera corpora quoad ſubſtantiam, ita in eis exercent veras actiones vitæ.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. Nam longè alia fuit co-

[1] 3. *con. Mar.*

comeſtio Chriſti in corpore glorioſo poſt reſurrectionem, & comeſtio Angeli in corpore aſſumpto in Angelo non eſt comeſtio niſi quoad motus externos ciborum in os, & gutur, & trajectionem in ſtomachum, ſed in Chriſto potuit eſſe quoad digeſtionem, & aggenerationem, ſi voluiſſet, quidquid dicat Suarez, qui hanc Scoti doctrinam dicit temerariam.

Inſt. Talis nutritio repugnat ſenſui communi Patrum, & Theologorum, & impaſſibilitati corporis ejus glorioſi; ergo temerè aſſeritur. Prob. ant. Patres, & Theologi, & ipſa Scriptura tenent, Chriſtum reſurrexiſſe glorioſum, & impaſſibilem, *Mors illi ultra non dominabitur*; ſed nutritio non poteſt fieri ſine paſſione, ſcilicet ſine deperditione aliqua ſubſtantiæ, cui ſuccederet ea, quæ nutritione acquireretur; ergo aſſertio veræ comeſtionis in Chriſto redivivo eſt contra Patres, & Theologos, & Scripturam; ergo & temeraria ad minus.

Reſp. neg. ant. & min. prob. Ubinam Patres, & Theologi, vel Scriptura negant veram illam comeſtionem, & nutritionem? Doceat Suarez, ubi dixerint aggenerationem novæ ſubſtantiæ repugnare corpori glorioſo, ita, ut ne quidem ſupernaturaliter fieri poſſit ſine deperditione partis alicujus ſubſtantiæ. Certè ratio nulla id demonſtrat. Oſtendat anctoritates id ſuadentes. Hæc omnia fiebant ſine dubio miraculosè, & adhuc Chriſtus continebat abſconditas plures dotes ſtatus glorioſi, maximè ſplendorem.

Tertullianus autem docet tantùm, Marcionem malè ex corporibus aſſumptis ab Angelis arguere Chriſti carnem fuiſſe phantaſticam. Nam Angeli vera etiam corpora aſſumunt. [1] *Scito*, inquit, *nec illud tibi concedi, ut putativa fuerit in Angelis caro, ſed vera, & ſolida ſubſtantia humana*. (Non tamen viva niſi apparenter) *Angeli aliqando tanquam homines fuerunt, edendo, & bibendo, & pedes lavacro porrigendo. Humanam enim ſuperficiem induerunt, ſalva intùs ſubſtantia propria*, &c.

Objic. 2. Angeli in illis corporibus verè loquuntur; ſed vera locutio eſt propriè actio vitalis; ergo exercent actus vitales. Prob. min. Formalis locutio di-

[1] *Ibid.* 25.

dicit editionem ſoni articulati per organa vitalia ex motione phantaſiæ cum intentione aliquid ſignificandi; ergo eſt verè actio vitalis.

Reſp. diſt. maj. Verè loquuntur edendo voces ſimiles noſtris, per organa externè ſimilia noſtris, & ſimiles motus, imò & cum intentione ſignificandi, con. maj. per organa vitalia, & ex motione phantaſiæ, neg. maj. & conſ. Nam illas voces efformant per illa organa, ſicut efformantur in tubis, vel in tibiis, vel in echo, & antris, & tota intentio, & vis ſignificandi eſt in eorum intellectu, & voluntate, ſicut cùm formantur voces illæ in aere, ut ſæpè contingit etiam ſine talibus inſtrumentis.

Objic. 3. Generatio hominum, & animalium eſt maximè vitalis; ſed Dæmones aſſumptis corporibus generant non ſolùm animalia, ſed etiam homines, ergo &c. Prob. min. ex pluribus hiſtoriis, quas non improbat Scotus. [1] Imò putant plurimi, quòd gigantes, qui dicuntur geniti ex concubitu filiorum Dei cum filiabus hominum, ita geniti ſunt.

Reſp. neg. min. & ant. prob. Nec enim generationes illæ ſunt à Dæmone, ut à cauſa principali, ſeu generante, ſed miniſterialiter, ſeu inſtrumentaliter, quatenus excipit ſemen virile ſuccumbendo viris impuris, & excitando eos ad pollutionem, & conſervando illud ſemen in virtute, donec incumbendo mulieribus etiam impuris effundat illud in matricem earum. (Ita eſt de animalium generatione, quæ illi tribuitur.) Unde generationes illæ ſunt à viris, ex quibus deciditur ſemen, & à mulieribus, quæ illud excipiunt, fovent, &c. Sic rem explicat Doctor, & Sanctus Bonaventura, [2] additque, quòd illæ generationes tribuuntur *non quidem Angelo bono, quia abſit, quòd talibus vilibus ſe immiſceat, ſed Dæmoni*, &c.

De imperfectis quibuſdam animalibus, v. g. muribus, ranis, muſcis, ſerpentibus aliud eſt. Nam cùm ſæpe generentur ex putri materia, hæc poſſunt arte Dæmonis generari, præparando materiam in qualitatibus requiſitis, ſeu applicando activa paſſivis. Sic procurant illorum generationem, ſed illa per ſe immediatè non efficiunt, ut

[1] *Ibid.* 11. *n.* 5. [2] *Ibid.*

ut docet ſanctus Auguſtinus, [1] & conſtat ex Scriptura de Magis Pharaonis, qui ſuſcitabant ſerpentes coram Moyſe. Perfectiora autem ſi quæ Dæmonis opera naſcuntur, id fit ex ſemine, ut dicebamus.

Quæres, an ex incubo viro, & Dæmone ſuccumbente muliebriter poſſit generari homo.

Reſp. negativè. Nam plura requiruntur in fœmina ad polificandum, quam in viro. Requiritur enim continua, & longa caloris vitalis cauſalitas, quæ non videtur ſuppleri poſſe à Dæmone. Poſſet tamen urgeri hæc poſſibilitas ex quorundam recentiorum Phyſicorum opinione, qui putant, homines ex ovis naſci, ſicut aves, & piſces. Nam in hac ſuppoſitione, non videtur impoſſibile, quin ova excerpta ex muliere non poſſint foveri in utero virili, aut aliter arte Dæmonis, ſicut de aliis ovis conſtat. D: hoc nihil ad nos.

## DISPUTATIO VII.

*De gratia, & merito Angelorum.*

De Angelorum natura ſatis diximus Aſcendimus ad eorum ſtatum ſupernaturalem, & moralem, nempè ſtatum gratiæ, & viæ, in quo meruerunt gloriam, quam nunc poſſident boni, de malorum lapſu dicturi diſp. ſequenti.

## QUÆSTIO I.

*Utrùm Angeli creati ſint in ſtatu gratiæ.*

Angeli conſiderari poſſunt in variis ſtatibus. 1. *naturæ*, cum donis omnibus ad naturam illorum ſpectantibus, tam phyſicis, quàm metaphyſicis, ut cum gradu ſubſtantiæ ſpiritualis perfectiſſimæ, cum intellectu, & voluntate, & ſpeciebus ad cognitiones naturales, & cum habitibus etiam moralibus virtutum moralium, & Theologicarum, quæ viribus naturæ haberi poſſunt. 2. *gratiæ ſupernaturalis*, maximè ſanctificantis, & habituum ſupernaturalium Fidei, Spei, & charitatis, & aliarum virtutum ſuperna-

[1] 3. *Tr.7.*

pernaturaliter infuſarum. 3. *ſtatus viæ*, in quo fuerunt capaces meriti, & demeriti, & citra terminum beatitudinis, aut damnationis æternæ. 4. *ſtatus termini*, ſeu *patriæ*, qui eſt propriè ſtatus beatitudinis, ſeu gloriæ, vel damnationis æternæ, 5. *beatitudinis naturalis*, quæ conſiſtit in unione cum Deo per cognitionem, & amorem tam perfectum, quàm poteſt haberi naturæ viribus. Et 6. *beatitudinis ſupernaturalis, & conſummatæ*, quæ conſiſtit in intuitione, & fruitione Dei in cœlo.

Quæritur ergo 1. an creati fuerint cum gratia ſanctificante, & ſupernaturali, an verò in ſtatu naturali, in quo extiterint per aliquod breviſſimum tempus, in quo ſeſe diſpoſuerint ad illam gratiam ſaltem de congruo. Idem quæritur de betitudine naturali, aut ſupernaturali.

## CONCLUSIO I.

*Angeli potuerunt creari cum beatitudine etiam ſupernaturali; de facto tamen creati ſunt in ſtatu viæ, & cum ſola beatitudine naturali*. Eſt communior.

Prob. 1.p. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quòd Angeli boni potuerunt in 1. inſtanti eſſe beati.... quia pro quocunque inſtanti potuit Deus eam* ( beatitudinem ) *dare ita benè in primo, ſicut in 2. vel 3. & Angelus bonus, pro quocunque inſtanti fuit capax ejus, quia pro quocunque inſtanti eſt imago Dei, quæ eſt capax Dei, & illam naturam habuit plenam, & perfectam in naturalibus*, &c. ergo &c.

Prob. 2. quia in hoc nulla eſt repugnantia, imò ex Auguſtino, potuit Deus eos creare in miſeria pœnæ puræ quæ non ſupponeret culpam, &, *ſi Deus ab initio feciſſet hominem in pœna, non eſſet propter hoc vituperandus Deus, nec injuſtus*, ergo à fortiori potuit Deus Angelum creare in beatitudine ſupernaturali.

Prob. 2. p. 1. ex Scoto. [2] *Dico, quòd mali non fuerunt beati in 1. inſtanti, quia tunc non fuerunt certi de beatitudine ſua, ſic enim poſtea non cecidiſſent; ſed ſi non fuerunt* certi de beatitudine ſua, non fuerunt beati; ergo idem eſt de aliis. Nam, ut notat ex Auguſti-

[1] 2.*d*.5.*q*.2. *A.& M.n*.3.*et* 13. [2] *Ibid.*

gu̇ſtino, [1] *non prius diſcernebat Deus bonos à malis, quàm eſſent diſcreti inter ſe*; ergo neutri fuerunt creati in ſtatu beatitudinis ſupernaturalis, ſed in ſtatu viæ. [2] Quia *creati fuerunt uniformes, tam boni, quàm mali*, & *tota mora viæ præfixæ quibuſcunque Angelis* (ad meritum) *erat eis æqualis*. Hinc

Prob. 2. Quia ſicut datum eſt malis tempus, in quo potuerunt mereri, & in quo demeruerunt, ita & bonis debuit dari in quo potuerunt mereri, & de facto meruerunt beatitudinem; ſed ſi in 1. inſtanti creationis fuiſſent ita beati, non habuiſſent tale tempus merendi, ſicut nec mali ad demerendum; ergo neutri creati ſunt in termino felicitatis, aut miſeriæ. Prob. min. quia viſio intuitiva Dei ſic determinat voluntatem creatam, (ſaltem moraliter) ad amorem Dei, ut ſtante illa viſione non poſſit non amare; ergo non permittit meritum, vel demeritum.

Prob. 3. ex Patribus. Nam Auguſt. [3] docet. *Deum ſic ordinaſſe Angelorum, & hominum vitam ut in ea prius oſtenderet, quid poſſet liberum arbitrium, deinde quid poſſet Dei donum.* Unde quidam Angeli *per liberum arbitrium in veritate ſteterunt*, &c. Et Sanct. Gergor. [4] *Natura Angelica, quando creata eſt, liberum accepit, utrùm vellet in humilitate perſiſtere ... an ad ſuperbiam laberetur*. Et ſanct. Proſper, *Voluntatis SS. Angelorum fuit, quòd malis ſponte cadentibus ipſi in ſua dignitate permanſerunt*; ergo ex Patribus omnes Angeli creati fuerunt in ſtatu viæ, in quo alii meruerunt, & alii peccaverunt.

Prob. 3. p. de beatitudine naturali. 1. Per illam intelligo ſtatum, in quo habuerint tantam Dei notitiam, & amorem, quàm naturaliter haberi poteſt; ſed hæc habuerunt Angeli ab inſtanti creationis, & ante conſecutionem beatitudinis ſupernaturalis, & cõſummatæ; ergo &c. Prob. min. ex Doctore, qui putat probabiliter conceſſam Angelis, & Adamo in ſtatu innocentiæ diſtinctam cognitionem Dei, abſtractivam tamen, mediante ſpecie impreſſa, quam poſſibilem probavimus tr. 1. imò & citat Auguſtinum [5] putantem, datam Angelis cognitionem matutinam in Verbo, ſeu in ſpecie, quam prius acceperint, quàm veſpertinam.

Prob.

[1] 3. *liber. arb.* [2] *q. 1. D. n. 6.* [3] *De cor. et gra. 10.* [4] *Ho. 7. Ezech.* [5] *Gen.*

Prob. 2. Angeli omnes in ſua creatione habuerunt, quidquid ſpectabat ad eorum naturalem perfectionem eſſentialem, & accidentalem; ſed talis beatitudo naturalis faciebat ad eorum perfectionem naturalem; ergo eam habuerunt. Prob. maj. *Dei perfecta ſunt opera*, ſcilicet omni perfectione naturali; ergo &c.

Fateor, in hac parte plus aliquid videri docuiſſe Scotum, & dixiſſe probabiliter, quòd illa cognitio Dei in Angelo, & homine in ſtatu innocentiæ fuit diſtincta, ſed abſtractiva mediante ſpecie impreſſa Dei; & hanc cognitionem ideò dicit naturalem, quia nullus habitus ſupernaturalis ex parte potentiæ ad eam concurrebat, ſed tota ſupernaturalitas ſe tenebat ex parte ſupplentis vices objecti. Sed quia non eſt certum, id ita contigiſſe, non immoror. Sufficit nobis, eam cognitionem Dei in Angelis fuiſſe perfectiſſimam, quantùm haberi poteſt naturaliter ſive ex creaturis, ſive per ſpeciem aliquam, ſive aliunde. Denique idem eſt dicere, eos creatos eſſe in beatitudine naturali, ac dicere, eos creatos fuiſſe in perfectione intellectiva, & rectitudine naturali voluntatis. Nam in illa perfectione includitur perfectiſſima ſcientia Dei, & amor finis etiam perfectiſſimus, quantum poſſibilia ſunt naturaliter.

Objic. con. 2. p. Patres affirmant, Angelos ab initio fuiſſe beatos. Nam inquit Gregorius citatus, *Cadentibus aliis ſancti Angeli in ſua beatitudine perſtiterunt*. Et Auguſtinus [1] dicit, naturam Angelicam *factam eſſe participem æternitatis, et inhærentem Deo, ex quo facta eſt*. Et [2] Angelos beatos *perſeverare in ea, in qua creati ſunt, beatitudine, & eos nunquam peregrinatos à Deo.* Et D. Bernardus [3] ſupponit, Luciferum cecidiſſe à Dei gloria. Unde dicitur, *Quomodò cecidiſti de Cœlo Lucifer?* ergo creatus erat in gloria.

Reſp. neg. conſ. Nec enim Patres loquuntur de beatitudine cœleſti, quia non caditur ab illa, ſed de naturali in re, & ſupernaturali in ſpe, & inchoata per gratiam, in qua boni perſevarunt, & de qua mali ceciderunt. *Diabolus, & Angeli ejus etſi beati erant*,

[1] *1. confeſ. c.* [2] *De Eccleſ. dog. 9.*
[3] *11. cir. 9.*

*erant*, ait Auguſtinus, *antequàm caderent, etſi ſe in miſeriam caſuros eſſe neſciebant, erat tamen adhuc, quod eorum adderetur beatitudini, ſi per liberum arbitrium in veritate ſtetiſſent, donec iſtam ſummæ beatitudinis plenitudinem tanquam præmium ipſius permanſionis acciperent.* Scriptura autem ſupponit. Luciferum creatum in Cœlo, de quo cecidit, ſed non in ſtatu gloriæ, de quo non caditur.

Inſt. Scriptura non ſolum dicit, Luciferum de cœlo cecidiſſe, ſed etiam ibi fuiſſe *in deliciis Paradiſi*. ergo loquitur de beatitudine ſupernaturali,& cœleſti.

Reſp. neg. conſ. Nam *plenitudo ſapientiæ*, *perfectio decoris*, & *delitiæ Paradiſi*, quæ illi tribuuntur, ſignificant plenitudinem gratiarum omnium, quibus decoratus erat, & quæ illum incoactivè beatum etiam ſupernaturaliter reddebant cum amœnitatibus cœli in quo creatus fuerat, & de quo ejectus eſt.

Objic.2. Si quid probaret, eos non fuiſſe creatus in ſumma felicitate, maximè, ut poſſent eam mereri *per bonum uſum liberi arbitrii*, ut dicit Auguſt. ſed hæc ratio non valet; ergo nulla id probat. Prob. min. Nam Chriſtus meruit, licèt ab inſtanti conceptionis eſſet ſummè beatus, & impeccabilis: ergo idem potuit eſſe de Angelis creatis in beatitudine,hæc ſc. non obſtabat merito.

Reſp. neg. min. & conſ. prob. Nam talis erat ſtatus Angelorum, ut ſubeſſet libertati, & periculo peccandi, quæ ſunt incompatibilia cum cœleſti beatitudine: nec valet comparatio de Chriſto, in quo per miraculum conjungebantur duo illi ſtatus viæ, & termini propter duplicem naturam.

Objic. con.3.p. Si fuiſſent beati beatitudine naturali, non potuiſſent ab ea cadere, nam voluntas non poteſt non amare Deum clarè viſum, & ne quidem Dæmones amiſerunt dona naturalia per peccatum; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant.

Reſp. neg. maj. & rationem eius. Nam cognitio Dei abſtractiva, quantumvis clara, non neceſſitat voluntatem ad ejus amorem, & Dæmones non amiſerunt quidem dona naturæ phyſica benè verò moralia,& commixta, vel connexa cum moralitate,quales ſunt claritas cognitionis Dei, & rectitudo voluntatis.

CON-

## CONCLUSIO II.

*Angeli omnes creati ſunt innocentes, ſeu immunes à culpa, & probabiliter cum gratia ſanctificante.*

Prob.1. ex Soto. [1] *Quia Angeli creati ſunt uniformes tam boni, quam mali*, & dicitur *de malo Angelo, Quomodò cecidiſti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris?* &c. *ergo priùs oriebatur, & luxit, quam caderet. Item dicitur, In deliciis Paradiſi fuiſti. Ideò concluditur, quòd mora fuit inter initium creationis, & damnationis*, & per conſequens peccati; ergo creati ſunt innocentes, nec peccaverunt in inſtanti creationis, imò tunc habuerunt gratiam, ſicut boni.

Prob.2. quoad utranque partem ex Script. & Patribus, qui applicant Lucifero prædictos textus, licèt ad litteram dicantur de Rege Tyri, ſicut & iſta verba, quibus dicitur *Signaculum ſimilitudinis Dei, plenus ſapientia, & in medio lapidum ignitorum ambulans .... donec inventa eſt iniquitas in eo*. Hæc, inquam, applicant Lucifero SS. Patres. *Quid doni non habuit, qui ſignaculum ſimilitudinis Dei fuit?* ait Gregor. [2] Lapides igniti ſignificant alios Angelos charitate divina flagrantes, ut ſunt Seraphini. Plenitudo ſapientiæ ſignificat perfectionem gratiæ, & donorum ſupernaturalium, quæ amiſit. Item de malis dicitur, [3] quòd *non ſervaverunt ſuum principatum*, &c.

Confir. ex aliis Patribus. Nam Cyprianus [4] dicit, *Dæmonem aliquando fuiſſe Deo charum*. Et Baſilius, quòd, *cùm Angelicam dignitatem abjeciſſet, Diabolus appellatus eſt*. Et Auguſtinus, [5] quòd *nunquam ſine bona voluntate, & Dei amore fuiſſe credendum eſt: illi autem, qui, cùm boni creati eſſent, tamen mali ſunt mala propria voluntate, & vel minorem acceperunt amoris Divini gratiam, quàm illi, qui in eadem perſtiterunt, aut malæ voluntate ceciderunt*. Et [6] *Deus creavit Angelos ſimul in eis condendo naturam, & gratiam largiendo*. Ita eſt de aliis.

Prob.3. ex Concil. Braccarenſi, [7] in quo anathematizati videntur, qui dixerint, *Diabolum non priùs fuiſ-*

[1] 2. *d.* 5.*q.*2. *M.n.*13. [2] 32. *Moral.* 18.
[3] *Judæ*.6. [4] *De zelo.* [5] 32. *civ.*9. [6] *Ibid.*
[6] *can.*7.

*fuiſſe Angelum bonum à Deo factum*, &c. S. Tho. [1] dicit, opinionem docentem, Dæmones peccaſſe in 1. inſtanti, damnatam eſſe à Magiſtris ut erroneam.

Prob. denique ex dicendis de homine, quem Concil. Trid. [2] *docet per peccatum juſtitiam, & ſanctitatem perdidiſſe, in qua fuerat conſtitutus*. Nam Deus non minus perfectionis ſupernaturalis, & naturalis conceſſit Angelo, quàm homini; ſed iſtum creavit cum gratia ſanctificante, ut dicemus; ergo & Angelum, quippe hominem *minuit paulò minùs ab Angelis*.

Prob. 2. pars. Nam, ſi Angelus non fuit creatus cum peccato; ergo cum gratia, quia 1. non datur de facto ſtatus nudus, & puræ naturæ, & 2. nulla eſt ratio differendi gratiam in alia poſteriora momenta viæ, quam habuerunt.

Objic. 1. con. 1. p. Angeli mali nunquam habuerunt charitatem; ergo ſemper fuerunt in peccato. Nam [3] *qui non diligit, manet in morte*, nec datur ſtatus medius, ſaltem de via ordinaria. Prob. ant. 1. quia, inquit Joannes Papa [4] *dolet ſatis, & erubeſcit* (Dæmon) *hominem habere in terris charitatem, quàm ipſe in cœlo habere nequivit*. Et S. Greg. [5] *Sicut alii, ita & ipſe Dæmon habuit foramina, in quibus habere potuiſſet aurum charitatis, ſed per ſuperbiæ vitium charitatis auro non ſunt repleta.* Alludit ad verba Ezechielis dicentis eidem, *Aurum opus decoris tui, & foramina tua in die, qua conditus es, præparata ſunt*, ſc. inquit Rupertus, *cùm ſit rationalis creatura, utique intellectum, & memoriam habuit, quibus quaſi foraminibus ſpiritum amoris Dei, quod eſt aurum optimum, habere debuiſſet, ſuperbè recuſavit*; ergo Dæmon debuit quidem habere charitatem, & gratiam, ſed nunquam habuit; ergo ſemper fuit in peccato.

Reſp. neg. ant, & conſ. prob. Patres enim volunt tantum, quòd Dæmones non habuerint charitatem actualem, & perſeverantem, quam habuerunt boni Angeli, ſed habitualem infuſam omnes habuerunt ab initio; ſed dum boni per illam operati ſunt bené, & acceptam gratiam auxerunt, & meruerunt gloriam, illi amore ſui peccaverunt, acceptam gratiam extinxerunt, & damnationem ſibi meruerunt. Gregorius

[1] 1. p. q. 63. a. 5. (2) *Seſſ.* 5. (3) 1. *Jo.* 3.
(4) *Ep. ad Iſaac.* (5) *Ezech.* 28.

rius loquitur de augmento charitatis, quod non habuit Dæmon, ſed potiùs primam amiſit, dum alii auxerunt, *& foramina impleverunt*. Unde dixerat de Lucifero, [1] *Inter Angelorum choros charitatis igne ſuccenſus, clarus gloria conditionis* (ſeu creationis) *extitit*. Eodem ſenſu loquitur Rupertus: vel ſi fuit contrariæ ſententiæ, receſſit à communi, & ideò deſerendus ipſemet.

Objic.2. *Ab initio Diabolus peccat*, inquit Joannes. [2] Et Chriſtus ipſe dicit, [3] *Ille erat homicida ab initio*; ergo Dæmon non fuerat creatus in gratia, ſed fuit peccator ab ipſo creationis inſtanti.

Reſ. neg. conſ. Nam initium illud non ſumitur mathematicè, ſed moraliter pro tempore proximo ſuæ creationi; & dicitur homicida *ab initio mundi*, quia induxit protoparentes in ruinam, vel, ut dicunt alii, Chriſto cœpit meditari mortem.

Inſt.1. Job dicit, [4] quòd Deus *in Angelis ſuis reperit pravitatem* non gratiam. Hebræus habet, *in Angelis ſuis non poſuit laudem, vel lucem*. Et Aug. [5] *dicit, Angelicam creaturam primò factam fuiſſe informem, & cœlum dictam, deinde formatam fuiſſe, & lucem appellatam*; ergo non fuerunt creati in gratia.

Reſp. neg. conſ. Nam Job loquitur de pravitate, & peccato, quod ex inſtabilitate commiſerunt. Ideò dicit, *Ecce qui ſerviunt ei, non ſunt ſtabiles*. Inſtabilitas arguit mutationem de ſtatu gratiæ in peccatum, quod Deus in malis Angelis reperit. Auguſtinus verò *informitatem dicit, vel per comparationem ad formationem gloriæ, & ſic informitas præceſſit formationem, vel per comparationem ad formationem gratiæ, & ſic* (informitas) *non præceſſit* (formationem) *ordine temporis, ſed naturæ; ſicut etiam de formatione corporali*, inquit S. Tho.

Objic.3. Si Lucifer fuiſſet in gratia, non potuiſſet eam perdere; ſed conſ. eſt falſum, quia de facto cecidit; ergo, &c. Prob. maj. Si fuiſſet in gratia, voluntas ejus fuiſſet converſa ad Deum; ergo non potuiſſet averti à Deo. Nam voluntas Angeli eſt invertibilis.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. Nam licèt voluntas Angeli, ut perfectior, firmiùs adhæreat ſemel volitis,

[1] *Ibid.c.*18. [2] 1. *Jo.*3. [3] 1.*Jo.* 8. [4] *Job.* 4. [5] 1.*Gen. lit.*9.

tis, & maximè bono electo, tamen, quia eſt libera, ita & vertibilis.

Inſt. Si Lucifer in 1. inſtanti dilexiſſet Deum, meruiſſet gloriam; ergo in 2. inſtanti eam recepiſſet, & ſic non potuiſset cadere; ſed hæc falſa ſunt;ergo, &c.

Reſp. diſt. conſ. Si perſeveraſset in amore, con. ſi non perſeveraſset,neg. conſ.Non autem perſeveravit in amore Dei,ſed defecit in amorem ſui inordinatum.

## CONCLUSIO III.

PRobabilius eſt, *Angelis datam fuiſſe gratiam inæqualem juxta inæqualitatem perfectionis naturalis ſingulorum*. Hanc non invenio apud Scotum.

Prob. 1. ex Script.& Patribus, qui de Lucifero exponunt illud Job, [1] *ipſe eſt principium viarum Dei*, ſc. in ordine præcellentiæ gratiæ,& naturæ,ut dicunt Gregorius, [2] & Hugo Victor.[3] *Priùs creatus ordinis prælatione,non temporis quantitate*, iinquit Iſidorus, [4] *cujus prælationis excellentiam Propheta his verbis annuntiat,Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiſo Dei, abietes non adæquarunt ſummitatem ejus*, &c. *quoniam ſpecioſiorem fecit illum Deus*, in omnibus donis tam gratiæ,quàm naturæ. Et Ezechielis 28. dicitur, *Cherubin extentus, & protegens in monte Sancto Dei, in medio lapidum ignitorum*. S. ait Gregor. [5]*Cherub. quippe plenitudo ſcientiæ interpretatur,ideò Cherub. iſte dicitur, quia tranſcendiſse cunctos ſcientia non dubitatur .... quia comparatione charitatis ſuæ cæterorum charitatem obumbraſſe dicitur*; ergo ſicut donis naturæ,ita & gratiæ præcelluit. Et ita eſt de aliis.

Prob. 2. ex aliis Patribus. Nam, inquit Baſil. [6] *Cœlorum virtutes non ſuapte natura ſanctæ ſunt, ſed juxta proportionem, qua ſe invicem ſuperant, à ſpiritu habent ſanctificationis menſuram*. Et Damaſcenus, [7] *Per Verbum omnes Angeli creati ſunt, ac per Spiritus ſanctificationem omnes perfectionis numeros acceperunt, ita tamen, ut pro ſua quiſque dignitate, & claſſe luminis, gratiæque participes ſint*. ,Et S. Ambroſ. [8] docet, quòd *Angelus plus gratiæ ſpiritualis recepit, quam homines*, quia ſc. naturaliter perfectior.

Et

[1] *Job*.40.32. [2] *mor*.18.[3] *ſu.tr*.2.*c*.4.
[4] *l*.3.*ſum*.60.[5] *c*.12. [6] *Ibid*. [7] 2. *ſid*.3.
[8] *Hierar*.6. & 7.

Et Dionyſ. *primam Hierarchiam, ſicut cæteris eſt perfectior, ita primoribus Dei ſplendoribus majori propinquitate conjunctam, & meritò prima illa cœleſtis functio ab altiſſimis Spiritibus agitur* (vide rationem) *cùm ſit ordo omnibus celſior*; ergo juxta celſitudinem perfectionis naturalis datæ ſunt Angelis majores gratiæ.

Prob. 3. quia congruebat Dei ſapientiæ, ut ſingulis daret gratias, quibus per cooperationem poſſent permanere in gradibus, in quibus per creationem eos poſuerat, ſed ad hoc, qui erant ſuperiores, egebant merito excellentiori, & gratia majori ad illud meritum; ergo debuerunt gratiam proportionatam accipere.

Confir. ex parabola Euangelii, qua conſtat, Deum diſtribuere ſingulis ſervis ſuis dona *ſecundum propriam virtutem*. Cur enim hoc non ſervet in Angelis æquè, ac in hominibus?

Objic. 1. Si data fuiſſet Angelis gratia amplior juxta proportionem naturæ, Lucifer fuiſſet aliquando ſanctior cæteris, quia dignitate naturæ præeminebat; ſed conſ. eſt abſurdum; ergo & ant. Prob. min. quia Deus prævidebat, eum fore nequiorem, & quia natura, quæ eſt longè inferior, quàm gratia, non poteſt hanc menſurare.

Reſp. neg. min. & conſ. prob. nam 1. Deus non menſurat gratiæ dona ad menſuram præſcientiæ de uſu ejus, alioqui Judam non elegiſſet ad Apoſtolatum, quia eum prævidebat traditorem futurum, imò nec Luciferum feciſſet naturæ perfectioris. 2. natura non fuit menſura rigoris, & juſtitiæ, quaſi ex juſtitiæ rigore dederit ampliorem gratiam ex debito naturæ digniori, ſed ex conſequenti quodãmodò liberalitate.

Inſt. Niſi Deus daret gratiam ſecundum præſcientiam cooperationis, aliqui ex infimis potuiſſent æquare, aut ſuperare aliquos ex primis in merito, & gloria; ſed hoc eſt falſum & inconveniens; ergo & illud. Prob. maj. Meritum creſcit ex majori conatu voluntatis in cooperatione æquè ſaltem, ac ex gratiæ majoritate, ſed infimi potuiſſent cooperari gratiæ ſibi datæ cum majori affectu, & conatu; ergò & plus mereri. Min. etiam illa prima prob. quia ſic tota præcellentia meriti, & gloriæ tribueretur naturæ, quia conatus ille major ab ea provenjret; ſed hoc ſapit Pelagianiſmum; ergo, &c.

Reſp.

Reſp.neg.min. & diſt. maj. prob. Tribueretur naturæ, ut elevatæ, & informatæ per gratiam, conc. naturæ nudæ, & ſecundum ſe, neg. maj. & min. Nam quòd Deus digniori naturæ det plus gratiæ, id facit non ex merito ejus, ſed ex ſua liberalitate; & quòd imperfectior voluntas majori conatu, & affectu cooperetur minori gratiæ, dum alter tepidiùs cooperatur majori, & ſic ille poſſit æquare, aut ſuperare iſtius meritum, non eſt opus ſolius naturæ, ſed naturæ elevatæ, & informatæ per gratiam ſupernaturalem, quod non admittebat Pelagius. Sed de hoc alias.

Objic. 2. Deus largiendo gratiam hominibus, non reſpicit ad præſtantiam naturæ; ergo nec id reſpexit in Angelis. Ant. patet. Videmus enim, homines ingenio præſtantiſſimos habere minus gratiæ, quàm ſimpliciores. Ariſtoteles ingenio præſtabat innumeris ſanctiſſimis viris. Judas fortè ampliores gratias acceperat, quàm plurimi Sancti in naturalibus præſtantiores. Prob. conſeq. quia non erat major ratio, cur Deus hæc attenderit in Angelis, quàm in hominibus.

Reſp. neg. conſeq. & ant. prob. Nam inæqualitas naturæ in hominibus non eſt notabilis, nec ſpecifica, ſed accidentalis. Inter Angelos autem, & maximè inter diverſas Hierarchias eſt notabiliſſima, & ſpecifica, aut generica differentia, & inæqualitas, ideò congruebat Dei bonitati, & ſapientiæ, ut quos ordine, & Hierarchia faciebat altiores, & ad altiorem gloriæ gradum deſtinabat, media concederet proportionata ad illum finem conſequendum.

Dico, *congruebat*. Nec enim prætendo, id factum ex debito ullo ex parte Dei, neque ex merito ex parte Angeli, ſeu naturæ, hoc ſaperet Pelagianiſmum, ſed ex Dei liberalitate, qua voluit attendere ad diſpoſitiones naturales ſingulorum, ut ſinguli, ſi vellent cooperari, pervenirent ad gradus gloriæ, ad quos prædeſtinabantur. Inde eſt, quòd qui fideliter cooperati ſunt amplioribus gratiis, in ſublimiori gloria ſunt collocati; qui verò majores gratias neglexerunt, ut Lucifer, ſeveriùs plectuntur, juxta illud, *Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum*.

## QUÆSTIO II.

### *An, & quomodò Angeli gratiam, & gloriam meruerint.*

SUppono 1. ex dicendis, meritum eſſe actum laudabilem exigentem præmium, & aliud eſſe *de congruo*, quod non exigit præmium ex juſtitia, ſed ex aliqua decentia, & congruitate, & aliud *de condigno*, quod exigit præmium ex juſtitia, adeò ut ſine injuria non poſſit negari præmium.

2. Quòd meritum debet habere aliquam proportionem ad præmium, imò & æqualitatem, ſi ſit de condigno, non quidem mathematicam, ſed geometricam, & proportionis. Unde actus meritorius gratiæ ſupernaturalis debet eſſe ſupernaturalis, & idem eſt de ultimis diſpoſitionibus ad gratiam. Sed ad meritum de condigno actus nòn ſolum debet eſſe ſupernaturalis, ſed etiam elicitus in ſtatu gratiæ ſanctificantis, & ex charitate, & acceptatus à Deo in ordine ad tale præmium.

Porrò apud eos, qui tenēt, Angelos fuiſſe creatos in ſtatu puræ naturæ, non eſt difficile dicere, quòd in eo ſtatu potuerunt cum gratia actuali ſupernaturali, & per bonum uſum liberi arbitrii elicere actus amoris Dei, per quos (ſaltem de congruo) ſe ſe diſpoſuerint ad primam gratiam ſanctificantem. Dico, *ſaltem de congruo*. Nam certum eſt, quòd prima gratia ſanctificans non cadit ſub meritum de condigno, cujus illa eſt principium, unde naſcitur axioma, *Principium meriti non cadit ſub meritum*, alioqui idem eſſet cauſa ſui ipſius. Ideò certum eſt, Angelos non potuiſse mereri de condigno primam illam gratiam ſanctificantem, quamvis eam non habuiſsent in inſtanti creationis.

Qui tenent nobiſcum, eos creatos eſſe in tali gratia, difficiliùs videntur ſuſtinere poſſe, quòd pro eodem illo inſtanti potuerint per aliquem actum bonum mereri de congruo talem gratiam, ſeu diſponere ſe ad illam, & tamen in hoc ſenſu procedit præſens quæſtio.

Suppono denique ex dictis, Angelos creatos eſſe cum donis omnibus tam naturæ, quam gratiæ, & qui-

quidem naturæ perfectiſſimæ. Neque enim *in infantili natura creati ſunt, deindè paulatim exercitati*, inquit Baſilius, [1] ſed ſtatim, & ſimul cum perfecta cognitione ſui, & Dei, ac boni, & mali, & plena libertate voluntatis, cum auxiliis ſupernaturalibus ad malum fugiendum, & bonum amandum. His ſuppoſitis, & præmiſſis, ſit

## CONCLUSIO I.

*ANgeli potuerunt ſe ſe diſponere ad habitualem gratiam, & proabile eſt quòd ad eam ſe ſe diſpoſuerunt*. Et communior cum Scotiſtis, & Thomiſtis.

Prob. 1. ex Scoto, [2] qui cùm doceat, Angelum potuiſſe peccare in 1. inſtanti creationis ſuæ, ita negare non poteſt, quin potuerit etiam elicere aliquem actum bonum. *Potuit in 1. inſtanti habere potentiam volitivam perfectam, & non limitabatur ad rectam operationem. Non enim habuit in 2. inſtanti magis determinans, quàm in* 1. Certè ſi potuit in illo 1. inſtanti malè agere, ergo potuit benè agere.

Prob. 2. ratione, nam, ut dicebamus ex Scoto, in illo 1. inſtanti habuerunt omnia requiſita ad eliciendum actum bonum, & ſupernaturalem; ergo & potuerunt benè agere, & per bonum actum ſe diſponere de congruo ad gratiam habitualem; ſicut Sol lucet pro eodem inſtanti, quo exiſtit. Prob. ant. Nam in illo inſtanti habuerunt perfectam cognitionem naturalem boni, & mali, & Dei, & perfectam libertatem voluntatis, & auxilia ſupernaturalia ad volendum bonum requiſita; ergo potuerunt in ipſo inſtanti benè velle, & mereri de congruo.

Prob. 3. per 2. p. Nam ſi de facto meruerunt, ergo potuerunt. Ant. mox patebit.

Prob. 2. p. 1. Angeli non debuerunt ſanctificari minùs glorioſè, quàm homines adulti; ſed iſti non recipiunt illam gratiam ſine aliqua diſpoſitione congrua, *& ſine aliquo bono motu liberi arbitrii*, ut docet Concil. Trid. [3] & multò glorioſius ſic ſanctificantur; ergo & Angeli ſanctificati ſunt cum aliquo tali motu bono, ſeu diſpoſitione. Maj. patet. Nam

X 2 crea-

[1] *in Pſ.* 32. [2] *ibid. q.* 1. *L. n.* 13.
[3] *Seſſ.* 6. *c.* 5. *can.* 9.

creaturam nobiliſſimam decebat nobiliſſimus ſanctificationis modus. Min. etiam eſt de fide quoad 1. p. & prob. quoad 2. quia nobilius eſt cooperari ſuæ ſanctificationi, & illam congruenter mereri, quàm illam totaliter ab alio accipere ſine ulla prorſus diſpoſitione ex parte ſua; ergo &c.

Prob. 2. quia non repugnat, Angelos in illo inſtanti recepiſſe omnia auxilia ſupernaturalia, & ſufficientia, cum quibus amarent Deum ut ſummè bonum, & nihil vetat dicere, quòd ita contigerit; ergo ita dici poteſt contigiſſe. Ant. patet, & adhuc patebit ſolutione objectionum. Prob. conſ. Nam *Dei perfecta ſunt opera*, & in tantum debent dignificari Angeli, & extolli Dei ſapientia, bonitas, & juſtitia, quantum poteſt ſine incongruitate; ſed nulla eſt incongruitas, ſed potiùs major gloria in Angelis, & in ipſo Deo, quòd dederit tunc Angelis illa omnia, cum quibus potuerint benè operari, ut ſe diſponerent ad gratiam; ergo dicendum eſt, Deum id feciſſe.

Confirm. Nam congruentiæ omnes, quæ probant homines adultos debere ſe diſponere ad gratiam ſanctificantem, faciunt etiam à fortiori pro Angelis, illas verò dabimus in tr. de Gratia.

Objic. 1. Angeli per nos, fuerunt creati in gratia ſanctificante, nec priùs exiterunt in eſſe, quam in illa gratia; ergo illam non meruerunt, nec mereri potuerunt, quia meritum præcedit præmium.

Reſp. neg. conſeq. & diſt. prob. Præcedit natura, conc. præcedit tempore, neg. antec. Quid enim repugnat, Deum eo ipſo inſtanti, quo vidit in Angelis actum amoris, ſeu charitatis elicitum ex gratia actuali, conceſſiſſe illis ſanctificantem?

Inſt. 1. Gratia ipſa ſanctificans eſt principium meriti, ergo potiùs debuit præcedere meritum, quàm illud ſubſequi, etiam natura, ſicut cauſa effectum.

Reſpond. diſt. antec. Principium meriti de condigno, conc. de congruo, neg. ant. & conſeq. Non enim aſſerimus diſpoſitionem, & meritum de condigno, ſed tantum de congruo, ad quod non concurrit prima gratia ſanctificans: Meruerunt per gratias actuales, & per bonum uſum illarum, ac liberi arbitrii primam ſanctificantem de congruo tantùm; ſecundam verò, ideſt, augmentum illius gra-

gratiæ, & gloriam de condigno per primam ſanctificantem.

Objic. 2. Ille modus merendi ponendus eſt in Angelo, qui eſt connaturalior, & nobilior, ſed modus operandi ex gratia ſanctificante eſt connaturalior, quàm modus operandi ex ſola gratia actuali, & tranſeunte; ergo operati ſunt primò ex gratia ſanctificante; ergo iſtam non meruerunt per ullum opus. Prob. min. Nam gratia actualis eſt tranſiens, & velut extrinſeca operanti, quia ſe tenet ex parte Dei auxiliantis; ergo &c.

Reſp. neg. min. & ant. prob. Nam gratiæ illæ actuales verè ſunt in Angelis, & animabus noſtris, in quibus intrinſecè, & formaliter inhærent, & operantur. Quòd autem tranſeant, nihil facit ad rem; & licèt quoad permanentiam præcellat habitualis, non ideò actuales carent ſua utilitate, & excellentia.

Objic. 3. Si in 1. illo inſtanti elicuerunt actus charitatis ex gratia actuali, elicuerunt duos actus ſimul ex eodem principio, tempore, & potentia; ſed conſ. eſt falſum; ergo, &c. Maj. patet. Nam eodem tempore, quo operabantur ex gratia actuali primum actum charitatis, habuerunt etiam ipſam gratiam ſanctificantem, quam per illum actum primum merebantur de congruo, & eodem inſtanti poterant, imò, & de facto operabantur ex iſta gratia ſanctificante; ergo ex eodem principio, ſc. eadem voluntate, & eodem tempore operabantur duos actus diverſos, & diversè meritorios. Min. etiam patet ex Philoſophia. Nam eadem potentia non poteſt ſimul elicere duos actus totales.

Reſp. diſt. maj. Duos actus partiales, & ſubordinatos, conc. maj. & neg. min. id enim minimè repugnat, duos actus totales, & non ſubordinatos, neg. maj. & conſ. Nam voluntas Angeli per auxilium gratiæ actualis elicuit actum charitatis, intuitu cujus Deus in ipſomet inſtanti contulit ei gratiam ſanctificantem, cum qua ſimul elicuit actum ejuſdem charitatis. Primus fuit diſpoſitio ad 2. mediante tali gratia, ſicut Sol eodem inſtanti illuminat aerem, & aſtra, tum per ſe, tum per illa.

Objic. 4. Magis commendatur Dei liberalitas, ſi

dedit Angelis gratiam ſanctificantem ſine ullo merito, ergo ita dicendus eſt feciſſe.

Reſp. 1. neg. ant. quia major eſt gratia, & liberalitas, quòd dederit ſimul & gratiam, & aliquale meritum, ſc. dando ea, per quæ mererentur.

Reſp. 2. neg. conſ. Nam debet ſuæ ſapientiæ, & juſtitiæ, quòd non ſanctificet adultos, niſi volentes, ſed exigat conſenſum, & cooperationem ex parte creaturæ ſuæ ad contrahendam cum illa amicitiam, qualem contrahit per hanc gratiam.

Objic. 5. Sequeretur, non omnes accepiſſe gratiam illam, vel eam non accepiſſe cum proportione ad perfectionem eorum naturalem; ſed conſeq. utrunque eſt contra nos; ergo &c. Prob. maj. Nam cùm omnes fuerint liberi in illo inſtanti, potuiſſent non æqualiter amare, nec cum toto conatu ſecundum vires naturæ, & gratiæ, vel abſolutè peccare. Imò & incredibile eſt, quòd in re ſic libera tot Angelorum millia ſic perfectè convenerint, ut nemine dempto totis viribus conſenſerint in Dei amorem. Id enim videtur moraliter impoſſibile.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. Quid enim mirum, quòd tam perfectæ creaturæ, gratiis congruentibus naturali ſingulorum perfectioni primo intuitu, & motu ad Deum creatorem converſæ ſint, Deo per providentiam æquè fortiter, ac ſuaviter diſponente?

## CONCLUSIO II.

*Omnes Angeli electi meruerunt ſuam beatitudinem ſupernaturalem priùs tempore, quàm illam habuerint.* Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] *Tenetur, quòd Angeli meruerunt ſuam beatitudinem, & quidem, priuſquàm receperunt eam. Primum declaratur; quia omnis natura conſequitur ſuam perfectionem per operationem propriam; ſed perfectio, & finis cujuslibet creaturæ rationalis eſt ſua beatitudo, quæ ſoli Deo eſt naturalis, omnis autem operatio talis in finem ducẽs vel eſt factiva finis, quando ſc. finis non excedit virtutem operantis propter finẽ, ſicut medicatio reſpectu ſanitatis, vel eſt meritoria finis, quando ſc. finis excedit virtutem operantis, & tunc*

[1] *ibid. q. 1. A. n. 3.*

*& tunc expectatur finis ex dono alterius. Beatitudo autem excedit omnem naturam creatam. Ideò tam Angelus, quàm homo meruit ſuam beatitudinem.*

Prob. 2. Tam Angelus poteſt mereri ſuam beatitudinem, quàm homo; ſed homo eam meretur; ergo & Angelus. Prob. maj. Nec enim dari poteſt ratio, cur daretur Angelo ſine meritis, & non homini; imò ſi ab homine, qui eſt infirmus, exigitur meritum, multò magis ab Angelo, qui longè perfectior eſt, & aptior ad merendum.

Prob. 3. ex Script. & Patribus, quia tam pro Angelis, quàm pro hominibus dicitur, (1) *Non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit*. Et (2) *Unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem*. Et, *Menſura hominis, quæ eſt Angeli*. Nam inquit Gregor. *Ædificium, quod inhabitat Deus, & Angelica, & humana ſimul natura perficitur, per hoc, quod Angelica natura ſurſum eſt, & humana adhuc deorſum, poteſt per altitudinem, & latitudinem utraque creatura ſignificari, ſed uno calamo menſuratur*, &c. Et S. Auguſt. *dicit, quòd ſicut Angeli ſancti cadentibus aliis per liberum arbitrium ſteterunt, & hujus manſionis mercedem, percipere meruerunt*, tantam ſc. beatitudinis plenitudinem, &c. Ideò Valentia, & alij Theologi cenſent, contrarium eſſe erroneum, alioſque Patres citant, communiter hanc veritatem docentes, aut ſupponentes.

Prob. 2. p. ex Doctor (3) quia *voluntas non vult ſimul mutabiliter, & immutabiliter*, tales enim actus opponuntur contradictoriè, ſed voluntas Angeli in ſtatu beatitudinis acqu iſitæ vult immutabiliter, & cùm eam meretur, vult mutabiliter, alioqui non eſſet capax meriti, quia debet velle liberè; ergo non potuit mereri beatitudinem, niſi prius, quàm haberet eam. Prob. min. ex dicendis de merito. Nam, ex omnium conſenſu, eſt actus liber libertate contingentiæ; ſed hæc libertas eſt mutabilitatis, & ſtatus beatitudinis eſt ſtatus immutabilitatis, nam per viſionem beatam voluntas determinatur ad volendum Deum clarè viſum, ut diximus alias; ergo &c.

Prob. 2. Ad meritum requiritur neceſſariò ſtatus viæ, alioqui Beati in cœlo continuè mererentur per

X 4 amo-

[1] 2. *Tim.* 2. [2] 1. *cor.* 3. *c.* 21. [3] *Ibid. B. n.* 4.

amorem beatificum, quod omnes negant; ergo meruerunt Angeli beatitudinem priùs, quàm eam haberent.

Prob. 3. (Quod eodem recidit) ſi Angeli non meruerunt beatitudinem priùs, quàm fuerint beati, id fecerunt per actus comitantes, vel ſubſequentes conſecutionem ejus; ſed neutrum dici poteſt; ergo meruerunt per præcedentes. Prob. min. 1. non per ſequentes, nam, ut dicebamus, ſtatus viæ, & libertatis contingentiæ requiritur ad meritum, & non poteſt dici, quinam ſint illi actus, ſi præmium non præcedit tempore meritum; ergo non meruerunt per actus ſequentes. 2. non per comitantes, nam priùs tempore habuerunt gratiam, quàm gloriam; ergo & meritum, ut patet ex dictis. Nam priùs tempore operati ſunt per gratiam.

Confir. ex Patribus citatis, & aliis. Nam docent, bonos Angelos conſecutos fuiſſe gloriam, quia ſteterunt, & perſeverarunt, dum mali defecerunt; ergo admittendum eſt tempus, in quo mali, & boni fuerunt ſimul, & aliud, in quo boni perſeverarunt, & mali defecerunt, & mutati ſunt; ergo meritum præceſſit in bonis conſecutionem gloriæ, ſicut demeritum in malis preceſſit damnationem, ut dicemus infrà de duratione viæ.

Objic. 1. Si Angeli non meruiſſent, niſi pro tempore quod præceſſit eorum beatificationem, & ſi gloria commenſuraretur illis meritis, in gloria ſuperarentur à multis hominibus: ſed conſeq. eſt falſum; ergo meruerunt etiam per opera ſequentia beatificationem. Prob. maj. Multi homines merentur per totum vitæ decurſum, v. g. per 20. 30. aut 60. annos; Angeli verò per breviſſima temporis momenta: ſed incredibile eſt, eos tam exiguis momentis potuiſſe æquare merita tot annorum; ergo in merito ſuperarentur à multis hominibus, niſi meruiſſent poſt beatificationem.

Reſp. neg. maj. & diſt. min. prob. Æquare extenſivè, & quoad multitudinem, & durationem actuum, con. intenſivè, quoad perfectionem intrinſecam, & entitativam actuum, neg. min. & conſ. Nam hæc perfectio menſuratur ex perfectione principiorum, ſcilicet gratiæ, intellectus, & voluntatis, ex fervore, &

aliis

aliis circumſtantiis, & in his meritum unius momenti poteſt æquare virtutes centum annorum durationis.

Inſt. meritum creſcit ex conatu, & difficultate operis, ſed hæc non fuerunt tanta in Angelo, quanta in homine in tanta duratione; ergo nec meritum tam parvi temporis eſſet tantum, quantum in illo homine in tanta duratione.

Reſp. 1. neg. min. Nam licèt Angeli non paterentur repugnantias partis ſenſitivæ, ut nos, tamen potuerunt impugnari per motus amoris proprii, & ſuperbiæ, & ex aliis tentationibus ſpiritualibus, quibus de facto plures ſuccubuerunt. Unde *Prælium magnum factum eſt in Cœlo*, &c.

Reſp. 2. diſt. maj. Cæteris paribus, con. abſolutè, & ſemper, neg. maj. & conſ. Nam ex difficultate, & pugna ſæpe fit, ut levius adhæreamus bono, ſemper aliquantulum inclinamur ad creaturas, & bonum ſenſibile, ad quod trahimur in pugna.

Reſp. 3. id facere contra illos, qui volunt, eos meruiſſe per actus comitantes, aut ſequentes beatificationem. Nam in eo ſtatu nullam ſentiunt difficultatem in Dei amore, ſed potiùs impotentiam ad malum.

Objic. 2. Angeli aliquid merentur per obſequia, ſaltem externa, quæ exhibent Deo in cuſtodia hominum, & per charitatem in homines, & Deus potuit ex iſtorum prævisione conferre illis gloriam vel in toto, vel in parte, & quoad aliquod augmentum; ergo merentur per opera ſequentia beatificationem.

Reſp. neg. 1. ant. abſolutè, ſaltem de beatitudine eſſentiali. Nam quoad hoc ſunt abſolutè in termino, & extra ſtatum meriti. Prætereà id non probaret pro illis, qui non incumbunt his obſequiis.

Reſp. 2. neg. 2. par. ejuſdem ant. Nam ſicut Deus non damnat, nec punit ex prævisis peccatis, ita nec præmiat ex prævisis meritis. Igitur ſi quid ex talibus obſequiis Angeli conſequantur à Deo, id erit valdè extrinſecum, & accidentale beatitudini eorum.

# CONCLUSIO III.

*Angeli potuerunt mereri, vel de facto meruerunt per actus fidei, & ſpei, & maximè charitatis.*

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente, quòd probabiliter Angeli mali *in tertio inſtanti viæ multipliciter demeruerunt*, ſcilicet multiplici peccato, *& boni multipliciter meruerunt*, ſcilicet per actus diverſarum virtutum, inter quas principales ſunt theologicæ, fides ſpes, & charitas.

Prob. 2. quia revelata fuerunt eis ſine dubio myſteria Trinitatis, & Incarnationis; ergo de illis potuerunt elicere actus fidei. Prob. ant. [2] *Cum introduxit Primogenitum in orbem terræ, dixit*, Et, *adorent eum Angeli eius*. Et de illis dici poteſt æquè, ac de hominibus, quòd *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*. Et quòd *juſtus ex fide vivit*, quandiù eſt in via. Et ſicut *accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt*: ita & per ſpem debet credere omnis viator, quòd *inquirentibus ſe remunerator eſt*; & ex fide naſcitur ſpes. Denique ſine charitate nullum eſt meritum. *Qui non diligit, manet in morte*, ergo per omnes illas virtutes potuerunt mereri; ergo & de facto meruerunt. Non enim probabile eſt, quod neglexerint actus illarum virtutum.

Prob. 3. quia non repugnabant illis actus talium virtutum, & ſunt altioris meriti, quàm actus moralium, nec ſine gravi fundamento debent illis denegari.

Objic. 1. Angeli didicerunt myſterium Incarnationis per Apoſtolos, & Eccleſiam, & fuit illis *abſconditum à ſeculis in Deo*; ergo in ſua creatione non habuerunt fidem de hoc myſterio, quandoquidem non habuerunt revelationem de illo.

Reſp. diſt. ant. Fuit abſconditum Angelis, quoad aliquot circumſtantias, v. g. quoad executionem, con. quoad ſubſtantiam, & futuritionem, neg. ant. Nec quoad hæc didicerunt ab Apoſtolis, vel ab Eccleſia, ſed ab eis diſcere potuerunt aliquot circumſtantias, v. g. paſſionis, reſurrectionis, vel aſcenſionis, inſtitutionis Eccleſiæ, & ideò inducuntur quærentes, [3] *Quis eſt iſte*

[1] 2. d. 5. q. 2. n. 15. N. [2] Hebr. 1. 11. [3] Pſ. 23.

*iſte Rex gloriæ?* (1) Et, *Quis eſt iſte, qui venit de Edom?* &c Licèt fortè id dicere, potuerint ex admiratione, non ex neſcientia.

Objic. 2. Cognitio Angelorum ante viſionem beatam fuit clariſſima; ergo non fuit ex fide, quæ eſt obſcura; ergo non meruerunt per fidem.

Reſp. diſt. ant. Fuit clara comparativè ad noſtram, & in atteſtante, ſeu revelante, con. fuit clara, id. intuitiva incompatibilis cum fide, neg. ant. Fuit enim abſtractiva, per ſpeciem, ſeu revelationem, at comparativè ad noſttam, quæ eſt obſcurior, & *in ænigmate*. illa fuit clariſſima.

## QUÆSTIO III.

*De tempore viæ Angelorum.*

MOx dicebamus, Angelos per aliquot moras, ſeu momenta temporis extitiſſe ad merendum, & demerendum, antequàm fuerint in termino beatitudinis, aut damnationis. Quærimus hìc, quanta fuerit illa duratio momentorum, & quomodò tempus illud diſtribuatur. Nam de his variæ ſunt Theologorum ſententiæ. Quidam putant, tempus illud duraſse tota prima die uſque ad diviſionem lucis à tenebris, qua putant deſignari ſeparationem bonorum à malis. alii uſque ad 2. diem, qua divifit aquas ab aquis, ſcilicet ſuperiores ab inferioribus, & tunc bonos ad Cœlum evexit, & malos deorſum ejecit; alii putant, malos peccaſse, & dejectos fuiſse 6. die, qua dicitur de Deo, quòd *vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, quòd non dixiſset, ſi tot Angeli evaſiſsent peſſimi. Sed iſta dicuntur ex levibus conjecturis. Unum mihi certum videtur, ſcilicet, tempus illud fuiſſe valdè breve. Ideò partes ejus dicuntur, non *horæ*, vel *dies*, ſed *inſtantia*, vel *moræ*, aut morulæ. De quarum diſtributione aliqua eſt controverſia.

Scotus (2) circa hæc ſex habet propoſitiones. 1. *Merentes uſque ad nunc præmiationis, in illo nunc præmiati ſunt* 2. *Meritum præceſſit duratione præmium*. 3. *Tota mora viæ præfixa quibuſcunq; erat Angeli eis æqualis. Hinc ſequitur* 4. *quādo boni ultimate meruerūt,*

X 6 in

[1] *Iſa.* 63. [2] *Ibid. q.* 1. *D. n.* 5.

*in eodem inſtanti demeruerunt mali*, alioqui cum bonis fuiſſent præmiati. 5. *Omnes creati ſunt uniformes*. 6. *Probabile eſt, quòd quilibet Angelus aliquãdo fuit in gratia ſive in inſtanti creationis, ſive poſteà*.

## CONCLUSIO I.

IN *tempore viæ Angelorum ponendæ ſunt tres moræ, 1. in qua creati ſunt uniformes, ſcilicet in gratia, 2. in qua boni perſeverarunt, & meruerunt, & mali defecerunt, & peccarunt, 3. in qua boni præmiati ſunt, & mali puniti*. Hæc patet ex Scoto citato, & ſequitur ex dictis.

Prob. 1. Non poteſt commodiùs partiri tempus illud; ergo ita dicendum eſt. Prob. ant. Nam ſic debet partiri, ut 1. ſit una mora, in qua omnes fuerunt uniformes, ſc. in gratia, & hoc conſtat ex 2. concluſ. q. 1. & ex 1. concl. q. 2. ex quibus patet, quòd omnes creati ſunt in gratia, & ſe ad eam aliqualiter diſpoſuerunt, 2. ut aliqua ſit mora, in qua boni à malis ſeſe diſcreverint per meritum; & perſeverantiam in gratia, & mali à bonis per peccatum, quia iſti non fuerunt mali, niſi in 2. mora, quandoquidem in 1. mora erant uniformes, & in gratia cum bonis, & denique 3. ſit mora, in qua boni mercedem acceperunt pro meritis, & mali pœnam pro peccatis, & hæc diſtributio ſufficit; ergo &c. Probari poſſet 2. rejiciendo alios modos explicandi moras illas, ſed id videtur ſuperfluum, & parvi momenti, &, ſi attentè alios legeris, omnes ferè in re conveniunt, ſcilicet aliam eſſe moram, ſeu inſtans creationis, ſive in gratia, ſive in pura natura, aliam, in qua boni meruerunt, & mali peccaverunt, & aliam, in qua præmiati ſunt boni, & puniti mali. Sanctus Thomas, qui videtur admittere tantùm duas moras, ſubdividit 2. in duo inſtantia, in quorum 1. boni perſeverarunt in amore Dei, & alii peccaverunt, & ſic admittit ſemper tria tempora. Nam in 2. illi præmiati ſunt, & iſti puniti. Scotus verò ſecundam ſuam moram ſubdividit in plures alias breviores, in quibus boni diverſos actus virtutum elicuerunt, & mali diverſa peccata commiſerunt, 3. verò moram, quæ eſt ultima viæ, & principa terminii, putat indiviſibilem, in qua boni ævum, ſeu æternitatem conſecuti ſunt felicitatis, & mali damna-

damnationis. Notandum tamen, quòd ſicut Doctor non cenſet, niſi probabiliter, eos creatos eſſe in gratia, ita nec niſi probabiliter aſſerit tres illas moras, ſed inclinat potiùs aſſerere quatuor, ſuppoſita alia probabili ſententia, quòd 1. creati ſint in puris naturalibus, ut in illa 1. mora experirentur, quid poſſent per liberum ſuum arbitrium, & ſic in 2. mora data eſt omnibus gratia, in qua benè operati ſunt, in 3. boni perſeverarunt, & mali peccaverunt, & in 4. illi beatificati ſunt, iſti puniti.

## CONCLUSIO II.

*Qualeſcunque fuerint illæ moræ, certum eſt, tempus illud fuiſſe breviſſimum.* Eſt communis.

Prob. ex Scoto, qui licèt hanc durationem non determinet, ſatis indicat, eam fuiſſe valdè brevem. Nàm lòquens dè 2. mora quærit, *qualis erat iſta mora in ſe? Nunquid inſtantanea, vel indiviſibilis?* Reſpondet, *videtur, quòd non, propter duo, 1. quia mali peccaverunt pluribus peccatis diverſæ ſpeciei, & non habuerunt ſimul omnes actus illos; ergo unum poſt alium, & in tota mora, in qua habuerunt illos, fuerunt in via, 2. quia bonis pro magno merito adſcribitur, quòd vicerunt prælium tentationis,* [1] *Factum eſt prælium magnum in Cœlo, Michael, & Angeli ejus præliabantur cum Dracone, & dicitur quòd Lucifer primus peccavit, & traxit ſecum alios. Hæc autem tentatio, & pugna, & victoria non potuit fieri in inſtanti;* ergo mora demeriti malorum, nec meriti bonorum non fuit indiviſibilis. Sed quanta fuerit, non eſt certum, niſi quòd fuit brevis.

Prob. 2. ex eodem, [2] quia, cùm eſſent maximæ activitatis, non egebant multo tempore ad maxima merita, vel demerita, *In Angelis fuit motus meriti valde intenſus pro iſta morula, qua merebantur, in tantum fortè, quòd nullus homo ſecundum communem legem poſſet habere actum ita intenſum, ſicut ipſi habuerunt.*

Confir. Nam ex Script. colligitur, quòd Lucifer non diù ſtetit. Nam [3] *ille erat homicida ab initio*, ſcilicet creationis, ſeu ex quo creatus eſt, cœpit meditari.

[1] *Apoc.* XI. [2] *Ibid. c.* 14. [3] *Jo.* 8. 44.

ditari mortem Chriſti, vel Adæ. Et, *in veritate non ſtetit*, ſed brevi ab ea cecidit, *qui ſtaret, ſi voluiſſet*, inquit Auguſtinus. [1] Et certè jam damnatus erat, quando Adam tentavit, & occidit morte ſpirituali.

Objic. revelationem beati Amadei, [2] qua dicitur. *Nos Angeli omnes non parvis, & brevibus morulis, ut vos creditis, ſed multis temporibus viatores fuimus*; ergo tempus illud viæ non fuit ita breve.

Reſp. neg. conſ. Nam hæc revelatio apertè contradicit Scripturæ allatæ, & ideò nòn approbatur à Theologis.

Poſset quæri de ſtatu beatitudinis Angelorum; ſed nihil video particulare dicendum de illis, quod non poſset colligi ex dictis de viſione Dei, & ex dicendis de beatitudine ſupernaturali, & ſtatu futuræ vitæ. Ad ulteriora progredimur.

## DISPUTATIO VIII.

### *De peccato, & pœna Angelorum malorum.*

EX dictis de gratia Angelorum multa colligi poſſunt de illorum caſu, ſcilicet quoad tempus, quando acciderit, nempè in 2. mora, vel 3. & quoad gratiam, quam amiſerunt; quandoquidem conſtat, quòd fuerunt aliquando in gratia, & aliquali merito, &c. Pauca ergo reſtant agitanda circa illorum peccatum, & ſtatum miſeriæ, in quem redacti ſunt.

## QUÆSTIO I.

### *An, & quando peccaverint Angeli quidam, an potuerint fieri impeccabiles, an peccare potuerint in 1. inſtanti creationis.*

HÆretici, & Ethnici plura ſomniarunt de malis Angelis. Ariſtoteles dicitur eos non agnoviſſe, *deceptus à Dæmone ſuo familiari, quem deſcendiſſe dicebat ab oculo Veneris*. Idem dixiſſe fertur Michael Balbus Imperator, & Vviclef. Alii Deos faciunt.

Alii

[1] *ge. litt.* 16. [2] *Raptu* 1.

Alii dicunt, eos injuſtè pulſos è Cœlo, & aliquando revocandos, Michaelemque cum ſuis damnandum, & puniendum, ita quidam dicti *Lollardi*, apud Tritemium. Alii corporeos faciunt, & geniture capaces. Corporeos fuiſſe putavit Juſtinus Martyr, & Origenes. Alii putant eos ob peccatum evaſiſſe corporeos, aut penè corporeos, &c.

Nos credimus 1. omnes Angelos ſimul à Deo creatos, & in gratia fuiſſe aliquando, ut diximus, 2. plurimos peccaſſe duce Lucifero, & æternis cruciatibus addictos, ut patet ex Scriptura, & definitum in Concilio Braccarenſi, an. 572. contra Priſcillianum, & ut cenſent communiter Patres, & Theologi, & ſic patet de 1. p. quæſtionis, de qua nihil ampliùs occurrit dicendum, 3. credimus, eos manſiſse incorporeos.

4. Patet etiam, quòd brevi tempore poſt creationem peccarunt, & quando boni in gratia perſeverantes meruerunt gloriam æternam; non autem creatos eſse in peccato, quod impium eſt cogitare. Ne quidem peccarunt in primo inſtanti creationis ſuæ, ut patet. 5. Reſtat quærere, an Deus potuerit creare Angelos, aut aliam creaturam impeccabilem ex natura ſua, & an iſti peccare potuerint in 1. inſtanti ſuæ creationis.

## CONCLUSIO I.

*Angeli non ſolum fuerunt peccabiles, ſed ne quidem potuerunt fieri natura ſua impeccabiles.* Certa eſt de fide quoad 1. p. & communior quoad 2.

Prob. 1. p. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quod non poteſt fieri talis natura, ſive voluntas, quæ ſit impeccabilis per naturam, quia auctoritates Sanctorum ſunt expreſsæ de hoc . . . Teneo igitur propter auctoritates magis, quia Deus non poteſt facere voluntatem rationalem impeccabilem per naturam, ſed per donum ſupernaturale.* Vides, hanc partem niti præcipuè Patrum auctoritate, ex Scoto. Quòd ſi non potuit Deus facere Angelos ex natura ſua impeccabiles; ergo tales non fuerunt Angeli.

Prob. 2. ex Scriptura, quæ docet, eos peccaſse, & de-

[1] 2. *d.* 23. *C.* & *D. n.* 6. & 7.

de fide eſt, Luciferum de facto peccaſſe, & ob id paratum fuiſſe *illi, & Angelis ejus ignem æternum*, ſicut & hominibus peccatoribus.

Prob. 3. ex Patribus, quos Scotus citat: Nam, inquit Auguſtinus, (1) *Angeli peccaverunt, & Dæmones facti ſunt; & cuicunque rationali creaturæ præſtatur, ut peccare non poſſit*. Sed *non eſt hoc naturæ propriæ, ſed gratiæ Dei*. Et ſanct. Anſel. (2) diſcipulo quærenti, *Cur non potuit Deus facere creaturam rationalem impeccabilem per naturam?* reſpondet. *Quia non potuit ipſam facere Deum*; ergo impeccabilitas per naturam eſt propria ſoli Deo; Et Hieron. (3) *Solus Deus eſt, in quem peccatum non cadit, cætera, cùm ſint liberi arbitrii, in utranque partem poſſunt flectere voluntatem ſuam*: ergo impeccabilitas repugnat Angelis ut liberis. Et ſanct. Gregor. (4) *Natura Angelica.....eo ipſo, quo creatura eſt, in ſemetipſa viciſſitudinem mutabilitatis habet*. Et Damaſcenus, *Rationalis* creatura *poteſtate libera eſt, ut creata vero, vertibilis, poteſtatem habens manendi, & proficiendi in bono, & in deterius prolabendi*.

Dices, illos Patres loqui de creaturis exiſtentibus, quales ſunt de facto, non de poſſibilibus, quales fieri poſſent.

Contra. Peccabilitatem inferunt ex ratione creaturæ liberæ; ſed hæc ratio valet tam pro poſſibilibus, quàm exiſtentibus; ergo tam loquuntur de poſſibili, quàm de facto, & ſentiunt repugnare creaturam liberam impeccabilem ex natura ſua.

Prob. 4. ex dictis de ſanctitate Dei, quæ ſic eſt illi propria per naturam, ut nulli creaturæ ita competere poſſit.

Prob. 5. ratione Scoti. Nam omnis voluntas creata, & creabilis poteſt appetere commodum proprium indebitè, & aliter, quàm jubet Deus, quia eſt eſſentialiter libera; ergo & peccabilis ex ſe.

Prob. 6. quia omnis intellectus poſſibilis habet pro obiecto omne ens ut intelligibile; ergo & omnis voluntas habet omne ens ut volibile ſub aliqua ſaltem ratione boni; ergo omnis voluntas creata de ſe poteſt velle.

[1] 3. *con. mar.* 13. [2] *I. cur Deus ho.* 10.
[3] *Ep.* 145. [4] 5. *mor.* 27.

velle bonum commodum, vel delectabile, licet vetitum, & inhoneſtum; ergo & peccare.

Prob. 7. Omnis voluntas, quæ non eſt ſua regula, nec eſt neceſſario conformis ſuæ regulæ, poteſt ei ſe non confomare, & deviare, & ſic peccare; ſed omnis voluntas creata, ut creata, & finita, nec eſt ſua regula, nec neceſſariò conformis ſuæ regulæ; ergo poteſt deviare à rectitudine, & peccare. Prob. min. De ratione creaturæ, ut creatura, eſt dependere à voluntate Dei, ut à ſua regula indiſpenſabili, & ut voluntas rationalis eſt eſſentialiter libera etiam circa bonum infinitum non ſibi præſens intuitivè, ergo omnis voluntas, ut creata, non eſt ſua regula, nec neceſſariò conformis ei, ſed poteſt ab ea deviare, & peccare.

Objic. 1. Impeccabilitas non repugnat creaturæ rationali; ergo Deus tales potuit facere Angelos. Prob. ant. Angeli ſimul cum viſione beata ſunt adhuc creaturæ finitæ; ſed ut tales ſunt impeccabiles, ergo non implicat creatura natura ſua impeccabilis. Prob. conſ. Deus poſſet facere creaturam æquivalentem Angelo cum viſione Dei; ergo ſicut non repugnat Angelum cum viſione eſſe impeccabilem, ita nec creatura ex ſe æquivalens utrique.

Reſp. neg. ant. 1. arg. & conſ. 2. & 3. Nam aliud eſt, quòd in ſenſu compoſito viſionis, & luminis gloriæ, quod eſt donum ſupernaturale, & gratuitum, nec poteſt eſſe connaturale ulli creaturæ, non poſſit peccari, & aliud, quòd poſſibilis ſit creatura una æquivalens utrique, quod etiam dubium eſt. Eſſentia Dei per infinitatem bonitatis, & pulchritudinis ſuæ attrahit invincibiliter Angelum, & animam ſui videntem ad amorem ſui, ſed quia illà Eſſentiæ manifeſtatio ex parte Dei eſt eſſentialiter libera, non poteſt deberi ulli creaturæ; ergo nec impeccabilitas ex illo capite.

Inſt. Voluntas creata Chriſti eſt impeccabilis natura ſua; ergo impeccabilitas non repugnat creaturæ.

Reſp. neg. ant. abſolutè. Ut dicemus ſuo loco, eſt impeccabilis ratione unionis hypoſtaticæ, & intuitionis Dei, non autem ex natura ſua. Nam nec unio, nec viſio beata non ſunt connaturales animæ ejus, ut creatæ, vel humanæ.

Objic.

Objic. 2. Deus poteſt producere creaturam ſenſitivam determinatam ad non appetendum bonum delectabile; ergo & determinatam ad volendum niſi honeſtum; ſed iſta erit impeccabilis; ergo Deus poteſt facere creaturam impeccabilem naturaliter.

Reſp. neg. 1. conſ. Nam appetitus ſenſitivus limitatur per ſenſum externum ad delectabile, non verò appetitus rationalis, voluntas, quæ cùm ſit eſſentialiter libera, non poteſt ſic determinari, ſed remanet libera ad volendum; aut non volendum honeſtum, aut ad volendum contrarium.

Inſt. Voluntas creata de facto eſt determinata ad bonum, ita, ut non poſſit velle niſi bonum, & eſt libera ad bonum particulare; ergo poſſibilis eſt voluntas determinata ad ſolum honeſtum, & libera ad utile, vel delectabile, & tunc erit ex ſe impeccabilis.

Reſp. diſt. an. Limitata quoad ſpecificationem, & contrarietatem, con. quoad exercitium, & contradictionem, neg. ant. Voluntas ſic amat bonum, ut non poſſit illud odiſſe, nec amare malum, ut malum, quæ eſt limitatio quoad ſpecificationem: ſed nullum eſt bonum, quod non poſſit non amare, nec malum, quod non poſſit non odiſse poſitivè, quæ eſt illimitatio contradictionis. Et ſic illa voluntas poſſet peccare ſaltem per omiſſionem puram.

Objic. 3. Deus potuit facere creaturas materiales, quæ non errant in ſuis motibus; ergo & immateriales, quæ non poſſint deviare à recto, & ita ſint impeccabiles. Ant. patet de gravibus, & levibus, & de Cœlo, quod non poteſt aliter moveri. Prob. conſ. Non eſt potior ratio de creatura inferiori, quæ ſit inobliquabilis; quàm de nobiliori, quæ ſit indeviabilis à recto, imò nec quod potuerit facere Angelum incorruptibilem quoad ſubſtantiam, & non quoad voluntatem, & mores; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. & ant. prob. quoad utranque partem. Nam 1. inobliquabilitas in natura materiali venit ab ejus imperfectione, & limitatione, quia ſcilicet caret intellectu, & voluntate, quæ ſunt maximæ perfectiones in natura rationali, & hæc per libertatem, quæ eſt illi eſſentialis, eſt domina ſuorum actuum, & ſic poteſt velle bonum, aut malum, aut

litem non velle bonum debitum. Quantum ad incorruptibilitatem eſt connaturalis cum immaterialitate, ſicut libertas cum voluntate rationali, & ideò peccabilis eſt iſta ex natura ſua.

Reſp. 2. neg. ant. Nulla enim eſt, quæ non poſſit deviare, ſaltem ab extrinſeco. Gravia impelluntur ſurſum, & levia deorſum: & cœlum poſſet detorqueri à motu ſuo.

Inſt. Poſſe peccare non eſt perfectio, nec libertas ex Anſelmo, ſed magna ſervitus; ergo non eſt eſſentialis voluntati creatæ, aut creabili.

Reſp. diſt. ant. Poſſe peccare formaliter, ut peccatum eſt, con. ſpecificativè, & materialiter, neg. ant. Peccatum formaliter dicit carentiam rectitudinis debitæ in actu, quod eſt imperfectio in peccante; ſed non materialiter, nam dicit potentiam producendi actum illum quoad entitatem phyſicam, in qua eſt illa carentia, & quoad hoc materiale, potentia illa non eſt ſervitus, ſed libertas.

## CONCLUSIO II.

A*Ngelus poſſet peccare contra legem naturalem etiam directè*. Videtur contra Thomiſtas.

Prob. 1. ex Scoto [1], qui, ut videbimus, multa eis tribuit peccata, quæ ſunt de lege naturæ, & maximè amor Dei ſuper omnia, contra quem 1. peccavit, ut dicemus cum illo, item quòd mali peccaverunt *multis ſpeciebus peccati, ſcilicet ſuperbia, odio, & invidia*. Nam hæc prohibentur etiam lege naturæ.

Prob. 2. Angelus tam eſt liber circa bonum, & præcepta naturæ, quàm circa bonum, & præcepta legis ſupernaturalis; ergo tam poteſt directe peccare contra illa, quàm iſta. Nam per libertatem tam poteſt odiſſe proximum, aut illum non amare, quando lex naturæ id poſtulat, & præciſa omni lege poſitiva Divina. Et, ex Apoſtolo, cùm gentes, *quæ legem non habent* ſupernaturalem, *naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt*, & tunc non peccant, ita peccant, quando videntes in ſuis actibus, vel objectis honeſtatem naturaliter debitam, tamen non faciunt illud

[1] 2. *d.* 5. *q.* 2. *n.* 15. N.

lud bonum, vel faciunt contrarium, ut quando non ſolum non amant proximum, ſed etiam oderunt, & occidunt. Prob. autem ant. tùm quia ſine ratione limitaretur circa hæc libertas Angeli, tum quia ſi voluntas ejus eſſet omninò determinata circa præcepta naturæ, non poſſet mereri circa illa. Nam mereri, & demeri ſunt contraria; *contrariorum autem eadem eſt ratio*; ſed falſum eſt, quòd Angelus non poſſit mereri circa præcepta naturæ, etiam directè; ergo falſum eſt, quod non poſſit demereri. 1. par. maj. patebit ſolutione objectionum. 2. verò ex dictis de libertate, & ex dicendis de merito.

Confir. Si Angelus eſſet de ſe impeccabilis contra legem naturalem, nunquam poſſet peccare contra illam, ne quidem indirectè. Sed conſ. eſt contra adverſarios; ergo &c. Prob. maj. Nam in tantum poſſet peccare indirectè contra legem naturalem, quatenùs peccaret directè contra ſupernaturalem; ſed hoc dici non poteſt, tum quia ſic melius eſſet Angelo non habere legem ſupernaturalem, quia hæc illi eſſet occaſio ruinæ, tùm quia peccatum contra iſtam non tolleret impeccabilitatem naturalem contra illam; ergo verè Angelus eſt peccabilis cōtra omnem legem ex natura ſua poteſt velle deſtructionem alterius Angeli, vel hominis, velle mentiri, &c.

Objic. 1. Angelus ex natura ſua ab inſtanti creationis ſuæ eſt in actuali, & continuo actu amoris Dei ſuper omnia ut auctoris naturæ. Sed ille amor eſt incompatibilis cum peccato contra ultimum finem naturalem, ſeu contra Deum ut auctorem naturæ; ergo eſt impeccabilis contra legem naturæ directè, & immediatè, & ex ſua natura. Prob. maj. Angelus ex natura ſua, & ab inſtanti ſuæ creationis eſt in actuali intentione ſui finis ultimi; ſed hæc intentio eſt ipſe actualis amor Dei ut auctoris naturæ; ergo &c.

Reſp. negi maj. Nam licèt creatus ſit in ſtatu naturæ rectæ, aut etiam in gratia, & per conſequens in amore actuali Dei, non tamen ſic continuè, quin ab eo potuerit ceſsare, ut de facto ceſsavit per peccatum. Idem dico ad maj. prob. Id enim ita intendebat, ut poſset aliò tendere; quandoquidem liber erat, & poterat peccare in inſtāti illo, ut mox dicemus.

Et præterea aliud eſt, quod intenderet in ultimũ finem per intellectum, cognoſcendo Deum ut auctorem naturæ, aliud per voluntatem amando. Intellectus eſt potentia naturalis, at voluntas eſt libera.

Inſt. Angelus creatus eſt in ſtatu naturæ integræ, & rectæ, & ille ſtatus eſt ei naturaliter debitus; ſed in ſtatu illo naturaliter tendit in ultimum finem, & illa intentio eſt incompatibilis cum peccato; ergo & peccabilitas contra illum finem; ergo & contra legem naturalem.

Reſp. diſt. maj. Naturæ integræ phyſica integritate, con. integritate morali, à qua non poſſet deviare, neg. maj. alioqui enim non eſſet naturaliter libera. Creari ergo debuit Angelus ſecundum totam integritatem ſuam naturalem, & phyſicam perfectionem; ſed quoad mores, ſicut creatus eſt liber, quod facit ad illam integritatem, ita & quoad mores defectibilis, & potuit peccare.

## CONCLUSIO III.

*ANgelus potuit peccare ipſo inſtanti creationis ſuæ; non tamen tunc peccavit.* Eſt contra Thomiſtas, & alios quoad 1. p. quoad 2. verò eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. (1) *Teneo igitur, quòd potuit,* Angelus, *habere potentiam volitivam perfectam, & non limitabatur ad operationem rectam.* Et ideò non minùs erat libera in illo inſtanti, quàm in 2. & aliis; ergo non minùs potuit peccare. Idem patet ex dictis de gratia, & merito illius. Hinc

Prob. 2. ex eodem. Angelus in 1. inſtanti habuit cognitionem boni, & mali, & plenam libertatem ad peccandum, ſicut ad merendum; ergo in illo inſtanti potuit peccare. Prob. ant. Nam adverſarii tenent, quòd tunc ſeſe diſpoſuit, aut diſponere potuit ad 1. gratiam ergo tunc habuit ſufficientem cognitionem ad merendum, aut peccandum. Prob. conſ. Non enim minor libertas requiritur ad bonum, quàm ad malum; ergo ſi habuit ſufficientem ad bonum, ita & ad malum. Prob. ant. Ad bonum requiritur integra cauſa, & malum eſt ex quovis defectu, unde Angelus ipſo inſtanti, quo cognovit Deum, & ſeipſum debuit amare, &

(1) 2. *d.* 5. *q.* 2. *L. n.* 13.

& peccaſſet non amando; ergo ſicut liberè amavit, ita & potuit ſaltem non amare, & peccare per omiſſionem.

Prob. 3. quia non eſt ratio negandi Angelo talem libertatem, ut patebit ex objectionum ſolutione.

Objicies. Si potuiſſent peccata in 1. inſtanti, aliquis eorum peccaſſet; ſed nullus tunc peccavit; ergo &c. Prob. maj. Nam incredibile eſt, quòd in tanta multitudine nullus de facto peccaſſet in illo inſtanti, ſi potuiſſent.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. Quid enim mirum, quòd tam perfectæ creaturæ cum tantis donis naturæ, & gratiæ, quibus ad bonum inclinabantur, ſaltem pro uno, vel altero inſtanti ſteterint? imò mirandum, quomodò non ſemper ſteterint, licet potuerint cadere in illo primo abſolutè.

Objic. 2. Non potuerunt operari pro illo inſtanti, quo creati ſunt, nam prius eſt eſſe, quàm operari; ergo nec tunc potuerunt peccare.

Reſp. neg. ant. & diſt. prob. Prius eſt eſſe prius natura, con. prius tempore, neg. ant. Nam Sol eodem inſtanti temporis, quo exiſtit, lucet. Et id fateantur adverſarii neceſſe eſt, cùm teneant, eos tunc meruiſſe, aut potuiſſe mereri.

Inſt. Quamvis cauſæ naturales agant eodem inſtanti, quo ſunt, non tamen id poſſunt cauſæ liberæ; ergo nec Angeli, qui ſunt maximè liberi. Prob. ant. Cauſæ liberæ agunt cum indifferentia, & ex deliberatione; ſed deliberatio, & indifferentia non ſtant cum determinatione, & actu ipſo, ergo, &c.

Reſpond. neg. ant. & min. prob. vel diſt. Non ſtant ſimul natura, con. ſimul tempore, neg. min. & conſ. Alioqui enim nunquam actus eſſet liber, non quidem in inſtanti præcedenti, quia nondum exiſtit Angelus, nec in 3. quia tunc actus eſt in facto eſſe, & neceſſarius; ergo ſi unquam actus eſſet liber, id eſſet in illo ipſo inſtanti, quo fit, & quo Angelus exiſtit. Præterea idem dici poteſt de bono actu, quem non negant poſſibilem Thomiſtæ in illo 1. inſtanti.

Inſt. 2. Deliberatio non poteſt eſſe inſtantanea, quia requirit conſultationem, & plures cognitiones, ſc. finis, & circumſtantiarum, & mediorum; ſed

An-

Angelus non poteſt habere ſimul tot actus in eodem inſtanti, quia non poteſt plura ſimul cognoſcere; ergo nec poteſt ſimul deliberare, & agere in eodem inſtanti indiviſibili.

Reſp. neg. maj. & diſt. prob. min. Non poteſt ſimul plura non connexa, nec ſubordinata, con. plura ſubordinata, & connexa, neg. ant. & conſ. Objecta enim, circa quæ poterat Angelus benè aut malè agere, ſunt inter ſe unita, & ſubordinata, ut finis, & media, & circumſtantiæ, in quibus poterat peccare.

Objicies 3. Si peccaſſet in 1. illo inſtanti, peccatum imputaretur Deo, nam operatio, quæ exiſtit in re cum ipſamet, non tam tribuitur rei, quàm factori; ſed conſ. eſt impium; ergo &c. Prob. maj. *Quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati* & qui dat formam, dat conſequentia ad illam. Ideò motus gravium, & levium tribuitur cauſæ illorum efficienti, & primus error horologii tribuitur opifici, & ſi Adam in 1. motu claudicaſset, diceretur factus à Deo claudus, &c.

Reſp. neg. maj. & diſt. prob. *Quod eſt cauſa cauſæ* naturalis, & neceſsariò agentis, con. cauſæ liberæ, neg. Nam cauſæ liberæ poſsunt uti forma accepta, vel non uti, alioqui peccata omnia pro quocunque tempore patrata imputarentur Deo, à quo Angelus & homo habent formam activam. Per id patet de motu gravium, errore horologii, & claudicatione. Sunt enim effectus non liberi, & ideò tribuuntur opificibus.

Inſt. 1. Concilium Braccarenſe 1. [1] & SS. Patres docent, Angelos non peccaſse in 1. inſtanti, quia creati ſunt à Deo, qui non eſt auctor mali; ergo cenſent Deum fore auctorem peccati Angelorum, ſi peccaſsent in 1. inſtanti creationis; ergo ſicut iſtud implicat, ita & illud, eos tunc potuiſse peccare.

Reſp. neg. ant. Nec enim Concilia, vel Patres id ſomniarūt, ſed docent tantùm, quòd Diabolus factus erat bonus, antequam evaſerit malus, de poſſibilitatē autem iſta peccandi non loquuntur. Si tunc peccaſſet, diceretur factus fuiſse à Deo bonus, & à ſe ipſo malus. Docent etiam, eum non fuiſse natura ſua malum,

[1] *can.* 7.

malum, ſed ex malitia. *Qui dicunt, Angelos fuiſſe malos à principio, non ſentiunt cum Manichæis, qui ponebant, Deum malum immediatè eſſe cauſam mali*, inquit Auguſt. (1)

Inſt. 2. ex Anſelmo. (2) Angelus non habuit primum velle à ſe, ſed à Deo; ergo ex Patribus, ſi primus actus Angeli poſset eſse malus, illud peccatum eſset à Deo. Prob. ant. *Si haberet 1. velle à ſe, vel hoc eſt volens, aut nolens: ſi volens*; ergo *illud non eſt 1. velle: ſi nolens, idem ſequitur, quia ante illud velle noluit illud; igitur voluit illud non eſſe*. Ita Anſelmus; ergo peccatum, quod eſset in 1. inſtanti, non eſset Angeli, ſed Dei.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam ipſummet primum velle Angeli eſset ipſummet ejus peccatum ſine ullo velle præcedenti, alioqui procederetur in infinitum, inquit Scotus. (3) Habet ergo voluntatem à Deo, & velle habet ab ipſa propria voluntate. Et ſic intelligi debet Anſelmus, qui fortè ſic loquitur, non ex animo, ſed diſcurrendi gratia. Addo, quòd, ſi haberet primum velle ſuum à Deo, iſtud non eſset peccatum, ſed 2. velle, quod ex ſua voluntate eliceret, & iſtud poſset habere pro eodem inſtanti, quo reciperet primum à Deo.

Objic. 4. Peccatum Angeli in illo 1. inſtanti eſset neceſsarium, & ſic eſset, & non eſset peccatum; ſed conſeq. implicat; ergo & ant. Prob. maj. Vel potuit, vel non potuit peccare: ſi potuit, ergo potentia præceſſit peccatum, imò & ipſam Angeli exiſtentiam, quod abſurdum eſt, ſi non potuit, ergo non peccaſset, quia non fuiſset liber.

Reſp. 1. hoc argumentum nimis probare. Nam probaret, Angelum non potuiſse habere actum ullum liberum in illo inſtanti, nec Deum in ſua æternitate. Imò & omnes actus voluntatis eſsent neceſsarii. Certè, ut dicebamus, potentia inſtantis prioris nihil facit pro præſenti.

Reſp. 2. neg. maj. & ad dilemma dico, quòd potuit peccare, & non peccare in inſtanti priori, prioritate naturæ, non temporis; & in illo priori naturæ voluntas concipitur indifferens ad velle, aut non velle benè, aut malè.

Hæc

[1] 11. *civ.* 3. [2] *De caſ. Diab.* 13. [3] *Ibid. B. n.* 5.

Hæc autem argumenta tam faciunt contra illos, qui tenent nobiſcum, eos potuiſſe benè agere, & mereri in illo 1. inſtanti, aut de facto benè egiſſe, & ſeſe diſpoſuiſſe ad 1. gratiam, quàm contra nos, ut jam notavimus.

## QUÆSTIO II.

### *Quondam fuerit primum peccatum Angelorum malorum.*

CONſtat ex variis Scripturæ locis, & Patrum, quòd Angeli multis peccatis ſe inquinarunt. Accuſantur invidiæ, ambitionis, ſuperbiæ, impietatis, blaſphemiæ, homicidii, luxuriæ. Sed in diverſo ſenſu. Nam qui putarunt eos eſſe corporeos, illis imputant luxuriam carnalem; juxta illud, [1] *Videntes filii Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores*, &c. Et in hanc ſententiam citantur Juſtinus Martyr; [2] Clemens Alexandrinus, [3] & Tertullianus, [4] qui putant eos fuiſſe primos amatores fœminarum, & inventores vani cultus earum, & in id citant illud Apoſtoli, quo iſtæ jubentur in templis *velare faciem ſuam propter Angelos, quos dicit cecidiſſe de cœlo propter amorem fœminarum.* Quod ſenſiſſe videtur Ambroſius. [5] dicens, *Angelos propter intemperantiam ſuam in ſæculum decidiſſe de cœlo.* Sed alii hanc luxuriam dicunt ſpiritualem, vel quatenus ad luxuriam carnalem excitant homines, vel quatenus immoderatè ſe ipſos amarunt, & ex nimio illo amore in ſeipſis nimiùm complacuerunt, & delectati ſunt, ut mox videbimus.

Præcipua hæc controverſia eſt de primo, ac principali eorum peccato, cujus ſpeciei fuerit, an ſuperbiæ, an luxuriæ illius ſpiritualis. Nam licèt utrunque in eis agnoſcant omnes, non conveniunt de primitate. Ut verum fatear, lis hæc multum habet de nomine.

Ad intelligendam autem Scoti mentem, ſuppono, quòd *ſuperbia* in genere eſt amor inordinatus propriæ excellentiæ, Et duplex eſt, 1. *propria*, quæ eſt immoderatus



[1] *Gen. 6.* [2] *Apologet.* [3] 5. *Tr.*
[4] *De hab. mul.* [5] 7. *Virginit.*

deratus amor propriæ excellentiæ relatè ad alios, quibus ſuperbus cupit præeſse, & præcellere, nam *ſuperbire* idem eſt, ac *ſuper alios ire*, 2. *impropria*, quæ eſt omnis inordinata complacentia in magna ſui æſtimatione ob aliquas perfectiones, quas in ſe videt, aut videre putat, & amat: ſic nimis ſibi complacentem ſuperbum vocat Auguſtinus.

Rurſus vox *luxuriæ* communiter ſumitur pro delectatione in carnalibus deſideriis; in alia verò ſignificatione laxiori ſignificat quamcumque immoderantiam, & ſuperfluitatem. *Luxuria*, inquit S. Th. (1) cum gloſſa, *eſt quælibet ſuperfluitas*; & ex Cicerone, eſt *immoderata appetitio cujuſcunque rei rectæ rationi non obtemperans*. Et hæc reperitur in nimia complacentia, & delectatione ſpirituali æquè, ac carnali. Unde patet, quam leviter dicat Ariaga, idem eſſe dicere *luxuriam ſpiritualem*, ac ſi diceres, *corpus ſpirituale*, ſc. utrunque indicat æquè chimæricum, & implicans in terminis.

## CONCLUSIO I.

ANgelus primò peccavit ex inordinato amore ſui, qui dici poteſt luxuria ſpiritualis. *Eſt Doctoris cum ſuis, & aliis.*

Prob. 1. ex Scoto (2) qui ponit hunc ordinem in affectibus voluntatis. *Primus actus inordinatus in affectione commodi eſt velle, & primum velle eſt amor amicitiæ, cùm iſtud, cui volo, ſit finis illius, quod volo; & in ordine affectionis commodi prius ſit illud, cui volo commodum, quam illud commodum ... Igitur oportet, quod primus inordinatus amor primi Angeli ſit reſpectu alterius, quam Dei, & non alterius à ſe*, &c. Et alibi concludit; [3] *ergo primus actus inordinatus Angeli, fuit amor amicitiæ reſpectu ſui ipſius.*

Prob. 2. cum eodem ex Patribus. Nam, inquit Auguſtinus [4] *Duo amores fecerunt duas civitates; civitatem Dei amor Dei uſque ad contemptum ſui, & civitatem Diaboli amor ſui uſque ad contemptum Dei.* Et alibi ait, [5] *Cùm cauſa miſeriæ malorum Angelorum quæritur, ea meritò occurrit, quòd ab illo, qui ſum-*

[1] 2.2.q.153.a.1.ad 1.[2] Repor.d.6.q.2.n.5.[3]2.d.6.q.2.c.n.4.[4] 14.civit.12.c.6.[5] 11. gen. lit. 11.

*ſumme eſt, averſi ad ſeipſos converſi ſunt*, &c. per amorem ſui. Et alibi docet, *Angelum peccaſſe amando, non pecuniam, ſed propriam poteſtatem; & proinde perverſus ſui amor privat ſancta ſocietate turgidum ſpiritum*; ergo ex Augſtino Angelus primò peccavit ex amore ſui, quo ſe amavit irreferibiliter ad Deum.

Prob 3. ex eodem Scoto, quia nihil poteſt congruentiùs dici, quàm quòd ſic peccarit; ergo ita dicendum eſt. Prob. ant. Omnis amor eſt vel amicitiæ, vel concupiſcentiæ, amicitia eſt vel ad ſe, vel ad alterum, ſed primus amor non eſt concupiſcentiæ; ergo eſt amicitiæ, quia prius eſt amare ſe, aut alium, quàm velle illi bonum, 2. non eſt amicitia ad alterum, nam ordinariè incipit ab amante ipſo; ergo primus amor inordinatus Luciferi fuit amor ſui.

Dices, fuiſſe amorem propriæ excellentiæ, qui eſt formalis ſuperbia.

Contra. Superbia formalis, & propria non eſt quælibet complacentia, vel amor propriæ excellentiæ abſolutè, & ad ſe, ſed relativè ad alios, quibus præeminere, aut præeſſe volumus; ſed ille amor ſic relativus non eſt primus in ordine actuum voluntatis, ſed naſcitur ex amore ſui; ergo nec ille fuit primus in Angelo. Prob. maj. 1. ex Aug. [1] qui ſuperbiam tribuit appetitui elevationis ſupra cæteros. Eſt enim *perverſus celſitudinis appetitus*, & ſuperbia *proprie imitatur Deum, odit cum ſociis æqualitatem ſub illo, ſed imponere vult aliis dominationem pro illo*. Et hæc eſt perverſa celſitudo. 2. ex S. Th. (2) ipſa ſuperbia naſcitur ex amore ſui. *Eſt inordinatus appetitus excellentiæ, cui debetur honor, & reverentia ... & inordinatus ſui amor eſt cauſa omnis peccati. Unuſquiſque enim appetit bonum ei, quem amat ... & in hoc homo ſe amat, quòd ſui excellentiam vult. Ad idem pertinet; quòd ponatur initium omnis peccati ſuperbia, vel amor proprius*; ergo ex ipſo D. Th. poſt alios Patres, primum peccatum Luciferi dicitur amor ſui, æquè, ac ſuperbia, vel aliud ullum. Notent autem hæc verba Thomiſtæ, qui tam acriter arguunt Scotum docentem, primum illud peccatum fuiſſe philautiam, ſeu



[1] 14. *civ.* 15. [2] 1.2. *q.* 77. *a.* 1.

amorem ſui inordinatum. Addam ex Auguſtino, quòd *in hoc homo ſe amat, quòd ſui excellentiam vult*. ſcil. ex amore ſui naſcitur cupiditas honoris, & ſuperbiæ.

Prob.2.p.1. ex Scoto. [1] *Concupiſcentia, qua concupivit ſibi beatitudinem ultra id, quod debuit non fuit ſuperbia ſpecialis: ſed concupivit hoc, ut delectabile; ergo non fuit formaliter ſuperbia ſpecialis*. Et in alio ſcripto docet,[2] quod *primum peccatum ejus*, (Luciferi) *non fuit ſuperbia propriè dicta, ſed propter delectationem, quam importabat* (ille amor) *magis videtur reduci ad luxuriam .... ſicut peccatum, quo quis inordinatè in ſpeculatione concluſionis geometricæ delectatur, ad luxuriam reducitur*.

Prob. 2. Luxuriæ peccatum dicitur quæcunque delectatio inordinata, quæ, ſi ſit de rebus purè ſpiritualibus, & in ſolo appetitu ſpirituali, dicitur *ſpiritualis*, ſi ſit in appetitu corporali, & circa corporalia, dicitur *corporalis*; ſed primum illud peccatum, & delectatio Luciferi in ſua propria excellentia fuit in ſolo ſpiritu, & de ſpiritualibus; ergo fuit luxuria & quidem *ſpiritualis*. Maj. patet ex prænotatis, min. verò ex 1.p.

Objic. 1. ton. 1.p. plures auctoritates Scripturæ, & Patrum, quas congerunt adverſarii, ut probent, primum illud peccatum fuiſſe ſuperbiam. Nam alii dicunt, illud fuiſſe maximum; alii vocant præſumptionem, quæ eſt ſpecies ſuperbiæ, qua quis ſibi plus arrogat, quàm habeat. *Præſumptuoſi ſunt ſibi nimis placentes*, ait Auguſt.[3] & Chryſoſt. [4] Unus Angelus, qui primus Sathabel dictus eſt, *malignam & nefariam præſumptionem aſſumens. Ponam ſedem meam Aquilonem, & ſimilis ero Altiſſimo, & pro tali præſumptione cecidit irreparabiliter*; ergo peccatum Luciferi fuit ſuperbia.

Reſp. neg. conſeq. Nam 1. ſufficit illis Scripturis, & Patribus, quòd in ejus peccatis ſit vera ſuperbia, de primo autem non diſputant: 2. loquuntur non de principali, ſed de notiori, quod eſt ſuperbia. 3. dicunt etiam illud fuiſſe enormiſſimum, ſed non primum; de quo non cogitabant. 4. quod dicitur de præſumptione

[1] *Report. cit. n.* 13. [2] 2. *d.* 6. *q.* 1. *N. n.* 14.
[3] 14. *de civ.* [4] 17. *hom. de Adam.*

ptione,ſic eam explicat Scotus,[1] *Præſumptio non eſt peccatum intellectus judicantis, ſe eſſe, pluſquam eſt* (eſt error, non peccatum) *ſed voluntatis immoderatè appetentis bonum tantum, quantum non eſt*. Unde ſequitur excæcatio intellectus. Si autem ille amor tendat in prædominationem ſupra alios, pertinet ad ſuperbiam; ſi verò in ſe ſiſtat pertinet ad philautiam. Et hæc non diſtinguunt Patres in illis textibus, imò potius loquuntur de nimia complacentia in ſe, & ſic nobis favent. Ut cùm dicit Auguſt. [2] *initium malæ voluntatis Angelorum fuiſſe nimis ſibi placere*, & inde aſcenderunt ad ambitionem dominandi, ad appetitum æqualitatis cum Deo, &c. Juxta illud [3] *Superbia illorum aſcendit ſemper*.

Gratis dicitur requiri ad ſuperbiam,& præſumptionem talem reſpectum dominandi, ſeu elevationis ſuper alios; ergo nulla reſponſio.

Reſp. n.ant. Niſi enim urgeat ratio in contrarium, nomina ipſa ſuperbiæ, & præſumptionis id ſignificant, ſc. appetitum ſuper alios eundi.

Inſt.2. ex Script.& PP.ſuperbia,ſeu præſumptio dicitur initium omnis peccati: ſed hoc dici non poteſt de illa luxuria ſpirituali, ſeu philautia; ergo hæc non fuit primum peccatum. Prob. maj.[4] *Initium omnis peccati eſt ſuperbia*. Et [5] *In ſuperbia initium ſumpſit omnis perditio*.Et Auguſtinus, [6] *Malæ voluntatis initium, quid potuit eſſe, niſi ſuperbia?* ergo &c.

Reſp.1.diſt. maj. Initium omnis peccati hominum, conc. omnis peccati abſolutè,& ſimpliciter etiam Angelorum,neg.maj.& prob. ejus. Nam in illis textibus nulla fit mentio Angelorum, nec de illis tunc cogitabant Scriptores illi ſacri, nec Auguſtinus, ſed de hominibus, quos erudiebant. Superbia autem hominis inobedientis fuit *initium omnis peccati in mundo*.

Reſp.2.diſt. min. Dici non poteſt de ſuperbia propriè, & formaliter ſumpta, conc. largè, & radicaliter, neg. min. & conſeq. Scriptura autem, & Patres loquuntur ibi de ſuperbia largè, & radicaliter, & ſic convenit philautiæ, quæ eſt 1. radix ſuperbiæ.

Objic.2. Joannes, [7] ut legit S. Bonaventura ait,



[1] *ibid.*[2] 14.*civ.*13.[3] *Pſ.*63.
[4]*Eccl.* 10. [5] *Job.* 9. [6] *ibid.* [7] 1. *Jo.*2.

quidquid eſt culpæ in mundo, *aut eſt concupiſcentia carnis*, &c. & in ſenſu Eccleſiæ ſeptem ſunt ſpecies generales peccatorum, ad quas omnia reducuntur, *ſuperbia*, *avaritia*, *luxuria*, &c. Sed ad nullam harum ſpecierum poteſt reduci peccatum Luciferi, niſi ad ſuperbiam; ergo non poteſt dici, niſi ſuperbia, Prob. min. diſcurrendo per ſingula, 1. non ad concupiſcentiam carnis, vel oculorum, nec avaritiam, vel invidiam, vel luxuriam, quæ eſt carnalis, nec ad gulam, vel iram, vel acediam; ergo ad ſolam ſuperbiam, alioqui diviſio non eſſet adæquata, & ſufficiens, quod nemo dixerit.

Reſp. 1. diſt. maj. Omne peccatum humanum, conc. omne peccatum generaliſſimè tam Angeli, quàm hominis; neg. maj. & conſ. Nam D. Joannes enumerat peccata mundi, *Omne, quod in mundo eſt*, &c. Et idem eſt de aliis 7. capitibus. Imò ne in rigore quidem ſcholaſtico ſufficiens eſt diviſio. Nam multa peccata theologica difficilè ad illa capita reducuntur, ut videbimus ſuo loco.

Reſp.2.neg. min. & ant. prob. Nam ſicut ſub concupiſcentia carnis continetur luxuria carnalis; ita ſub concupiſcentia in genere continetur *ſpiritualis*, quæ eſt inordinatus amor ſui, & *carnalis*, quæ eſt altera ſpecies. Poteſt etiam contineri ſub *concupiſcentia oculorum*, inquit Scotus, [1] *Sicut enim in nobis ad concupiſcentiam oculorum ſpectant immoderati appetitus alicujus pulchri viſibilis; ita & in eis*(Angelis) *ad concupiſcentiam oculorum ſpectare poteſt immoderatus appetitus delectabilis*, etiam ſpiritualis, & intelligibilis.

Objic.3. Ille amor eſſet vel amicitiæ, vel concupiſcentiæ: ſed neutrum dici poteſt, ergo &c. Prob. min. 1. Amor amicitiæ eſt ille, quo quis ſibi complacet in ſe ipſo; ſed talis amor non poteſt eſſe inordinatus, ſaltem præciſo alio motivo præter bonitatem ſuam propriam, ergo non fuit amicitia, 2. non amor concupiſcentiæ. Nam amor concupiſcentiæ inordinatus erga ſe eſt ille, quo quis ſibi appetit bonum indebitum, vel indebitè: ſed hoc dici non poteſt de Lucifero; ergo non peccavit ex amore concupiſcentiæ erga ſe. Prob. min. Nam cùm eſſet perfectiſſimus, & in

[1] 2. *d.* 6. *q.*2.*S.n.*17.

in omni bono optabili, nihil erat in creatis, quod potuerit appetere ſibi indebitè, aut indebitum.

Reſp. neg. min. 1. & 2. argum. & ant, 3. quoad 2. p. Nam complacentia illa poterat vitiari ex nimia intentione, delectando ſe in decore ſuo pluſquàm in Deo, quem ſupra ſe debebat diligere, & ſe *dilexit irreferibiliter in Deum*, ait Doctor. [1] 2. quoad amorem concupiſcentiæ, neg. min. & ant. prob. Nam, ut dicebamus, plura concupivit indebita & alia indebitè, v. g. æqualitatem cum Deo, unionem hypoſtaticam, & prælationes ſuper Meſſiam, & alios &c.

Objic. 4. Certum eſt, Dæmonem peccaſſe ex ſuperbia, id enim aſſerunt Scripturæ, & Patres; ſed non peccavit pluribus peccatis; ergo non peccavit niſi ex ſuperbia. Prob. min. Nam ſi peccaſſet in pluribus, plures eſſent moræ, & inſtantia viæ illius; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c.

Reſp. neg. utranque min. Nam, ut diximus, mora, in qua peccavit, non fuit indiviſibilis, ſed temporanea, & ſic pluribus peccatis ſe potuit maculare, ut mox patebit.

Objic. 5. Primum peccatum Luciferi fuit in aliqua ſpecie determinata; ſed amor ſui non eſt in ſpecie ulla determinata; ergo &c. Nam vagatur per omnes ſpecies; nullum eſt peccatum, quod non ſit aliqua philautia, & amor ſui inordinatus; nihil odimus, vel amamus inordinatè, niſi quia noſmetipſos amamus inordinatè; amor concupiſcentiæ naſcitur ex amore amicitiæ noſtri, aut aliorum.

Reſp. neg. min. & conſ. prob. Nam licèt amor ſui ſit quædam radix generalis peccatorum, & in omnibus reperiatur, non ſequitur, quin ſpecialem ſuam habeat malitiam, duæ conſiſtit præciſè in ſuo obiecto Ideò qui immoderatè ſibi in ſe complacet, nihil ulteriùs cupiendo, vel fugiendo, adhuc peccat peccato philautiæ, ſeu luxuriæ ſpiritualis, ut contigit in Lucifero.

## CONCLUSIO II.

L*ucifer etiam peccavit ex ſuperbia, & ex concupiſcentia, maxime circa beatitudinem, & ex invidia*. Eſt communiſſima maximè quoad 1. p.

Prob.1.ex Scoto [1] *Dico, quod ſuperbia ſibi infuit, & præſum ptio, qua omnis inobediens præſumit, & interpretativè præſumit de Deo*, &c. Et alibi, [2] *Dico, quòd non fuit unicum peccatum tantùm, quia fuerunt multa peccata, ut dictum eſt diſt.* 5. Ibi autem dicit [3] *Probabile eſt etiam, quòd in* 2. *mora, in qua fuerunt difformes* (mali à bonis) *& in via fuerunt multæ morulæ, quia mali peccaverunt multis ſpeciebus peccati, ſcilicet ſuperbia, odio, invidia*, & iſti actus ordinatè, & non in eodem inſtanti fuerunt eliciti. Hìc habes totam concluſionem.

Prob. 1. p. 2. ex Script. & Patribus citatis in obiectionibus contra præcedentem, ut probent adverſarii, primum peccatum Dæmonis fuiſſe ſuperbiam. Nam iſta communiter applicantur Lucifero. [4] *Quomodò cecidiſti .... dixiſti, In Cœlum conſcendam, ſuper aſtra Cœli exaltabo ſolium meum, ſimilis ero Altiſſimo.* Et id ſupponit Paulus [5] vetans eligi *neophytum, ne in ſuperbiam elatus in judicium incidat Diaboli*, qui ob ſuperbiam judicatus eſt. Et ut ſcribit Auguſtinus, [6] citans *veriſſimè dictum, initium omnis peccati ſuperbia, quoniam Diabolum, à quo exiſtit origo peccati ipſa dejecit*, Et Ambroſ. *Ipſe Diabolus per ſuperbiam amiſit naturæ ſuæ gratiam*. Idem communiter docent alii.

Prob. 3. Superbia eſt amor inordinatus propriæ excellentiæ, & præeminentiæ ſuper alios; ſed in peccato Luciferi fuit talis amor, ut patet ex Scriptura citata; ergo & ſuperbia vera.

Prob.2. par. 1. ex iiſdem auctoritatibus. Nam ſibi concupivit, non ſolùm præeminentiam ſuper alios Angelos, & creaturas, ſed etiam ſimilitudinem quandam cum Deo, ut patet ex illis verbis, *Super aſtra cœli exaltabo ſolium meum*, &c. Et appetiit ſibi inordinatè beatitudinem, inquit Scotus, ſcilicet vel ex propriis meritis, vel ſine meritis ex gratia elicitis; ergo etiam peccavit ex concupiſcentia.

Prob.2. ex Doct. Amor concupiſcentiæ eſt de bono, quod non habetur; ſed Lucifer non habebat beatitudinem ſupernaturalem; ergo eam appetiit; ergo ſi appetendo peccavit, maximè circa illam beatitudinem.

min.

[1] *Repor. cit. n.* 13. [2] *Oxon. cit. S. n.* 18. [3] *q.* 2. *M. n.* 15. [4] *Iſa*, 14. [5] *Tim.* 3. [6] *nat. & gra.* 29.

min. patet ex dictis. Nam creatus eſt in ſtatu viæ; ergo tunc non fuit beatus, ſaltem beatitudine ſupernaturali, & conſummata.

Confir. Nam ſi peccavit ex concupiſcentia, id fecit ſequendo impetum immoderatum ſui appetitus non ſervata regula rationis; ſed nullum eſt bonum ex iis, quæ non habebat, quod maiori impetu voluntatis, & inordinatè potuerit appetere, quàm beatitudinem ſupernaturalem: ergo peccavit ſic eam appetendo. Maj. patet. Nam voluntas, quæ non regulatur per affectum juſtitiæ, ſequitur immoderatè commodum, & maximè bonum delectabile.

Prob. min. quia non videtur defuiſſe illi aliud bonum, nec magis appetendum, quam iſtud, nec ad quod appetendum potuerit vehementiùs impelli ad illud irrationabiliter obtinendum, v.g. citiùs, & ante merita ulla, vel ex propriis viribus, & quaſi debitum naturali dignitati, vel ob delectabilitatem potiùs, quàm ob honeſtatem, ſicque dolendo, quòd non citò ſibi conferretur, &c. ergo probabile eſt, quòd ſic peccavit.

Prob. 3. Lucifer habuit ſine dubio actum aliquem voluntatis circa beatitudinem, illam cognovit, & cognoſcere non potuit, quin appeteret; ſed actus ille non fuit honeſtus, nec rectus; ergo fuit inordinatus, & peccatum.

Prob. 3. p1. ex Patribus. Nam, inquit Auguſtinus. [1] *nonnulli dicunt ipſum fuiſſe lapſum à ſupernis ſedibus, quòd inviderit homini facto ad imaginem Dei. Porrò hæc invidentia ſequitur ſuperbiam, non præcedit.* Et Irenæus, [2] *Ex tunc apoſtata eſt Angelus, & inimicus, ex quo zelavit plaſma Dei.* Et Cyprianus, [3] *Ille... poſtquam hominem ad imaginem Dei factum conſpexit, in zelum malevolo livore prorupit.* Et Sanctus Bernard. [4] dicit, quod ſicut potuit præſcire, homines ſibi fore ſocios in gloria, & ſic *in livore ſuo invidit, & molitus eſt habere ſubditos, ſocios dedignatus.* Nec improbabile etiam eſt, quòd non ſolùm inviderit nobis ſocietatem in gloria, ſed & imaginem Dei in natura, & multò magis unionem hypoſtaticam noſtræ humanitatis cum Verbo, quia in hoc non ſolùm æqualem

Y 3 ſibi

[1] 11 *gen. litt.* 13. [2] *L.* 4 *c.* 78.
[3] *L. de zelo.* [4] *Ser.* 17. *cant.*

ſibi videbat hominē ſed etiā ſuperiorē,& privilegiatū.

Objic. 1. con. 2. p. Appetitus beatitudinis eſt naturalis; ergo non poteſt eſſe inordinatus; ergo per eum Lucifer non potuit peccare. Prob. 1. conſ. Quod eſt à natura, eſt à Deo, & rectum.

Reſp. n. 1. & 2. conſ. & diſt. 3. Eſt rectum, prout eſt à Deo, & ſecundum regulam ab eo præſcriptam, con. prout ſubjacet voluntati creatæ, neg. con. Nam ex libertate, & malitia ejus, quod eſt de ſe rectum, poteſt deviari à recto per pravam intentionem, vel exceſſum, aut aliam depravationem, ut cùm fruimur utendis, &c.

Inſt. Ut ſe habet intellectus circa ſpeculabilia, ita & voluntas circa operabilia, ex Philoſopho; [1] ſed intellectus nō poteſt errare circa prima principia ſpeculabilia; ergo nec voluntas circa prima volibilia, qualis eſt beatitudo, ſive ultimus finis.

Reſp. neg. maj. abſolutè. Nec enim intendit Philoſophus ibi aſſerere plenam paritatem. Nam, cùm intellectus ſit potentia purè naturalis, determinatur ab objectis ſibi præſentibus, non autem voluntas à ſuis, ab iſtis quidem trahitur, ſed non neceſſitatur ab eis, ſi ſint finita, quia eſt eſſentialiter libera.

Inſt. 2. Voluntas non eſt libera circa ultimum finem, ſeu beatitudinem, quia non poteſt eam non velle; ergo nulla ſolutio. Prob. ant. ex Anſèl. *Voluntas, quod commodum eſt non velle, nequit*. Et, ut ait ſanctus Auguſtinus [2] *Omnes beati eſſe volumus, nec aliter velle poſſumus*.

Reſp. diſt. ant. Non eſt libera circa ultimum finem materialiter, ita, ut non poſſit eum non velle, con. formaliter, ita, ut non poſſit non velle rationabiliter neg. ant. & probation. ejus. Omnes volunt eſſe beati, & voluntas non poteſt odiſſe bonum, ſed poteſt non velle benè.

Obji. 2. Angeli boni tam ferventer, & impensè, & citò voluerunt beatitudinem, quàm mali; ſed illi non potuerunt peccare ſic volendo; ergo nec iſti. Prob. min. Nam beatitudo non poteſt nimiùm appeti, quia eſt ſummum bonum.

Reſp. diſt. maj. Tam ferventer, & rectè, ſeu ſecundum regulam, con. tam immoderatè, & irregulariter,

[1] 2. *met.* 1. [2] *De concor.* 24. *&* 27.

ter. neg. maj. & conſ. Non enim eſt peccatum in intenſione, & fervore deſiderii præciſè, ſed in modo: Boni appetierunt beatitudinem ardentiſſimè, ſed per media à Deo præſcripta, non verò mali. *Boni utebantur voluntate ſecundum perfectam ejus rationem, quæ eſt libertas, agendo ſecundum regulam ſuperioris voluntatis determinantis*, &c. ait Scotus. [1]

Potuerunt ergo mali peccare illo appetitu, 1. quoad *intenſionem*, volendo eam majori conatu, quàm deceret, & plus appetendo eam, ut ſibi bonam, quàm ut bonam in ſe, vel in Deo, in hoc enim eſt perverſitas voluntatis, quæ *fruitur utendis, & utitur fruendis*, ſeſe præferens Deo, 2. *quoad celerationem*, volendo eam ſibi citiùs dari, quàm deceret, aut quàm Deus vellet, nolebat enim illam dare niſi poſt tempus viæ, ac meriti, 4. *quantum ad cauſam* volendo eam habere ex naturalibus, non autem ex meritis, & gratia, ut Deus eam dare decreverat.

## CONCLUSIO. III.

*ANgelus peccare potuit appetendo æqualilatem aliquam cum Deo, & probabiliter ſic peccavit.* Eſt communior maximè quoad 1. p.

Prob. 1. p. 1. ex Scoto. [2] *Voluntas habet duplicem actum amandi, ſcilicet amorem amicitiæ, & actum concupiſcendi aliquid amato, & ſecundum utrumque habet totum ens pro objecto, ita, quòd, ſicut quodcunque ens poteſt amare amore amicitiæ, ita & quodcunque ens poteſt concupiſcere ipſi amato. Itaque cùm Angelus potuerit ſe amare amore amicitiæ, potuit ſibi concupiſcere omne bonum*; ergo & aliquam cum Deo æqualitatem. Nec obſtat impoſſibilitas. Nam *voluntas poteſt eſſe impoſſibilium*, ex Philoſ. [3] & Damaſc. Præterea dæmones oderunt Deum, juxta illud, (4) *Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper, odiens autem vult odium non eſſe*, ex Philoſ. [5] ſic Dæmones vellent Deum non eſſe; ſed hoc non eſt minùs impoſſibile, quàm æqualitas ulla eorum cum Deo; ergo tam velle poſſunt iſtam.

Confir. Ex Auguſtino [6]. Nam voluntas creata poteſt *uti fruendis, & frui utendis*; ergo & appetere aliquam æqualitatem Dei.



(1) *Ib. d. n.* 12. (2) *Ibid.* (3) *Ethic.* 38.
(4) *Pſ.* 73. (5) 2. *Rhetor.* (6) 83. *qq.* 30.

Prob.2.utraque p. ex Script. ſæpè cit.& Patribus, qui applicant Lucifero verba illa Iſaiæ,[1] *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo.* Nam, inquit Magiſter,[2] *Cælum vocat Dei celſitudinem, cui parificari volebat, & eſt tale, Aſcendam in Cœlum, ideſt, ad æqualitatem Dei.* Et Ezech.28. *Elevatum eſt cor tuum, & dixiſti, Deus ego ſum, & in cathedra Dei ſedi in corde maris.* Et illi exprobratur, cùm Angelus, qui cum eo pugnavit, dicitur *Michael*, id. *quis ut Deus?*

Prob.3.ex Patribus. Nam, inquit Ambroſ.[3] *Sua, quam accepit, potentia, & dignitate ſibi complacuit, ſeque Authoris ſui gloriæ comparavit.* Et [4] *ſic ſe exaltavit, ut velles æquari Altiſſimo.* Et Auguſt. [5] dicit, *Luciferum quodam quaſi tyrannico faſtu gaudere ſubditis magis, quam eſſe ſubditum elegiſſe*, ſcilicet nolebat ſubeſſe Deo. Et Chryſoſt. (6) *Speravit Dei æqualitatem.* Et Nazianz.(7) *Indignum, atque intolerandum dicebat ſe, cùm divinus eſſet, non Deum quoque exiſtimari.* Et Dum *Deus eſſe cupit, terræ caligine totus obrutus eſt*, &c.

Dices, Patres loqui de ſimilitudine virtuali, ſeu æquivalenti, & participationis, non de formali, & æquiparantiæ.

Contra. Patres loquuntur de ſimilitudine, qua poſſet ſe comparare *gloriæ ſui Auctoris*, & qua non *ſubeſſet Deo*, & quòd *ſperavit æqualitatem Dei*, ut *eſſet Deus*, &, ut loquitur Hugo Victor. (8) *Similis eſſe voluit Altiſſimo, non per imitationem, ſed per æqualitatem*; ergo veram aliquam æqualitatem appetiit, ſaltem inefficaciter, ut ait Doctor.

Prob. 2. ex eodem. Nihil vetat, quin potuerit talem aliquam æqualitatem appetere, ut patebit ſolutione objectionum; ergo potuit, imò & appetiit, quandoquidem hoc dicunt Scripturæ, & Patres.

Confir. Nam voluntas fertur in impoſſibilia tam per volitionem, quàm per nolitionem, & odium, ut cùm odit Deum, aut vellet Deum non eſſe; ergo &c.

Objic. 1.Si Lucifer potuiſſet appetere Dei æqualitatem, id feciſſet volitione abſoluta, & efficaci, aut conditionata, & inefficaci; ſed neutrū dici poteſt; ergo &c.

Prob.

(1) *Iſa.*14.(2)2.*d.*20.*H.*(3) *Ep.*33.(4)*Pſ.*118.
(5) 14.*civ.*11.(6)*Or.*17.(7)*Tr.*2.*c.*4(8) *Ibid.n.*8.

Prob. min. Incredibile eſt, Angelum poſſe appetere id, quod judicat impoſſibile; ſed Lucifer, niſi cæcutierit ille, qui erat *plenus ſapientia*, non potuit non videre impoſſibilitatem æqualitatis cum Deo tam abſolutè, quàm conditionatè; ergo neutro modo potuit eam appetere. Major patet. Nam inquit Anſelmus, [1] *quomodo potuit Diabolus velle, quod non potuit judicare volibile, & poſſibile?* Hoc ne quidem conditionatè, quaſi diceret, *Vellem æqualitatem cum Deo, ſi eſſet poſſibilis creaturæ*. Hoc non potuit dicere, vel dicendo non peccaſſet. Nam ſi eſſet poſſibilis, eſſet appetibilis; ergo &c.

Reſp. neg. min. & diſt. maj. prob. Appeteret abſolutè, & efficaciter, con. inefficaciter, & complacenter, neg. maj. & min. Nam cum ipſa cognitione impoſſibilitatis poterat ſibi complacere in ea cogitatione, *Si eſſem Deus, vellem hoc, vel illud*, &c. vel *Si eſſe poſſem æqualis Deo, id facerem*. In tali complacentia voluntatis nulla eſt implicantia, vel cæcitas; ſed cognitio impoſſibilitatis impedit tantùm, ne voluntas id velit abſolutè, directè, aut efficaciter applicando media ad aſſecutionem.

Inſt. Illa conditio nil ponit in objecto, per quod reddatur volibile, ſicut nec poſſibile; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. Per quod reddatur volibile abſolutè, & efficaciter, con. inefficaciter, & ſimplici complacentia, neg. ant. & conſ. Nam illud eſſe intentionale æqualitatis ſufficit ad movendam voluntatem, ut ita illam velit, non quidem executivè, & efficaciter, ſed ſimplici complacentia.

Inſt. 2. Illa complacentia, & volitio ſuppoſita conditione non eſſet peccatum, ſed potiùs honeſta, eſſet enim de objecto apprehenſo ut bono; ergo Lucifer non potuit peccare per illam.

Reſp. neg. ant. & rationem ejus. Eſt enim complacentia de re injurioſa Deo; continet volitionem, ſaltem inefficacem, dejectionis Dei, ſine qua illa æqualitas non eſt poſſibilis. Continet etiam virtualiter diſplicentiam, quòd Deus non fecerit eum æqualem ſibi, &c. Denique ſaltem eſt otioſa.

Objic. 2. Nemo deſiderat rem prorſus impoſſibilem cognitam; ſed Lucifer non poterat ignorare im-

[1] *De caſu Diabol.* 1

impoſſibilem eſſe illam æqualitatem cum Deo; ergo nec eam deſiderare. Prob. min. Habebat enim perfectiſſimam ſcientiam, & ea impoſſibilitas eſt naturaliter demonſtrabilis, ſicut & unitas Dei per nos; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. Nemo deſiderat efficaciter, con. inefficaciter, & complacenter, neg. maj. Nam quotidie experimur in nobis talia deſideria.

Inſt. ut deſiderium ſit peccatum, debet eſſe plenè deliberatum; ſed illud deſiderium Luciferi non potuit eſſe plenè deliberatum, etiam dato, quòd illud habere potuerit; ergo per illud non peccavit, nec potuit peccare. Prob. min. Nemo enim deliberatè cupit impoſſibile cognitum.

Reſp. neg. maj. Nam ad peccatum ſufficit complacentia in tali cogitatione, & deſiderio cum advertentia ad ejus deordinationem.

Objic. 3. con. fundamentum Scoti. Æqualitas Dei in creatura non eſt ens, nam repugnat eam eſſe; ergo non eſt objectum volitionis.

Reſp. diſt. ant. & prob. ejus. Non eſt ens reale actuale, con. non eſt ens objectivum, & per eſſe intentionale, neg. ant. & conſ. Nam ſicut poteſt concipi ab intellectu, in quo habet eſſe intentionale, ita & amari, vel odiri à voluntate, ſaltem inefficaciter, & conditionatè propter bonitatem præfixam.

Objic. 4. Ut Lucifer appeteret æqualitatem Dei, debebat illam apprehendere ut bonam ſibi; ſed non potuit eam apprehendere ut bonam ſibi; ergo nec deſiderare. Prob. min. Non potuit apprehendere rem ut ſibi bonam, quam non potuit videre compoſſibilem cum ſui eſſe, alioqui appeteret ſui deſtructionem; ſed implicat, rem ſibi credi bonam, quæ eſt incompoſſibilis cum ſui eſſe; ſeu quæ infert ſui deſtructionem, & talis eſt æqualitas Dei in creatura; ergo &c. Prob. min. Implicat enim, eſſe Luciferum & creaturam, & eſſe æqualem Deo; ergo æqualitas Dei infert non eſſe Luciferi, & appetitus æqualitatis infert appetitum ſui non eſſe.

Reſp. 1. neg. utranque min. Nam ſicut potuit appetere illam æqualitatem conditionatè, ſi eſſet poſſibilis, ita & ſi eſſet compoſſibilis cum ſui eſſe, ſeu cum natura ſua, vel potuit præſcindere ab hac compoſſibilitate,

tate, quæ non attingitur niſi reflexè.

Reſp. 2. neg. maj. Nec enim repugnat, quin homo vellet commutare ſuum eſſe, & naturam ſuam cum Angelo, & ſic Lucifer potuit dolere, ſe eſſe creaturam in ſubſtantia, & non Deum. Sic peccatores volentes aliquid contra Dei voluntatem, & præcepta, vellent quoad hoc non ſubeſſe Deo; ſi autem ceſſarent ſubeſſe Deo, ceſſarent eſſe, quod ſunt. Uno verbo, quid implicat, aliquem velle non eſſe id, quod eſt, ut eſſet quid melius?

Potuit ergo Angelus concipere divinitatem cum ſumma ejus poteſtate, dominio, ſapientia, majeſtate, &c. Et propriam ſuam ab ea dependentiam, ac finitatem, & hanc ſuam conditionem ægrè ferre; & illas prærogativas deitatis appetere, ſaltem ſi eſſent poſſibiles, ſibi diſplicendo in ſua dependentia ad Deum, quem voluiſſet aut dejicere, aut æquare.

Dixi, *probabiliter*, eum de facto ſic peccaſſe. Nam licèt Scotus contentus fuerit aſſerere poſſibilitatem talis peccati, nihil reſolvens de facto, tamen textus Scripturæ, & Patrum valde probabile reddunt, quòd ſic peccavit.

## CONCLUSIO IV.

P*Robabile eſt Luciferum peccaſſe appetendo inordinatè unionem hypoſtaticam*. Eſt ſatis communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] quatenus docet, eum peccaſſe ex invidia in hominem. Nullum eſt enim bonum majus in homine, quod potuerit illi invidere, quàm illud; & ideò potuit dolere, hominem in hoc ſibi præferri à Deo. Invidia enim naſcitur ex amore rei, quam nollet eſſe in alio; ergo potuit eam unionem ambire ut ſibi debitam potiùs, quam homini, & ſic peccavit.

Prob. 2. ex multis Patribus, qui putant, Luciferum hanc homini gratiam invidiſſe, & ideò ab initio prævisionis tantæ gratiæ Chriſto necem deſideraſſe, ideò dicitur, [2] *quòd ille erat homicida ab initio*. Et fortè ex deſiderio talis honoris dicebat apud Ezechielē. [3] *Super aſtra Cœli exaltabo ſolium meum*. Et ſe jactabat in *Cathedra Dei ſediſſe*, vel ſeſſurum. Quod videtur ſuppo-

[1] *d.5.q.2.n.15.N.* [2] *Iſa.* 13. [3] *Ezech.* 28.

ſupponere D. Bernardus, [1] dicens, *Qomodo audet quis pervadere locum Unigeniti tui? præcipitetur*, &c.

Prob. 3. quia probabile eſt, incarnationem, & Chriſtum fuiſſe Angelis ab initio revelatum ut adorandum, juxta illud Apoſtoli, *Cùm iterum introduxit Primogenitum in orbem terræ, dicit, Et adorent eum omnes Angeli ejus*, & Lucifer potuit nolle ei ſubeſſe, & illum honorem illi invidere, & ut ſibi debitum optaſſe; ergo tam potuit hinc occaſionem ſumere peccandi, quàm aliunde, & cùm multiplex fuerit ejus malitia, quòd etiam ſic peccavit.

Objic. 1. Lucifer peccavit ante prævisionem Chriſti futuri; ergo non peccavit ex invidia, vel appetitu unionis hypoſtaticæ. Prob. ant. quia hæc fuit decreta ex prævisione peccati Adæ, & peccatum Luciferi præceſſit; ergo &c.

Reſp. neg. utrumque ant. Nam, ut dicemus ſuo tempore, Chriſtus eſt primus prædeſtinatorum, & prædeſtinatus eſt ante prævisum peccatum Adæ quoad ſubſtantiam unionis hypoſtaticæ, & ut talis potuit revelari Angelis, & proponi adorandus, quòd dedignatus eſt Lucifer.

Objic. 2. Si appetiiſſet unionem hypoſtaticam, optaſſet deſtructionem proprii ſuppoſiti; ſed conſ. eſt abſurdum; ergo &c.

Reſp. neg. min. Quid enim doleat Chriſti humanitas de amiſſione propriæ ſubſiſtentiæ, cujus loco ſubſiſtit per divinam Verbi perſonalitatem?

Objic. 3. Lucifer non cognovit incarnationem, ut poſſibilem, neque ut futuram, ergo nec appetere potuit, vel invidere nobis. Ant. patet ex ſententià communi de cognoſcibilitate illius myſterii.

Reſp. neg. ant. Nam, ut patet ex verbis Apoſtoli, & ex aliis motivis, valdè probabile eſt, hoc fuiſſe illis revelatum.

Inſt. Si ſic appetiit, adhuc non peccavit, tale enim beneficium unionis cum Verbo eſt valde appetibile; ergo malè recenſetur ille appetitus inter peccata Luciferi.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam id appetiit ex ſuperbia, invidia, & præſumptione, & aliis motivis.

[1] *Ser. 69. cant.*

dvis, & circumſtantiis inordinatis.
Colligis ergo Dæmones peccaſſe, 1. ex philautia, & amore ſui inordinato amicitiæ, 2. ſuperbia, 3. ex amore concupiſcentiæ, 4. inobedientiæ, 5. odii Dei, ac hominum, 6. invidiæ, & præſumptionis, qua concupiverunt inordinatè beatitudinem, unionem hypoſtaticam, independentiam à Deo, & dominationem in alias creaturas, &c.

## QUÆSTIO III.

*Quis fuerit Lucifer, & alii Dæmones ante peccatum, an ille fuerit aliis occaſio peccandi.*

PLura hic ſunt breviter videnda, 1. quis, & qualis fuerit ille Lucifer. 2. cujus ordinis, & Hierarchiæ, 3. an alios traxerit ad peccandum, 4. cujus ordinis iſti fuerint, 5. quanta fuerit eorum multitudo, &c. Quia ſunt res facti, incertiora, & faciliora, paucis expediemus.

## CONCLUSIO I.

*LUcifer fuit primus, & præcipuus inter Angelos, & primus peccavit, & cæteris fuit occaſio, vel cauſa ruinæ.* Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Nam, *Factum eſt prælium magnum in Cœlo, & Michael fecit victoriam .... & certum eſt, quòd peccatum mali Angeli non tentavit bonum Angelum, antequam fiebat, quia non fuit præſcius futurorum. Igitur fuit peccatum elicitum, antequam bonus meruerit in reſiſtendo tentationi, & tunc Michael habuit victoriam;* ergo ſupponit, quòd Lucifer tentavit bonos, & malos, & prior peccavit, & mali ſuccubuerunt tentationi, boni verò reſtiterunt, & reſiſtendo meruerunt.

Prob. 2. quoad 1. p. ex Euangelio dicente [2] ignem æternum *paratum Diabolo, & Angelis, ejus*. Nam inde colligitur, Diabolum fuiſſe caput eorum, qui lapſi ſunt, qui propterea dicuntur *Angeli ejus*, id. ſequaces, & adhærentes. Et Job [3] vocat eum *principium viarum Domini*, ſc. in dignitate. Unde in textu

[1] *Repor.* 2. *d.* 4. *n.* 14. [2] *Matth.* 25. [3] *Job.* 40.

tu Græco, pro *principium legitur archi*, quòd ſignificat principatum, & licèt ad litteram loquatur de *Behemot*, ſcilicet ingenti beſtia, tamen SS. Patres id intelligunt de Lucifero. Item Ezechiel [1] dicit, quòd *in medio lapidum ignitorum ambulavit*, id. Seraphinorum, qui ab ardore charitatis ſolidæ dicuntur *lapides igniti*. Eidem aptantur verba illa ejuſdem Prophetæ, [2] *Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiſo Dei, abietes non adæquarunt ſummitatem ejus*, ergo &c.

Prob. 3. quia unus ex inferioribus non ambiiſſet primò thronum Dei, nec principatum ſuper alios, niſi ex naturalibus perfectionibus, aut donis gratuitis ſe vidiſſet aliis præeminentem, & hæc præeminentia in donis naturæ, & gratiæ fuit ei occaſio inordinati amoris ſui, ac ſuperbiæ.

Prob. 2. p. contra Guillelmum Pariſienſem. 1. ex Script. Nam ſub nomine draconis dicitur de Lucifero, [3] quòd *ejus cauda trahebat tertiam partem ſtellarum*. Et in Euangelio dicitur [4] *Pater mendacii*, ſeu peccati, quo deviatur à prima veritate. Et, ut dicebat Job, [5] *Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*. Et Nazianz. [6] *Sceleris dux fuit, & magiſter*. Et, ut dicebamus ex Euangelio, alii dicuntur *Angeli ejus*, id. aſſeclæ. Denique ita cenſent communiter SS. Patres, & Theologi.

Objic. 1. con. 1. p. Apud Ezechielem Lucifer dicitur *Cherubin*; ſed Cherubini non ſunt de primo ordine, ſed de 2. ergo nec Lucifer.

Reſp. diſt. maj. Dicitur Cherubin propter ſcientiam, con. propter ordinem dignitatis, neg. maj. & conſ. Propheta loquitur ibi de Lucifero, ut nunc eſt poſt amiſſam charitatem, qua ardebat inter Seraphinos, & propter eminentiam ſcientiæ naturalis, quæ in eo manſit.

Objic. 2. Damaſcenus docet, Luciferum præeſſe Poteſtatibus terreſtribus; ergo non erat Princeps inter ſupremos Angelos.

Reſp. neg. conſ. Nam hoc dicere potuit Damaſcenus de præſenti ſtatu, in quo præeſt inferis, non de ſtatu gratiæ, in quo præerat cæleſtibus.

Objic. con. 2. p. Omnes ſpontè, & eodem tempore

[1] *Ezech.* 28. [2] *Ibid.* 31. [3] *Apoc.* 12.
[4] *Jo.* 8. [5] *Job.* 41. [6] *Carm.* 6.

te peccarunt cum Lucifero; ergo hic ad peccatum eos non induxit.

Reſp. neg. conſ. Non enim dicimus, quòd eos coegerit peccare, ideòque liberrimè omnes peccarunt, ſed tantùm, quòd malo ſuo exemplo, & fortè ſuaſionibus illos induxerit ad peccatum.

## CONCLUSIO II.

*Probabile eſt, quòd non ſolum exemplo, ſed etiam ſuaſionibus Lucifer alios traxit ad peccatum, & quòd iſti non fuerint omnes ejuſdem ordinis, ſed ex pluribus, vel fortè ex omnibus* Eſt communior.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui ſentit cum illis, qui cenſent, plures eſſe Angelos in ſingulis ſpeciebus, alioqui *oporteret ponere, quòd tota ſpecies multorum Angelorum ſit damnata, & ſic tota ſpecies fruſtraretur à fine, quod videtur impoſſibile, & contra Auguſtinum dicentem, quòd, quia tota natura humana cecidit, ideò placuit alteram ſaltem partem reparare, ſed quia non tota natura Angelica, ſed pars cecidit, eam non reparavit*; ergo ex Scoto, non tantùm totus unus ordo, vel Hierarchia non cecidit, ſed ne quidem tota una ſpecies Angelorum; ergo probabilius eſt, quòd ex pluribus, aut ſingulis ſpeciebus aliqui ceciderunt. Et pro prima parte docet, quòd *fiebat prælium magnum in Cœlo, & Michael fecit victoriam*, & addit, [2] *Certum eſt, quòd peccatum mali Angeli non tentavit bonum Angelum, antequam fiebat*, ſed peccavit, *antequàm bonus Angelus mereretur reſiſtendo*; ergo ſupponit tentationem, & ſolicitationem activam ex parte malorum, cui reſtiterunt boni, mali verò ſuccubuerunt.

Prob. 2. 1 p. ex Script. quæ [3] dicit, *Draconem cauda traxiſſe 3. partem ſtellarum*. Nam vox *trahere* plus ſignificat, quàm ſimplicem occaſionem exempli; ſignificat ad minus ſuaſionem aliquam trahentis. Idem colligitur ex alio textu, ubi Diabolus dicitur *pater peccati*. Nam illa *paternitas* importat aliquam efficientiam, ſaltem moralem, per conſilium, aut ſuaſionem. Item cùm ſequaces dicuntur *Angeli ejus*, ſignificatur aliqua Luciferi in alios præſidentia, & auctoritas,

[1] *Repor. 2. d. 3. q. 2. n. 6.* [2] *Ibid. d. 4. n. 14.* [3] *Apoc. 12.*

ritas, qua illos ad ſui ſequelam induxit, ut cùm dicitur, *Michael, & Angeli ejus*, quia ipſo hortante, & præliante contra Draconem illi ſteterunt. Idem poteſt deduci ex illo loco Ezechielis. [1] qui loquens de Lucifero, dicit eum *in multitudine negotiationis repletum iniquitate*. Nam *negotiatio* indicat colloquia & ſolicitudinem inducendi alios in ſuam ſententiam. Denique hoc ita docent plurimi SS. Patres, quorum auctoritas multùm valet in re facti, quæ non revelatur clarè in Scriptura.

Prob. 2.p.1. Nam Apoſtolus [2] agnoſcit inter Dæmones ex pluribus ordinibus aliquos, v. gr. ex ordine Principatuum, & Poteſtatum, vocans *eos Principes, & Poteſtates tenebrarum*. Et alibi vocantur Angeli. Et ipſe Lucifer [3] dicitur *Cherubim*. 1. quia longè plures videntur cecidiſſe, quàm ſint in uno ſolo ordine; & dicitur, Draconem traxiſſe tertiam partem ſtellarum. Nam unicus ordo non facit tertiam partem Angelorum. 3. quod hoc mihi certius reddit, Scriptura, & Eccleſia, & Patres inter bonos Angelos memorant aliquos ex ſingulis ordinibus; ergo non putant, totum unum ordinem cecidiſſe.

Confir. ex ſancto Bonaventura [4] poſt Ugonem Victor. *De quolibet ordine aliqui cecidere*; & (ex omnibus, qui ceciderunt) unum *ordinem contrarium fecerunt*. Quod fortè dicere voluit Leo VIII. vel IX. cit. in Decreto. [5] Et Salonius Viennenſis, cùm dicit, *non ex novem ordinibus, ſed ex decimo cecidiſſe, & homines ſubintrare*. Scilicet ex Apoſtatis faciunt unum ordinem, qui dicitur decimus ab aliis diſtinctus, licèt ex illis veniens.

Dixi autem, *probabile*. Nam fides nihil hìc determinat.

Objic. 1.con.1.p. Lucifer non potuit inducere alios ad peccandum exemplo, vel ſuaſionibus, niſi priùs tempore peccavit, quàm alii; ergo nec induxit eos ad peccandum. Maj. patet. Nam hæc fieri non potuerunt uno inſtanti indiviſibili, ſed morulas aliquot durationis ſucceſſivæ exigunt. Prob. min. Nam eodem inſtanti, quo Lucifer peccavit, ſpoliatus eſt donis, & gratiis ſupernaturalibus, & ab aliis bonis ſepara-

[1] *Ezech.* 28. [2] *Epheſ.* 6. [3] *Ezech.* 28.
[4] *d.* 6. *q.* 2. [5] *Conſecr. d.* 1. *c. hi duo.*

paratus eſt, & in inſtanti immediatè ſequenti damnatus, & Cœlo pulſus eſt; ergo tunc non potuit alios ſeducere, imò iſti ex horrore deformitatis ejus, & damnationis firmari debuiſſent in bono, & averti à malo, &, ſi ſtetiſſent uſque ad illud inſtans, fuiſſent cum aliis beatificati; ergo Lucifer non peccavit priùs tempore, quàm alii.

Reſp. 1, neg. maj. ſaltem quoad exempla. Non enim repugnat, quin eodem inſtanti, quo peccavit, ſuum peccatum aliis oſtenderit, qui eo ipſo inſtanti temporis peccare potuerunt, licèt poſteriùs natura.

Reſp. 2. neg. min. & ant. prob. Nam, ut diximus, mora illa 2. in qua peccavit Lucifer, non fuit ita indiviſibilis, nec adeò brevis, quin potuerit ſuum peccatum aliis revelare cum motivis ejus, quibus ſuaſi peccaverunt, ſicut & ipſe potuit pœnitere, imò & alii potuerunt pœnitere. Quantum ad deformitatem ex privatione gratiarum, dici poteſt 1. quòd, dum aliis proponebat motiva peccandi, nondum plenè conſenſerat, ſed deliberabat peccare, 2. quòd Deus poterat non permittere, ut adverterent ad illas deformitates.

Inſt. Si omnes peccaſſent in eodem inſtanti temporis, Lucifer non diceretur potiùs alios induxiſſe ad peccatum, quàm ipſe ab eis inductus; ergo vel falſum eſt, quòd alios induxerit, vel quòd priùs peccaverit.

Reſp. neg. ant. Nam ad cauſalitatem illam ſufficit prioritas naturæ in peccato Luciferi, ſicut Sol non præexiſtit illuminativè. Potuit ergo peccatum Luciferi eodem inſtanti temporis proponi aliis, & ab eis approbari.

Objic. 2. Non poteſt dici, quibus motivis potuerit Lucifer alios inducere; ergo nec quòd de facto induxerit eos. Prob. ant. Non potuit eos tentare, niſi proponendo aliquod bonum majus; ſed nihil potuit proponere melius, quàm quod Deus proponebat, ſi ſtarent; ergo, &c. Min. patet inductione omnium, quæ poſſumus imaginari.

Reſp. neg. ant. 1. argum. & min. 2. & conſ. 3. Nam potuit eis proponere idem motivum, quo ipſe peccavit, quodcunque illud fuerit.

Inſt. Si ex iiſdem motivis peccaſſent, non eſſet ratio,

tio, cur ille priùs peccaſſet, quàm alii; ſed conſ. eſt contra nos; ergo, &c. Prob. maj. Non enim eſt probabile, quòd nullis aliis ex tanta multitudine non venerit æquè primò in mentem amor propriæ excellentiæ, vel ſuperbiendi cogitatio, ac ipſi Lucifero; ergo tam primò potuiſſent peccare.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. Nam cùm Lucifer notabiliter præemineret aliis, facilius fuit ei ſuperbire & ſibi nimiùm complacere, &c.

Objic. 3. Si alii peccaſſent ſuaſu Luciferi, tam debuiſſent redimi, quàm homines, nam ex ſanctis Patribus præcipua ratio redemptionis hominum eſt, quia iſtos ad peccatum induxit Diabolus; ſed conſ. eſt falſum; ergo, &c.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. Nam homines, ut infirmiores, faciliùs ſubjacebant deceptioni Serpentis, quàm Angeli, qui propterea majori ex malitia peccarunt, & minùs excuſabiles ſunt.

Reſp. 2. n. eandem maj. & rationem ejus. Nam Patres afferunt quidem eam congruitatem redimendi hominem præ Angelo, ſed ſunt aliæ rationes majoris ponderis, quæ non favent Angelis, ut videbimus alibi.

Objic. con. 2. p. decretum cit. Leonis VIII. vel IX. quo vult, non tantùm Angelos malos fuiſſe ex decimo ordine, ſed etiam negat eos fuiſſe ex aliis novem; ergo non ex ſingulis, ſed ex uno toto ordine fuerunt peccatores.

Reſp. neg. conſ. Nam explicatio ſupradicta illius decreti non placet aliis Theologis. Dici poteſt, Leonem ſic locutum ex propria mente, ut Doctorem particularem, non verò ex mente Spiritus Sancti voluiſſe id ab Eccleſia credi contra communem ſenſum Patrum, & Theologorum, qui putant, aliquos ex ſingulis ordinibus cecidiſſe. Gloſſa autem dicit ad illa verba, *Nomen decimi*, ordinis, *non habemus, & dicitur decimus, non quòd decimus cecidit, ſed tot, qui ſufficiebant ad decimum unum ordinem faciendum.*

CON-

## CONCLUSIO III.

*Quamvis incertus ſit numerus Angelorum peccatorum, & magna valde ſit eorum multitudo, tamen probabilius eſt, longè plures ſtetiſſe, quàm qui ceciderunt.* Eſt communis.

Prob. 1. p. tum quia certum eſt, plures cecidiſſe, nam ignis dicitur [1] *paratus Diabolo, & Angelis ejus*, & in uno homine legitur [2] fuiſſe integra legio Dæmonum, & ſine dubio longè plures remanſerant in inferno; ergo ingens eſt Dæmonum multitudo, licèt neſciatur numerus.

Prob. 2. p. etiam ex Script. cit. qua dicitur, Draconem traxiſſe ſecum 3. partem ſtellarum; ergo duæ aliæ partes ſteterunt in gratia perſeverantes. In his non ita certis non immoramur.

## QUÆSTIO IV.

*An Angeli peccatores potuerint pœnitere, an eorum voluntas ſit de ſe irrevertibilis, & immobiliter volens malum ita, ut non poſſit velle ullum bonum.*

Certum eſt omnium conſenſu, quòd de facto nullus Angelorum peccantium reſipuit, nec reſipiet, ſed omnes damnationem æternam incurrerunt, [3] *vinculis æternis ſub caligine reſervari*. Et, ut docet Auguſtinus [4] *placuit univerſitatis conditori, ut multitudo Angelorum, quæ perierat, in æterna damnatione remaneret*. Et D. Petrus [5] dicit, quòd *Deus Angelis peccantibus non pepercit*. Unde reſtat quærendum, an ſuppoſito, quòd poſt commiſſum peccatum habuerint tempus ad pœnitendum ante damnationem, per quam poſiti ſunt in termino, & extra ſtatum pœnitendi, potuerint pœnitere ad ſalutem.

2. Certum eſt etiam, quòd poſt damnationem ſunt in termino, & extra ſtatum viæ, ſeu meriti, aut demeriti, & ſicut boni adepti ſunt vitam æternam, à qua non poſſunt excidere, ita & mali detruſi ſunt in ignem æternum, ex quo non poſſunt emergere, ut deſi-

[1] *Matth.* 25. [2] *Mar.* 5. *Luc.* 5. [3] *Jud.* 1.
[4] *Enchir.* 2. [5] 9. *Pet.* 2.

definitum eſt in V. & VII. Syn,& cap. *firmiter* contra Origenem, & Hæreticos, qui, ut diximus aliàs, putarunt, quòd *Dæmones redire, ac reſtitui poſſunt ad ſtatum beatitudinis*, inquit Origen. [1] &, *Opinor unanquanque rationalem naturam poſſe ab uno in alium ordinem* ( beatorum, aut damnatorum ) *tranſire*. Quod tamen ſe non dicere aſſertivè præmonuit. Et hoc patet ex Scriptura, ubi dicitur *ignis æternus, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus*; & [2] quòd *vermis eorum non morietur*, & quòd cruciabantur [3] *die, ac nocte in ſæcula ſæculorum*. Et id communiter docent ſancti Patres, & Theologi, tanquam de fide credendum.

Quærimus ergo hìc, unde proveniat illa impœnitentia Angelorum peccantium, an ex parte Dei indurantis voluntates eorum in malo poſitivè per aliquem actum, vel habitum, quem in illis producat, vel negativè, negando eis auxilia efficacia gratiæ ſupernaturalis, per quæ poſſint pœnitere, vel denique ex natura voluntatis eorum, quæ de ſe talis ſit, ut ab actu ſemel deliberatè elicito non poſſint divelli, ut volunt Thomiſtæ. Quæri etiam ſolet, an ita depravata ſit eorum voluntas, ut nullum bonum velle poſſint.

## CONCLUSIO I.

*Impœnitentia Dæmonum non venit nec poſitivè à Deo, nec ab intrinſeca voluntatis eorum inflexibilitate.* Eſt communiſſima quoad 1. p. contra Nominales, & communis quoad 2. contra Thomiſtas,qui volunt voluntatem Angeli immutabilem. De quo vide ſuprà.

Prob. 1. ex Scoto, [4] qui ad quæſtionem, *Si obſtinatio voluntatis malæ in Dæmone ſit à Deo, vel ab ipſa mala voluntate*, reſpondet, *De iſto, quamvis videatur Auguſtinus*, [5] *dicere. . . . quòd Deus ordinavit averſionem voluntatis in malum ſemper manere, & obſtinatio ſit ſignificatum voluntatis malæ, tamen quia actus dum manet, habet quaſi continuò cauſam, quia*

[1] *Marc.* 23.
[2] *Iſa.ult.* [3] *Apoc.*20.
[4] 2. *d.* 3. *N.* 20.
[5] *De fid. ad pe.* 5.

*quia ejus eſſe eſt in malum, prima electione ſui, ita nec in eſſe ſuo continuato, quod eſt continuè elici. Ergo ſola voluntas erit cauſa; à Deo tamen eſt illa pœna ignis, quod eſt malum puniens*. Vides rationem validam Scoti, cur Deus non ſit cauſa obſtinationis Dæmonum in peccato.

Prob. 2. ex Patribus. Nam Auguſt. cit. à Scoto, [1] ſeu Fulgentius dicit, Angelum beatum eſſe immutabilem in bono, non ex natura voluntatis, ſed *hoc ei gratiæ divinæ largitate collatum eſt*. Et rationem affert, quia, *ſi Angeli naturaliter incommutabiles fierent, nunquam de eorum conſortio Diabolus, & ejus Angeli cecidiſſent*. Et aliam addit rationem, quia, *ſi humana voluntas mutabilis eſt à malo in bonum, multò magis Angelica. Si poſſibile eſſet, ut humana natura, poſtquam à Deo averſa bonitatem perdidit voluntatis, ex ſeipſa rurſus eam habere potuiſſet, multò poſſibilius natura hoc haberet Angelica, quæ quantò minus gravatur terreni corporis pondere, tantò magis hac eſſet prædita facultate*.

Prob. 2. quoad 1. p. quia in tantum illa obſtinatio eſſet poſitivè à Deo, quia in eis produceret actum, vel habitum determinantem voluntatem eorum in malo; ſed neutrum dici poteſt; ergo nec illud. Prob. min. 1. non actum, quia cum actus odii Dei, verbi gratia, ſit ex objecto, & eſſentialiter malus, non poteſt cauſari directè à ſolo Deo, alioqui eſſet auctor peccati, & abſurdum eſſet cogitare, Deum ſe ſolo poſitivè producere poſſe talem actum, imò nec poſitivè illum conſervare in voluntate contra ejus inclinationem, & libertatem naturalem, & maximè, quia productio totalis talis actus in voluntate merè paſſivè ſe habente eſt quidem poſſibilis, ſed miraculoſa; ergo, &c. 2. nec quoad habitum, quia ille habitus concurrens, ut cauſa partialis ad actum odii Dei cum voluntate non poſſet immutare vim ejus agendi liberè. Nam inquit Doctor, cauſa partialis, & minùs principalis, qualis eſſet ille habitus, non deſtruit, nec mutat modum naturalem agendi concauſæ principalis, qualis eſt voluntas; ſed hic modus naturalis agendi voluntatis creatæ eſt agere libere,



[1] *Ibid.* 3.

berè, & mutabiliter, ut ſuppono ex dictis de voluntate Angeli; ergo neque per infuſionem habitus Deus poteſt cauſare poſitivè immobilitatem Angeli in malo.

Prob. 2. de inflexibilitate intrinſeca. Nam 1. voluntas Luciferi libera erat ad primum actum malum, & de facto mutari potuit de bono, aut ſaltem de non malo in malum; ergo à fortiori de ſe mutabilis eſt de malo in bonum. Dico *à fortiori*. Nam ex ipſo ſancto Thoma naturalius eſt voluntati creatæ moveri in bonum, quàm in malum, & inde colligit numerum bonorum Angelorum, qui non peccarunt, fuiſſe majorem, quàm malorum. Et de facto ſæpe mutarunt volitionem, ut patet de Diabolo, qui aliquando immiſit in cor Judæ, ut traderet Chriſtum, & ſic voluit mortem ejus, & paulò poſt ſuſcitavit uxorem Pilati, ut averteret illum ab inferenda ei morte, (1) *Nihil tibi, & juſto illi*, &c.

Confir. ex Auguſtino [2] & aliis. Nam ille docet, datum eſſe bonis, ne caderent, & hoc per abundantiam gratiæ, & charitatis; ergo cadere poterant. Idem docet ſanct. Gregor. [3] & ſanct. Iſidor. de ſummo bono dicit, Angelos eſſe mutabiles ſecundum naturam, *ſed non ſinit mutari eos contemplatio divina*. Et Damaſcenus [4] dicit eos natura ſua non eſſe facilè mobiles in malum, ſed nec omninò immutabiles, tamen eà conditione ſunt, ut nulla ratione moveri poſſint; quod non eorum naturæ (loquitur de bonis) ſed gratiæ firmitati tribuendum eſt. Ergo Patres cenſent, Angelorum voluntatem eſse de ſe mutabilem tum à bono in malum, tum à malo in bonum.

Dices, Angelos mutari quidem potuiſse à bono, quod non amarunt plena deliberatione, qualis fuit amor Dei in primo inſtanti creationis ſuæ, non autem ab eo, quod amarunt plena deliberatione, qualis eſt ille, quo in 2. mora meruerunt beatitudinem; & ita eſt de peccato, quod eodem tempore commiſerunt mali, ſcilicet plena deliberatione.

Contra 1. quia ille primus amor fuit meritorius;

[1] *Jo.* 13. [2] *Cor. & gra.* 10. & 25.
[3] *mor.* 4.
[4] 1. *fid.* 1.

rius; ergo ex plena, & ſufficienti deliberatione, ut in eo immobiles permanerent boni.

Contra 2. Ideò non fuiſſet ex plena, & ſufficienti deliberatione, quia fuiſſet ſine advertentia ad omnes circumſtantias, quæ in eo poterant attendi, ſed idem defectus fuit in peccato Dæmonum ex Thomiſtis, & tamen ille defectus deliberationis non impedit eorum immobilitatem in peccato illo; ergo immobilitas non venit ex non plena deliberatione.

Dices 2. eam indeliberationẽ venire ex parte Dei, à quo in primo illo inſtanti moventur, & applicantur actui bono, quem eliciunt, in 2. autem inſtanti ſe ipſos determinarunt.

Contra. Nam falsò ſupponitur, Angelos in 1. illo inſtanti non plenè agnoviſſe Deum, & objecta, circa quæ potuerant benè, aut malè agere, alioqui nec verè meruiſſent boni, nec demeruiſſent mali.

Denique gratis omninò ſupponitur voluntatem immobiliter velle id, quod ſemel elegit ex plena deliberatione. Nam ſic argumentor ex Doctore.

Prob. 2. Si ex pleniori deliberatione veniret immobilitas voluntatis in actu ſemel electo, maximè ob immobilitatem potentiæ cognitivæ, quæ perfectè, & ſine diſcurſu cognoſcit objectum, quod eligit, & cui neceſſariò conformatur voluntas; ſed hæc ratio nulla eſt; ergo nec illa immobilitas. Maj. admittitur ab adverſariis, eſtque illorum præcipuum fundamentum. Prob. min. 1. quia voluntas poteſt diſcordare à dictamine intellectus, alioqui non eſſet libera in ſuis actibus magis, quàm intellectus, ut ſuppono ex Philoſophia, 2. quia cognitio, cum qua benè operati ſunt in 1. inſtanti ſuæ creationis, eadem perſeveraverit in 2. in quo peccarunt; ergo rectitudo, & immobilitas cognitionis non impedit mobilitatem voluntatis. Alias rationes vide apud Scotum.

Objic. 1. con. 2. ex Sanctis Patribus, qui communiter docent, Angelos poſt peccatum *non poſſe reſumere bonam voluntatem*, inquit Fulgentius. [1] Idem docet Anſelmus, & S. Laurentius Juſtinianus: [2] *Poſt electionem ſive in bono, ſive in malo immutabilem habet firmitatem. Ad quod enim ſe vertit*, in-



[1] *De caſu Diabol.* [2] *De S. Michael.*

*inflexibilis eſt*. Et Sanctus Bernardus dicit, eos eſſe irrevocabiles, & lapſu irremediabili corruiſſe. Et S. Damaſcen. *eos pœnitentiæ incapaces*. Et ideò fruſtra Deus dediſſet eis tempus pœnitendi, quod conceditur hominibus; ergo obſtinatio Dæmonis venit ab intrinſeca voluntatis ejus inflexibilitate.

Reſp. neg. conſeq. Nam Patres non loquuntur de Angelis pro ſtatu viæ, & ſecundam naturam voluntatis eorum, ſed pro ſtatu termini, & damnationis, in quo ſunt de facto, & in illo quidem ſunt incapaces pœnitentiæ, ſed non ex natura voluntatis eorum, ut nos hic loquimur. Hoc diſpoſuit Deus ratione ſtatus, in quem ceciderunt. Nam, inquit Fulgentius, *De Angelis hoc diſpoſuit, ut ſi quis eorum voluntatis bonitatem perderet, nunquam eam divino munere repararet*. Vides, non ex ejus natura irreparabilitatem venire, ſed ex diſpoſitione Dei, qui gratias, & munera ei ad reſipiſcentiam requiſita negat. Ratio autem, cur homini detur tempus reſipiſcentiæ, non autem Angelo, ſaltem adeò longum, eſt, quia homo, cùm ſit tardioris ingenii; ideò longiori tempore indiget ad deliberandum, & propter conjunctionem ſpiritus, & materiæ facilioris eſt vertibilitatis ſive in bonum, ſive in malum.

Objic. 2. Sicut motus proportionatur ſuo motori, ita & voluntas potentiæ cognitivæ: ſed potentia cognitiva Angeli eſt immobilis; ergo & voluntas ejus. Maj. patet. Nam in ſenſitivis potentia appetitiva conformatur apprehenſivæ. Prob. min. quia Angelus ſine diſcurſu, & ſimplici, ac immutabili actu repræſentat objecta, ſicut intellectus noſter circa prima principia: ſed intellectus noſter circa prima principia immobiliter ſe habet; ergo & Angelicus.

Reſp. 1. diſt. maj. Proportionatur, ita ut nihil velit, aut fugiat, niſi ſecundum aliquam bonitatem, aut malitiam ſibi propoſitam ab intellectu, conc. ita ut ſemper, & neceſſariò conformetur dictamini intellectus, neg. maj. & conſeq. 3. Nam, ut diximus in Philoſophia, voluntas eſt quidem potentia cæca, nec amat, aut fugit ullum objectum, niſi ſub aliqua ratione bonitatis, aut malitiæ propoſitæ ab intellectu, ſed ut regina, ſæpe contemnit

judi-

judicia ejus, & in hoc ſita eſt libertas. Unde ſicut Angelus in primo inſtanti ſequebatur judicium intellectus benè agendo, & amando Deum, ut ſibi ab intellectu dictabatur, ita in ſecundo inſtanti poterat, & ſicut in iſto ſecundo inſtanti potuit non conformari illi recto dictamini, ita & in tertio poterat à peccato, & deviatione regredi ad primam rectitudinem.

Reſp. 2. neg. min. Et certe patet ex dictis de intellectu Angeli, quod eſt diſcurſivus, & multa de facto poſſunt cognoſcere per diſcurſum. Et ipſi Adverſarii hoc fateantur neceſſe eſt, qui peccatum Angeli fatentur fuiſſe ex aliquo pravo judicio, & aliquali inconſideratione. Sed quidquid ſit de hoc, certum eſt, quòd voluntas non cogitur ſe ſe conformare dictamini intellectus in prima electione magis, quàm in 2. loquendo abſolutè.

Fateor, Angelos, quia perfectioris, & magis fixæ ſunt intellectionis, quàm homines, ita & firmiùs adhærere ſemel electæ volitioni, & parti, ſicut & hominibus prudentioribus accidit, ſed hoc non impedit, quin abſolutè poſſint mutare volitiones, ſicut de facto mutant. Et eò magis id verum eſſe debet de Angelis, qui quò perſpicaciores erant, eò faciliùs poterant advertere ad errorem judicii ſui, & meliùs judicare, uno verbo, redire ad veram lucem, & ſic pœnitere ſecluſa cæcitate, quæ ex peccato ſequuta eſt.

Inſt. Sapientis eſt non mutare conſilium: ſed Angeli ſunt ſapientiſſimi; ergo non mutant conſilium.

Reſp. diſt. maj. In iis, quæ ſapienter eligit, aut decernit, conc. ſi inſipienter eligit, neg. maj. Imò ſapientis eſt mutare conſilium malum in bonum, ſapientes ut ſapientes non mutant, quod bene decernunt, & rariùs mutant, quia rariùs peccant, imò ut ſapientes non peccant.

Inſt. 2. Superbi ſunt pertinaces in ſua ſententia, & non flectuntur, ſed Dæmones ſunt ſuperbiſſimi; ergo & inflexibiles.

Reſp. hoc argumentum non probare intentum, ſed potiùs contrarium. Nam Dæmones non ſunt ſuperbi ex natura ſua, ergo neque ex natura ſua ſunt ob-

obſtinati, & inflexibiles. Unde in forma diſt. maj. Sunt pertinaces ex vitio, conc. ex natura ſua, neg. maj. & conſeq.

Objic. 3. Quò perfectior eſt voluntas, eò perfectiùs vult, & adhæret volitis, ſed voluntas Angeli eſt perfectiſſima; ergo perfectiſſimè, & efficaciſſimè, & immobiliter vult, quæcunque vult.

Reſp. neg. maj. abſolutè. Imò quò perfectior eſt, eò magis eſt libera, & magiſtra ſui actus, ita ut pro libitu moderetur actum ſuum. Deinde hoc faceret, ut retorqueri poſſit in Adverſarios. Nam debuiſſet eorum voluntas longè fortiùs, & immobilius permanere in 1. actu charitatis, quem eliciebant in inſtanti creationis, tum quia objectum erat rationabilius, & movebat fortiùs, & ad bonum magis inclinabatur.

Cætera ſolventur facilè ex dictis de voluntate Angelorum.

Igitur Dæmones, quantum eſt de ſe, capaces ſunt pœnitentiæ, & ideò cauſa obſtinationis eorum in peccato aliunde petenda eſt, quàm ab intrinſeca eorum natura, quaſi verò ex natura ſua ſint invertibiles ab objecto, quod ſemel elegerunt. Sit propterea

## CONCLUSIO II.

*Cauſa præciſa impœnitentiæ Dæmonum eſt à Deo, quatenus ratione ſtatus eorum, non dabit eis auxilia gratiæ, ſine quibus non poſſunt ſalubriter pœnitere.* Eſt communior, nec diſſentiunt Thomiſtæ, niſi quatenus volunt hanc etiam obdurationem venire ab intrinſeca eorum inflexibilitate, quam negamus.

Prob. 1. ex Scoto. *Erit impoſſibile Angelo benè velle, vel gratiam habere, quia impoſſibile eſt, Deum ſibi gratiam dare, & hoc non de potentia abſoluta, ſed de potentia ordinaria, quæ eſt illa, quæ conformis eſt in agendo regulis prædeterminatis à divina ſapientia, vel magis à divina voluntate quantùm ad naturam rationalem beneficandam, aut puniendam ſunt regulæ juſtitiæ ordinatæ*, &c. Igitur Scotus totam cauſam impęnitentię Dęmonũ tribuit defectui gratię, ſine

ſine qua pœnitere utiliter non poſſunt, quam gratiam Deus eis de potentia ordinaria dare non poteſt ratione ſtatus termini, in quo ſunt. Nam legem ipſe ſtatuit, ſecundum quam extra ſtatum viæ, qui eſt ſtatus, & tempus datum creaturis rationalibus ad merendum, vel demerendum, non poteſt dare illis novas gratias, ſine quibus non poſſunt reſurgere à peccatis nec operari bonum ullum ſufficiens ad ſalutem. Lex illa colligitur ex illo Oraculo Sapientis, [1] *Ubicunque ceciderit lignum, ibi erit*. Et Iſaiæ, *Ignis eorum non extinguetur*, &c. Ex talibus regulis Scripturæ concludit Auguſtinus, [2] quòd certum eſt, Deum nunquam daturum eis gratiam. Secundum ergo hoc impoſſibile eſt eis benè velle, quia impoſſibile eſt Deo de potentia ordinaria eis gratiam dare. Unde ſequitur, quòd non eſt aliqua cauſa permanentiæ eorum in malo, niſi derelictio divina, quia diſpoſuit eis non dare gratiam, cùm ſint in termino, quomodò non diſpoſuit de viatoribus malis, ſcilicet dat eis gratias, quibus pœnitere poſſint.

Confirm. ex Patribus. Nam, ut docet ſanctus Iſidorus, [3] Diabolus *ideò non petit veniam, quia non compungitur ad pœnitentiam*.

Prob. 2. ex eodem, quia eadem eſt cauſa obſtinationis Dœmonum, & hominum damnatorum; ſed obſtinatio hominum damnatorum non venit ex naturali eorum inflexibilitate, ſed ex derelictione divina, qua decrevit non dare gratias extra ſtatum viæ: ergo ita eſt de Dæmonibus. Certè gratiæ auxiliatrices non dantur, niſi ut media ad conſequendam ſalutem; ergo nec dantur extra ſtatum viæ. Dœmones autem, ſicut & homines damnati, ſunt in termino.

Prob. 2. quia non poteſt aſſignari certior ratio talis impœnitentiæ præter defectum illum gratiæ, ex quo ſequitur voluntatis permanentia in malo. Nam ex dictis patet, quòd voluntas eorum non eſt de ſe incapax pœnitentiæ, & certum eſt, quòd Deus decrevit ab æterno poſt tempus viæ conceſſum Angelis, & hominibus ad benè agendum, & ſe diſponendum ad gloriam, non dimittere illis peccata, in quibus perſeve-

Z 4 ra-

[1] *Eccl.* 11. [2] 21. *Civ.* 13.
[3] *De ſum. bo.* 2.

rarunt uſque ad illud inſtans, & per conſequens deſerere eos ſine ullo auxilio ad pœnitendum; nec ipſi conantur ex parte ſua elicere actus ullos bonos, quos norunt ſibi inutiles.

Objic. 1. Si ex hac derelictione veniret obſtinatio damnatorum, idem diceretur de viatoribus, qui moriuntur in peccato; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c. Prob. maj. Morientes in peccato derelinquuntur etiam à Deo, qui non dat eis gratias; ergo eodem modo dicerentur obſtinati.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. vel illud ſic diſt. Derelinquuntur ſine gratia efficaci, con. ſine gratia ſufficienti, neg. ant. & conſ. Nam hæc gratia nemini deeſt in hac vita, ut dicemus ſuo loco.

Inſt. Ergo ſaltem tota obſtinatio in malo eſſet à Deo; ſed hoc videtur impium dictu; ergo & illud.

Reſp. neg. maj. Nam eſt etiam ab ipſo damnato, ſcilicet demeritoriè, quia per ſuum finale peccatum demeretur damnationem, ad quam ſequitur illa derelictio, & ſic obſtinatio eſt à Deo negativè, & conſequenter, & à damnato ipſo poſitivè, & demeritoriè, & cauſaliter, quia, ut docet Auguſtinus, *Deus neminem deſerit, niſi priùs ab eo deſeratur*. Unde inquit ſanctus Fulgentius, *Permanente in eis injuſtæ averſionis malo permanet etiam juſtæ retributionis æternæ damnatio, & ita ex quo ruinæ ſuæ merito è Cœlo ejecti ſunt, bonam voluntatem reſumere non poſſunt*.

## CONCLUSIO III.

*DÆmones, & damnati nullum bonum opus meritorium efficere poſſunt, poſſent tamen efficere bonum morale, phyſicè loquendo, non autem moraliter, nec unquam id faciunt.*

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui triplicem diſtinguit bonitatem, 1. *ex genere, ſeu ex objecto, quando volitio tranſit ſuper objectum conveniens tali actui ſecundum dictamen rectæ rationis; 2. eſt bonitas virtuoſa, ſeu ex circumſtantia, cum volitio elicitur à voluntate cum omnibus circumſtantiis dictatis à recta ratione, debere competere in eliciendo ipſam ....& illud eſt quaſi bonum* in

[1] *Ibid.* E. *n.* 11.

*In ſpecie moris.* 3. *eſt bonitas meritoria, ſeu gratioſa, & quæ convenit actui ex hoc, quod præſuppoſita duplici bonitate prædicta, ipſa elicitur conformiter principio merendi, quod eſt gratia, vel charitas, ſive ſecundum inclinationem charitatis*, ut dare eleemoſynam ex charitate, qua fit amicus Dei. Iſtæ bonitates ſic ordinantur, ut 1. ſupponatur 2. & 2. tertiæ, & non è converſo. Huic triplici bonitati opponitur triplex malitia, 1. ex genere, ut odium Dei, 2. ex aliqua circumſtantia deordinante actum, ut eleemoſyna ex vanagloria. 3. eſt malitia in demerito. His prænotatis, Dico, inquit, quòd *non eſt dubium, quin Angelus malus habere poſſet, & habeat multas volitiones tranſeuntes ſuper objectum conveniens tali actui, puta amando ſe, odiendo pœnam, & ſic de aliis multis*; ergo velle poteſt aliquod bonum ex genere. At bonum opus meritorium habere non poteſt, quia licèt habeat potentiam, ſcilicet voluntatem, quæ de ſe eſt receptiva actus meritorii, imò & partialis activa; tamen non poteſt mereri quia non poteſt de ſe acquirere aliud comprincipium, ſc. gratiam, nec ad eam ſe diſponere, nec Deus hanc illi dare poteſt de lege ordinaria, & ideò repugnat illi de potentia ordinaria mereri.

Prob. 2. eadem 1. p. ex Scriptura. Nam in inferno [1] *nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*. Status damnationis eſt *nox, in qua nemo poteſt operari*. Et cum legimus de Diabolo, quod *ab initio peccat*, ideſt, inquit Gloſſa, [2] *ab initio ſui peccati nihil aliud facit, niſi peccare*; ergo tantùm abeſt, ut poſſit opus ullum meritorium facere. Item non eſſet verum, quòd *in inferno nulla eſt redemptio*.

Confir. ex Patribus. Nam, inquit Auguſtinus, [3] *Ita damnato, atque obdurato Angelo malo, ut jam bonam voluntatem ulteriùs non haberet*. Et ſanct. Fulgent. (4) *Ut Angeli mali nec mala poſſint unquam voluntate carere, nec pœna*. Et Gregor. *Omnis voluntas Diaboli injuſta*. Et Bernardus [5] dicit, quòd *ad volendum, & nolendum, ſicut non niſi perversè, ita non niſi miſerè movetur*.

Prob. 3. ratione Scoti citat. Nam ad meritum acquiritur gratia ſupernaturalis tam actualis, &

Z 5 eſſi-

[1] *Job.* 10. & 9. [2] *Ib.* 3. [3] 14. *civ.* 27.
[4] *de fid.* 3. [5] 5. *conſid.*

efficax, quàm ſanctificâs, ſeu habitualis; ſed de lege ordinaria Deus neutram dare poteſt damnatis; ergo nec potentiam ſic benè, & meritoriè agendi. Maj. ſupponitur ex tract. de merito. Min. patet ex dictis.

Probatur 2. p. de potentia Phyſica, 1. ex Scoto, quia Dæmones habent naturalia integra, ex Dionyſio; ergo in eis eſt naturalis inclinatio ad bonum; ergo ſecundum illam inclinationem poſſunt aliquid conformiter velle; ſcilicet conformiter ad illam inclinationem ad bonum honeſtum, Prob. conſ. Nam potentia, ut in natura ſua merè conſideratur, poteſt aliquem actum elicere conſonum ſuæ inclinationi; ſed non eſt contrarium ſuæ inclinationi naturali, quòd habeant aliquem actum non malum, ſed potiùs bonnm; ergo &c.

Probatur 2. quia habent vermen, ſeu remorſum de peccato, qui eſt aliqua diſplicentia; ſed hæc diſplicentia non eſt mala moraliter, ſaltem ex objecto, & niſi accidat circumſtantia mala; ergo habent aliquos actus non malos moraliter, & quoad circumſtantias malas, non neceſſitantur ad eas apponendas, quia voluntas eorum eſt libera, ſaltem libertate contradictionis. Idem probat de nolitione pœnæ, quæ nolitio de ſe non eſt moraliter mala.

Prob. 3. Non enim neceſſitantur ad velle malũ, quia liberi ſunt, nam patet ex Philoſophia, voluntatem humanam cogi non poſſe ad ullos actus poſitivos in ſe eliciendos; ergo voluntas Angeli poſſet phyſicè abſtinere ab omni actu malo poſitivo.

Probatur 3. p. Nam propter malitiam ſuam difficillimum eſt eis velle aliquod bonum, quin illud inficiant per aliquam circumſtantiam malam. Unde concludit Doctor, quòd *mirum videtur negare potentiam naturalem in natura illa excellente, ubi non apparet aliquid, propter quod ſit neganda.* (Ecce pro 2. p.) *probabile eſt tamen, quod ſecundum hanc potentiam* (volendi aliquod bonum morale) *non exeat in actum propter vehementem malitiam, ſecundum quam magis probabile eſt, quòd agunt, quam ſecundum poteſtatem naturalem, ſecundum quam poſſent in actus aliquo modo oppoſitos.* Et hoc maximè probant auctoritates allatæ ex Scriptura, & Patri-

tribus. Loquuntur de facto, non de poſſibili.

Igitur ſumma averſio illorum à Deo, & inclinatio in malum, & quaſi immerſio in malitia, ſic determinat eos, ut moraliter ſit impoſſibile, ut velint ullum bonum rectè circumſtantionatum; quamvis non careant potentia phyſica ad bonum aliquod morale in ordine naturæ.

Objic. 1. contr. p. 2. loca Scripturæ, & Patrum adducta pro 1. p. Nam loquuntur abſolutè de omni bono, & de quacunque potentia; ergo Dæmones ſunt omninò incapaces boni ullius operis moralis.

Reſp. neg. ant. nempè Scripturam, & Patres loqui de quacunque potentia etiam naturali, & de quocunque bono. Loquuntur enim de potentia morali, & de facto, & de bono opere, quo diſponuntur ad gratiam, vel gloriam, ut ſunt opera ex gratia ſupernaturali actuali, vel habituali. Et id non negamus.

Obiic. contr. 3. p. 1. ex Scriptura, *Dæmones credunt, & contremiſcunt*; ergo habent actus bonos fidei, & timoris.

Reſp. cum Doctore, neg. conſ. Nam licèt illi actus materialiter, & ex genere, ſeu ex objecto ſint boni, tamen ex circumſtantiis vitiantur, quia conjuncti ſunt cum odio Dei, quem ægrè credunt, & vident punientem, & ſerviliter metuunt.

Objic. 2. Fruſtra remaneret in eis potentia ad bonum, ſi nunquam exiret in actum; ſed per nos, remanet in eis potentia ad bonum, & in eis remanet imago Dei, quæ inclinat ad bonum; ergo aliquando volunt bonum.

Reſp. diſt. maj. Niſi aliunde impediatur actus, & in agentibus naturalibus, con. ſi aliunde impediatur, & ſint agentia libera, neg. maj. Dæmones impediuntur ab actibus bonis per malitiam ſuam, & ſunt agentes liberi, qui nolunt benè agere.

Inſt. Re vera habent actus pœnitentiæ, pœnitet eos peccatorum ſuorum. [1] *Pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes*. Et dives Epulo rogabat moneri fratres ſuos, ut pœniterent, & vitarent peccata, ob quæ ipſe damnabatur; ergo habent actus moraliter bonos. Nam pœnitentia eſt virtus moralis.

Reſp. neg. ant. Nec enim illi actus ſunt veræ pœnitentiæ dolores, ſed ex puro amore ſui oriuntur, &

[1] *Sap.* 1.

conjunguntur cum odio juſtitiæ punientis, oderunt pœnas, non autem peccata ſua. Et idem eſt de divite damnato, qui non ex charitate, vel juſtitia id poſtulabat pro fratribus, ſed ex amore ſui, ne ſcilicet puniretur propter illos, quos ſic perverterat malo ſuo exemplo, & ſi nollent converti, punirentur propter propria peccata, quæ ſibi non imputarentur, ſed illorum propriæ perverſitati.

Objic. 3. Non erant ſemper intellectu circa ultimum finem, neque voluntas eorum ſemper ab ultimo deviat, ſed aliquando in illum tendit; ſed tunc non peccant, imò benè volunt; ergo aliquando benè volunt.

Prob. 1. conſ. Nam ſicut ſe habet intellectus in ſpeculabilibus, ita & voluntas in agibilibus, ſeu finis in moralibus; ergo ſicut intellectus non errat circa finem, ita nec voluntas deviat ab eo.

Reſp. neg. 1. conſ. alioqui non poſſent unquam peccare, quia nunquam poſitivè errarunt circa ultimum finem. Et diſt. ant. prob. Sicut intellectus ſe habet in ſpeculabilibus quoad cōcluſiones inferendas ex principiis, & aſſentitur concluſioni propter principia, & præmiſſas, ſic voluntas vult media propter finem, con. neceſſariò principia ſicut intellectus videt prima, ita voluntas finem amat neceſſariò, neg. ant. Nec enim is eſt ſenſus talis axiomatis, alioqui eſſet falſiſſimum, quia cognitio, & judicium intellectus non determinat voluntatem.

Objic. 4. Si non vellent unquam bonum ullum, ſemper peccarent, & in infinitum augerent reatum, & pœnam; ſed conſequens eſt falſum; ergo &c. Min. patet. Nam ſic non eſſent in termino malitiæ, nec penæ.

Reſp. neg. maj. Nam malitia eorum non poteſt ire ultra ſummum, & terminum, licèt in eo perſeveret, ſicut juſtitia Beatorum non excedit terminum ſuum, licèt in æternum perſeveret.

Conſtat igitur Demonum malitiam non impedire, ne potentiam Phyſicam ſemper habeant benè agendi, etiam poſt damnationem, quæ eſt potentia partialis, & remota reſpectu actus ſupernaturalis, & meritorii, & totalis, atque proximior reſpectu actus boni moraliter, & naturalis, ſed propter vehemen-

mentiam malitiæ, & immerſionem in malo moraliter impoſſibile eſt eis velle, & operari aliquid boni moraliter, & in omnibus circumſtantiis requiſitis ad bonitatem moralem.

# DISPUTATIO IX.

## *De pœna Dæmonum.*

PAuciſſima hìc dicenda ſunt de Angelis, & Dæmonibus, quæ de hominibus aliis damnatis dici non poſſint, quippe omnibus communes ſunt penæ, & hæc ſolent tractari à Theologis in tractatu ſpeciali de quatuor noviſſimis. Nequid tamen deſit huic, aliqua breviter expediemus.

## QUÆSTIO I.

### *An, & quæ ſit pœna Dæmonum, ſeu Angelorum malorum.*

SIcut in peccato duo ſunt, 1. averſio à Deo, & 2. converſio ad creaturam, ita in pœna peccantium duo ſunt, 1. pena damni, & 2. ſenſus. 1. reſpondet averſioni, ut qui ſponte à Deo receſſerant, ab ipſius facie æternum ejiciantur, & 2. converſioni, ut per quæ peccarunt, per hæc puniantur, & qui ex amore creaturæ Deum dereliquerunt, per ipſas creaturas torqueantur. 1. eſt pena privativa, 2. eſt poſitiva, 1. exprimitur per illam partem ſententiæ Judicis, *Diſcedite maledicti*, & 2. per iſtam, *Ite in ignem æternum*,

Porrò hæc poſterior dicitur pœna ſenſus, etiam reſpectu Dæmonum, per quod ſignificatur, vel quòd patiantur ab igne, & aliis, quæ ſolent offendere ſenſus noſtros, vel quòd patiantur dolores ſpirituales, & poſitivos correſpondentes illis, quos patimur in appetitu ſenſitivo. Certum eſt enim, quòd talis appetitus non eſt in Angelo, qui eſt purus ſpiritus. Tria ſunt in Angelo, intellectus, voluntas, & ſubſtantia, realiter quidem identificata, ſed tamen ſingulis ſua poteſt ineſſe pœna, v. g. intellectui obſcuritas, & obtenebratio, voluntati malitia, & mala

objecta, quæ diſpliceant, & ſubſtantiæ cruciamenta. De quibus breviter.

Rurſus in his pœnis attenditur maximè locus, in quem detruſi ſunt, & in quo detinentur, & ignis, à quo cruciantur velut inſtrumento pœnæ, quæ dicitur ſenſus.

## CONCLUSIO I.

*Mali Angeli poſt aliquantulas morulas in peccatis damnati ſunt, & pœnis æternis addicti.*

I. p. patet 1. ex dictis ſuprà de ſtatu viæ, & de illorum peccato, & obſtinatione, confirmatur ex Scriptura. Nam D. Petrus dicit, quòd [1] *Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus Inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in judicium reſervari.*

2. Colligitur ex Concilio Florent. (2) definiente, animas defunctorum ſtatim poſt mortem in peccato mortali detrudi in Infernum. Nam idem docuiſſet de Dæmonibus poſt peccatum, quandoquidem tunc æquè fuerunt extra ſtatum viæ, ac anima poſt mortem. Item ſi boni perſeverantes in gratia ſtatim conſecuti ſunt gloriam, ita mali perſeverantes in peccato debuerunt damnari, & puniri. Quod apertè docet ſanctus Gregorius. [3] Nam inquit, *Sicut electos beatitudo lætificat, ita credi neceſſe eſt, quòd à die exitus ſui ignis reprobos exurat.*

Prob. 2. p. de pœnis æternis, 1. ex Scriptura. [4] *Vermis eorum non morietur*, & *ignis eorum non extinguetur, ut lugentibus infigat aculeum, objiciens pœnarum perennitatem*. Et, *Multi, qui dormiunt, in terræ pulvere evigilabunt, alii in vitam ætenam, alii in opprobrium, ut videant ſemper*. Et in Euangelio, [5] ignis paratus Diabolo, & Angelis ejus dicitur *æternus*, & quòd damnati *ibunt in ſupplicium æternum*, ſicut juſti *in vitam æternam*. Et ita etiam docent communiter ſancti Patres, & Theologi.

Prob. 2. quia eadem eſt ratio de Diabolo, ac de hominibus damnatis; ſed de iſtis certum eſt de fide, pœnam damnationis eſſe æternam; (6) *Qui bona*

[1] 2. P. c. 2. [2] *Decr. fid.*
[3] *In Iſa. 66.* [4] *Dan. 12.*
[5] *Matth. 25.* [6] *Sym. Athan.*

*bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala, in ignem æternum*; ergo &c. Prob. maj. Ratio æternitatis pœnæ ſumitur præcipuè ab æterna duratione peccati quoad reatum; ſed tam reatus peccati Diaboli perſeverat, quàm peccati hominum morientium in mortali; ergo &c.

Objicies con. 1. & Script. & Patribus plurimis, qui putant, omnes Angelos malos fuiſſe quidem ejectos è Cœlo, ſed manſiſſe in aere medio inter Cœlum, & terram uſque ad diem judicii, ergo nondum puniuntur igne. Prob. ant. 1. ex Script. cit. *Ite in ignem æternum*; non dicit, *in quo eſt Diabolus*, ſed *qui paratus eſt Diabolo*, ſed nondum applicatus. Item in Epiſtolis Sancti Petri, & Judæ legitur, quòd *in judicium magni diei reſervantur* cruciandi Angeli rebelles. Et id apertè docent Patres plurimi, inter quos Rupertus, *Nunc quidem in hunc aerem eſſe dejectum, & omnes ſatellites ejus, quos aereas catervas dicimus paſſim in ſcripturis habemus .... futurum eſt autem, ut in Infernum inferiorem videntibus cunctis præcipitetur in ignem æternum*. Et ſic de aliis; ergo Dæmon non ſtatim punitus fuit igne æterno, &c.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam hæc loca Scripturæ, & Patrum ſignificant tantùm, quòd aliqui, aut plurimi Dæmones pœnas ſuæ damnationis luant in aere, ubi permanere permittuntur, ut homines exerceant, & ad alios divinæ providentiæ fines, ſine præjudicio tamen, & diminutione eſſentialis pœnæ tam ſenſus, quam ignis. In judicio autem omnes prorſus in tartara recludentur. Hoc, inquam, volunt illi Patres in iis, & ſimilibus modis loquendi. Nam alibi apertè docent, aut ſupponunt, eos de facto damnatos, & pœnis affectos ex ipſo tempore ejectionis de Cœlo.

Objic. 2. con. 2. p. ex Patribus, qui docere videntur, pœnas damnatorum finiendas aliquando. Nam in V. Syn. Origenes (1) fertur docuiſſe, *omnium piorum hominum, ipſorumque etiam Dæmonum tormenta finem habitura*, &c. Et Greg. Nyſſen. inter incarnationis beneficia numerat, quod efficit, *ut hominem à malitia liberaret, & ipſum met inventorem mali-*

[1] *Cathechiſ.*

*maliniæ ſanaret.* Et alibi docet, (1) quòd etiam aliquando *Dæmones concorditer dominationem Chriſti confitebuntur.* Et eadem opinio tribuitur ſancto Ambroſio. (2) Ergo ex Patribus pœnæ Dæmonis non ſunt æternæ.

Reſp. neg. conſ. Nam quoad Origenem, videtur quidem ita ſenſiſſe, licèt aliqui ab hoc errore ipſum purgare nitantur, quandoquidem illi imputatur à Patribus dictæ Synodi V. Sed alii Patres communiter docent æternitatem damnationis.

Objic. 2. Non docet juſtitiam Dei punire ultra demeritum; ſed hoc faceret, ſi pœna damnationis eſſet æterna; ergo, &c. Maj. patet, quia punit citra condignum potius, quàm ultra, & *non obliviſcetur miſereri Deus, nec continebit in ira ſua miſericordias ſuas.* Prob. min. quia non eſt proportio inter damnationem in pœnis æternis, & peccatum momentaneum; ergo &c.

Reſp. ex dictis, neg. min. & conſ. prob. Nam pœna peccatorum non commenſuratur illorum durationi, ſed illorum enormitati. Percurre cum Auguſtino pœnas legibus humanis ſtabilitas ſingulis criminibus, & hoc videbis. At ratio alia eſt in legibus. Nam Deus attendit non ſolùm ad opus, ut homines, ſed etiam ad cor.

Rectè diceres, *ſi Judex juſtus, diſtrictuſque veniens, non corda hominum, ſed facta penſaret,* inquit Gregor. *Iniqui enim ideò tum cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Voluiſſent quippe ſine fine vivere, ut ſine fine potuiſſent in iniquitatibus permanere,* &c. Actui peccati *mors finem impoſuit, non voluntati peccandi,* & Deus punit voluntatem, ſeu peccatum in voluntate, in qua vivit æternùm.

## CONCLUSIO II.

**D***Atur re vera Infernus, ſeu locus in viſceribus terræ, in quo puniuntur Dæmones.* Eſt etiam communis contra quoſdam Hæreticos, qui negant Infernum.

Prob. 1. ex Scoto [3] irridente eos, qui putant poſt judicium ceſſaturum motum Solis, & Lunæ, ne illuminent Infernum, & damnatos. *Non enim ſic ſunt*

[1] *In Pſ.* 118. [2] *Octon.* 20. [3] 4. *d.* 48. *q.* 2. *L. n.* 14.

*ſunt ſub terra, ſicut aliqui imaginantur Antipodes, quaſi in ſuperficie oppoſita noſtræ terræ habitabili, ſed ſunt ſub terra, id eſt, in centro terræ, vel concavo terræ*, &c. Et ideò dicitur *Infernus*, ſeu *abyſſus*, ſeu *tartarus*, &c.

Prob. 2. ex Script. [1] *Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus Inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*. Item de Core, Dathan, & Abiron dicitur, (2) *Dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, deſcenderuntque vivi in infernum*. Et, (3) *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad inferni noviſſima*. Et, (4) *Erubeſcant impii, & deducantur in Infernum*. Et Sapiens dicit, (5) *Semita vitæ ſuper eruditum, ut declinet in Inferno noviſſimo*. Id. de pœna ultima damnationis, inquit Gloſſa ordin. Quod patet ex innumeris aliis Scripturæ locis.

Prob. 3. ex ſanctis Patribus. Nam id conſtat ex omnium conſenſu, quorum loca hic exſcribere longum eſſet, imò importunum. Sufficiat Tertullianus ex antiquioribus. (6) *Nobis Inferi, non nuda cavoſitas, nec ſubdivalis aliqua mundi ſentina creduntur, ſed in foſſa terræ, & in alio vaſtitas, & in ipſis viſceribus ejus obſtruſa profunditas*. Et Juſtin. Mar. *Poſt exitum animarum à corpore abducuntur ab Angelis ad condigna ſibi loca, juſtorum quidem animæ in Paradiſo ſunt, injuſtorum autem in ipſius Orci loca*. Orcus autem licèt Poetarum vocabulum ſit, ſignificat tamen locum inferorum ſub terra poſitum, &c.

Prob. denique ex omnium Theologorum, & Fidelium conſenſu, & aſſenſu.

## QUÆSTIO II.

*De pœnis poſitivis Dæmonum, an, & quomodo patiantur ab igne.*

INter pœnas Dæmonum, & damnatorum famoſiſſima eſt pœna ignis, tum in Scriptura, tum in libris Patrum, & Theologorum; ſed non facilè concipitur, quomodò ignis, ſi eſt materialis, poſſit agere in ſubſtantias purè ſpirituales, ut ſunt Angeli, & idem eſt

[1] 2. *Pe.* 2. [2] *Num.* 16. [3] *Deuter.* 32. [4] *Pſ.* 36. [5] *Prov.* 15. [6] *q.* 7. 5.

eſt de animabus ſeparatis. Quærimus ergo hic, an in Inferno ſit verus ignis, 2. an ab eo patiantur Dæmones, & quomodò, an ſc. in eos agat ille actione Phyſica, & reali, ut ab eo patiuntur corpora noſtra, an actione metaphorica, & morali.

## CONCLUSIO I.

IN *Inferno eſt verus ignis, & verè torquet Dæmones, non tamen actione Phyſica, ex parte ignis, ſed intentionali, per triſtitiam, quam cauſat*. Eſt de fide quoad primam partem.

Prob. 1. ex Scoto. (1) *Dolor eſt paſſio conſequens apprehenſionem ſenſitivam in appetitu ſenſitivo; triſtitia autem eſt propriè in appetitu intellectivo, aut in voluntate, & conſequens apprehenſionem eventus alicujus objecti noliti...dolorem non oportet quærere in Spiritibus ſive Angelis, ſive animabus ſeparatis.. de triſtitia verò... dico, quòd ignis ille eſt objectum ſic diſconveniens. Et hoc dupliciter, 1. ut detinens Spiritum definitivè, 2. immutans objectivè*, &c. Docet igitur, ignem *inferni verè affligere, & cauſare triſtitiam in Angelo ut objectum diſconveniens, & nolitum, & hoc, ut detinens, quatenus ſcilicet ibi detinetur effective à* Deo, tanquam in carcere, qui paratus eſt illi ad pœnam. Nam odio habet detentionem illam activam, quæ eſt à Deo, & paſſivam, & formalem, quæ fit per ignem, qui eſt quaſi locus ejus. 2. ignis cruciat ut objectum immutans, quia inquit Doctor. 1. *Intellectus Angeli determinatur perpetuò ad intensè conſiderandum ignem in ratione objecti, 2. apprehendit iſtam determinationem, ſeu* neceſſitatem ad talem *conſiderationem, 3. odit eam, ſcilicet determinationem, ſeu* alligationem intellectus ſui ad tale objectum in pænam. Et mente Doctoris ſic expoſita.

Prob. 1. p. ex Scriptura, ubi dicit Deus. (2) *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad inferni noviſſima*. Et David, (3) *Pluet ſuper peccatores laqueos ignis*, &c. Et, *Ignis grando, nix...pars calicis eorum*. Et, *& devoravit eos ignis*. Et in Euangelio dici-

[1] 4. *d*. 44. *q*. 2. *A*. *n*. 5.
[2] *Deuter*. 32. [3] *Pſ*. 19.

dicitur, [1] *gehenna ignis*, & *caminum ignis*, &, *ite maledicti in ignem æternum*, *qui paratus eſt Diabolo*, &c. Et, [2] *Si quis adoravit beſtiam, cruciabitur igne*, &c. Et de divite, *Crucior in hac flamma*.

Prob.3. ex Patribus communiter id docentibus, aut ſupponentibus ut certum in fide. Sit pro omnibus Sanct. Gregor. jam adductus ſupra [3] *Sicut electos beatitudo lætificat, ita credi neceſſe eſt, quòd à die exitus ſui ignis reprobos exurat*. Et diſcipulo petenti, an ille ignis ſit corporeus, reſpondet, *corporeum eſſe non ambigo*.

Prob. 2. ex Script. citata, & Patribus. Nam in illis textibus ſignificatur ignem illum eſſe in pœnam Dæmonibus, & damnatis, ut cùm dicitur [4] *Ite maledicti in ignem æternum*, &c. Unde Auguſtinus: Cur non dicamus, *quamvis miris, veris tamen modis, Spiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi. Nam, ſi ſpiritus hominum, etiam ipſi profectò incorporei, etiam nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc potuerunt corporum ſuorum vinculis perpetuo alligari... Adhærebunt ergo, etiam ſi eis nulla ſint corpora, Spiritus Dæmonum, imò Spiritus Dæmones licèt incorporei, corporeis ignibus cruciandi.* Et id ſupponit certum Greg. dicens, poſt cit. locum Script. *Si igitur Diabolus, ejuſque Angeli, cùm ſint incorporei, corporeo ſunt igne cruciandi, quid mirum, ſi animæ?* &c.

Prob. 2. Nam tam verè nunc cruciantur Dæmones igne tartareo, quàm damnati poſt judicium, & reſumptis corporibus: ſed damnati verè cruciabuntur poſt judicium, alioqui cur eò mitterentur? ergo & Dæmones. Maj. patet. Nam in eundem finem *paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus*.

Prob. 3. ex parabola Divitis. Nam anima ejus cruciabatur in illa flamma, licèt ſine corpore; ergo ita eſt de Dæmone, licèt ſit purus Spiritus.

Prob. 4. Nam ignis verè cauſat triſtitiam in Dæmone, quatenus detinet illum non effectivè, id enim à ſolo Deo præſtatur, ſed formaliter quaſi locus ejus, ut dicebat Scotus, nam hoc ipſi eſt peroſum, & diſplicens, quatenus ſic limitatur in pœnam peccati, & co-

[1] *Matth*.22.13.18.& 25. [2] *Apoc*.14.
[3] *Dial*.28. [4] *Matth*. 25.

& cogitur illum ſemper ut talem conſiderare; ſed in hoc eſt vera cauſalitas pœnæ, & torturæ; ergo ignis verè torquet Dæmones.

Prob. 3. pars. Nam ignis ille eſt corporeus, ut ſuppono, & docent Patres citati; ergo naturaliter ſaltem, non poteſt agere in ſubſtantiam purè ſpiritualem, qualis eſt Dæmon, nec apparet, quòd Deus vellet facere miraculum æternum, ut elevaret virtutem ignis illius corporei ad afficiendum phyſicè Dæmones.

Confir. quia non apparet, quam qualitatem poſſet illis Spiritibus imprimere, per quam torquerentur phyſicè; ergo &c. Prob. ant. Vel illa qualitas eſt materialis, vel ſpiritualis, ſi materialis, non magis torquebit Spiritus illos, quàm ipſe ignis; ſi ſpiritualis; ergo non erit nociva, quia non poteſt eſſe deſtructiva ſubſtantiæ, vel alterativa ejus. Nec facile dictu eſt, quòd per potentiam obedientialem res materialis poſſit elevari ad producendum phyſicè accidens ſpirituale, & denique ſi ſit poſſibile, adhuc inconveniens eſſet Deum non poſſe punire Dæmones, & damnatos ſine miraculo æterno.

Dices, In tantum cruciaret, quia deturparet, & macularet naturam eorum.

Contra. Nam non deturparet in naturalibus, quia in naturalibus non ſunt maculæ, nec in ſupernaturalibus, quia id facit peccatum formaliter expellens gratiam demeritoriè; non autem expellitur per ullam qualitatem ſpiritualem.

Prob. 4. par. quia faciliùs explicatur, quomodò ſine miraculo illo talis elevationis Dæmones torqueantur verè per ignem, ſcilicet quatenus ſciunt ſe detineri in illo igne velut carcere in pœnam peccati ſui, nec poſſe ab illo eripi, nec avertere cogitationem ſuam ab illo objecto, hæc autem limitatio, & alligatio ſummè diſplicet eis,& ſic cauſat in eis ſummam triſtitiam; ſed hic modus torquendi eſt intentionalis, & moralis, cauſat enim triſtitiam, quæ eſt paſſio ſpiritualis in intellectu, & voluntate; ergo ignis cruciat Dæmones pœna intentionali. Prob. maj. ex Scriptura,& Patribus citatis, qui Infernum vocant *carcerem*, *alligationem*, *detentionem*, &c. [1] *Apprehendit Angelus*

[1] *Apoc.* 20.

*lus draconem, qui eſt Diabolus, & Satanas, & alligavit eum per annos mille, & miſit in abyſſum.* Et [1] *Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus Inferni detractos in tartarũ tradidit cruciandos.* Et ut loquitur S. Judas [2] *eos vinculis æternis ſub caligine reſervavit*, &c. ergo Scriptura exprimit pœnas illas per alligationem ad ignem, & locum. Duplex igitur eſt hæc pœna Dæmonum, 1. qua ſe conſiderant igni perpetuo alligatos, & ab eo, ut juſtitiæ divinæ inſtrumento, detentos, & hæc pœna eſt graviſſima Spiritibus, ac nobiliſſimis; 2. quia ſe agnoſcunt limitatos ad perpetuum, & intenſiſſimum ignis illius intuitum, & conſiderare coguntur illum ut ejuſdem juſtitiæ inſtrumentum, & hoc etiam tormentum eſt graviſſimum iiſdem Spiritibus ad intuitionem Dei creatis, quem ut punientem ſe horrent, & oderunt ſummè, eò, inquam, hæc pœna eſt gravior, quò nobiliori pollent intellectu, & quia ignis iſte illis continuè repræſentat iram Dei, quæ illum ſic accendit, juxta illud, *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo*, &c.

Summa ergo pœna poſitiva Dæmonis eſt triſtitia, quam verè cauſat ignis, 1. per illam detentionem, quæ eſt activè, & efficienter à Deo, & quaſi formaliter ab igne, quam detentionem ægerrimè, & ſummè nolentes coguntur pati, & 2. per illam præſentiam objectivam. Nam licèt ignis de ſe non ſit objectum diſconveniens, ſicut nec præcisè ratione locationis, eſt tamen in ratione detentionis, & objecti noliti; ſicut vita non eſt homini diſconveniens, nec pœna, ſed iis, qui ex infirmitatis violentia cupiunt mori, eſt laborioſa, & odioſa.

Confir. Nam illa limitatio, & detentio tam localis, quàm objectiva ad ignem Inferni ſummè opponitur potentiæ motivæ, & intellectivæ beatitudini, ad quam eò magis inclinatur Dæmon, quò perfectioris eſt naturæ, hæc autem conſiſtit in Dei viſione in Cœlo gloriæ, nec imaginabilis eſt ulla qualitas phyſica, quam poſſet ignis cauſare phyſicè in ejus ſubſtantia, & appetitui ejus magis oppoſita; ergo pœna poſitiva, quam ab igne illo pati poteſt, non conſiſtit niſi in illa triſtitia. Prob. ant. quia quancunque qualita-

[1] 2. Pe. 2. [2] Judæ. 1.

litatem Phyſicam immiteret ignis in ſubſtantiam Dæmonis, non cauſaret in eo dolorem, niſi mediante apprehenſione, & odio, quo illam qualitatem reſpiceret ut appetitui contrariam, uno verbo, ut nolitam, & illa apprehenſio rei nolitæ ſufficere poteſt ad cauſandam in ejus appetitu triſtitiam ſummam; ergo longè magis cruciatur ab igne ſub his conſiderationibus, quam per immiſſionem ullius qualitatis Phyſicæ.

Objic. 1. con. 1. par. Eodem ſenſu dicitur ignis eſſe in Inferno, & cruciare damnatos, quo iſti dicuntur habere linguam, & oculos, & digitos, ſicut dicitur de vermibus; ſed hæc membra dicuntur metaphoricè; ergo & ignis. Prob. mai. Nam dives queritur de ardore Linguæ, & petit digito Lazari intincto aqua refrigerari, &, quòd *vermis eorum non morietur*, & *ignis eorum non extinguetur*; certum eſt autem, animas Epulonis, & Lazari, non habere veros digitos, nec veram linguam, nec ibi eſſe veros vermes, qui Spiritus corrodant; ergo tam ignis, quam vermes, & membra illa, eſt metaphoricus, non verus, & realis.

Reſp. neg.maj. & conſ.prob. Alia enim eſt ratio intelligendi membra illa, & vermes metaphoricè, quàm ignem. Evidens enim eſt, ſpiritum carere membris, nec vermes alere, de igne autem nihil vetat ſumere litteraliter, quod ibi ſit, & torqueat. Fortè etiã erunt veri vermes pro corporibus damnatorum.

Objic. con. 2. par. Ignis verus non poteſt ſine miraculo torquere Dæmones; ſed non ſunt aſſerenda miracula ſine neceſſitate; ergo nec ignis torquens Dæmones.

Reſp. neg. min. Nam textus formalis Scripturæ, & conſenſus unanimis Patrum, & Eccleſiæ inducit magnam neceſſitatem aſſerendi verum ignem, & veram pœnam ex eo.

Objic. 2. Ut ignis, verè cruciet Dæmones, id facit vel per imaginationem, qua illum apprehendunt, ut diſconvenientem; vel per aliquam actionem realem, qua cauſet in eis qualitatem nocivam, ſeu deſtructivam; ſed neutrum dici poteſt; ergo nec quòd verè cruciat illos. Prob. min. 1. non per imaginationem, quia illa eſſet erronea, & Dæmones,

qui

qui non ſunt læſi in naturalibus, non errant circa impotentiam ignis ad nocendum, 2. non per actionem phyſicam per nos; ergo &c.

Reſp. neg. maj. Nam datur alia ratio, & modus explicandi hanc pœnam realem Dæmonum ab igne, ut patet ex dictis.

Objic. 1. con. 3. & 4. p. Scriptura, & Patres loquuntur de igne, ſicut de quacunque alia cauſa phyſica, ut patet ex textibus à nobis citatis; ergo torquet per veram actionem phyſicam, non verò intentionalem.

Reſp. neg. conſ. Nam Patres, & Scriptura loquuntur de veris cruciatibus, & pœnis, quas ignis ille poteſt cauſare in talibus ſubjectis, Dæmones autem non ſunt capaces alterius pœnæ, aut paſſionis correſpondentis actioni talis agentis.

Inſt. 1. Non poteſt ignis cauſare dolorem in Dæmone, niſi ut cauſat in carne; ſed non cauſat in carne, niſi per qualitatem phyſicam nocivam, & diſconvenientem; ergo ita eſt in Dæmone. Prob. maj. Non enim poteſt cauſare dolorem, niſi per aliquid intrinſecum inhærens dolenti.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. Nam ignis cauſat dolorem in carne per efficientiam qualitatis deſtructivæ, cujus cauſandæ eſt capax, ſed ignis non eſt capax cauſandi in ſubſtantia ſpirituali, niſi triſtitiam, quàm concipit Dæmon ex eo, quòd nolens alligatur illi, ut loco, & objecto.

Inſt. 2. Pœna illa non eſſet verè ab igne potiùs, quàm à terra, ſed à ſolo Deo puniente Dæmonem in igne; ſed ex Patribus torquetur ab igne, & non tantum in igne; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & prob. ejus. Nam ex Dei ordinatione ignis à Dæmone conſideratur ut tortor, ut carcer, & objectum diſplicens, & ideò cauſat in eo triſtitiam.

Inſt. 3. Dives cruciatur effectivè in flamma, & in lingua, quam petit refrigerari; ergo per actionem phyſicam, ut in carne.

Reſp. neg. conſ. Nam hic ardor linguæ eſt metaphoricus, ſeu parabolicus. Nec enim anima illa habebat linguā carneam. Dolor igitur erat ſpiritualis triſtitiæ.

Inſt. 4. D. Gregorius dicit, animas, antequam recipiant corpora, poſſe ſentire tormenta ... ut ex hac

con-

conſideratione colligamus, quòd anima vivens, & ſentiens pro reatu ſuo puniatur; ergo vera eſt actio ignis, & phyſica per immiſſionem qualitatis dolori-feræ.

Reſp. neg. conſ. Nam D. Gregorius ne quidem ſomniavit per illam ſẽſitivitatem aliud ſignificari, quàm juſtitiam ſpiritualem conceptam ex tali detentione, & alligatione ad ignem. *Nanque eo ipſo patitur, quod videt, & quia cremari ſe aſpicit, crematur, ſicque fit, ut res corporea incorpoream exurat, dum ex igne viſibili ardor, ac dolor inviſibilis trahitur, ut per ignem corporeum mens incorporea crucietur; quamvis colligere ex dictis Euangelicis poſſumus, quia incendium anima non ſolum videndo, ſed etiam experiendo patitur.* Scilicet Scriptura loquitur de incendio ſpirituali, ſeu intentionali, ſicut de ſenſibili, & materiali, licèt re vera ſit ex viſione, & intentionalis.

Id confirmat ſanctus Iſidorus. [1] *Duplex eſt damnatorum pœna in gehenna, quorum* & mentem urit triſtitia, & corpus flamma. Et D. Bernardus, [2] *Quid tam pœnale, quàm ſemper velle, quod nunquam erit, & ſemper nolle, quod nunquam non erit?*

Objic. 2. Conſideratio ignis in ratione objecti non magis contriſtat, quàm aſpectus Cœli, aut Solis; ſed ex iſtorum aſpectu non dolet, nec triſtatur Dœmon; ergo nec iſtius. Prob. maj. Ignis in ratione objecti non magis diſconvenit intellectui Dæmonis, quàm ullum aliud ens; ergo &c.

Reſp. diſt. mai. Præciſè, & nudè in ratione ſui, con. in circumſtantiis præſentibus, quibus alligatur Dæmon, & in pœnam ad illum continuò, & intenſè conſiderandum, ut inſtrumentum juſtitiæ Dei, neg. maj. & ant. prob. Nam talem limitationem, & alligationem averſatur ſuperbus Dæmon; & inde triſtatur, & dolet. Nam illa nolitio, ſeu odium eſt conditio, ſine qua talis aſpectus non contriſtaret.

Inſt. Ut illa viſio ſit vera pœna in illis Spiritibus, debet eſſe ab igne per actionem phyſicam ejus æquivalentem calefactioni, & aduſtioni, quas ſolet cauſare in ſenſibus; ſed actio intentionalis ignis non ſic æquivalet; ergo per eam non rectè explicatur pœna

[1] 3. *ſent.* 37. [2] 5. *conſid.* 19.

pena hæc. Prob. maj. Nam omnes dolores, qui cauſantur ab extra, fiunt per actionem phyſicam, & immiſionem alicujus qualitatis diſconvenientis paſſo; ergo ita debet eſſe de igne, ſi ab eo verè patiantur Dæmones.

Reſp. neg. min. Nam præſentia illa ignis, ut detinentis localiter, & objectivè, cauſat in intellectu Dæmonis cognitionem ſui, ſc. alligationis ad agens calefactivum, & aduſtivum, quæ duplex alligatio ſummè diſplicet illi, quia limitat ejus libertatem motricem, & intellectivam, adeò ut non poſſit pro libitu nec ab igne diſcedere, nec ab ejus intuitu intenſo, velut inſtrumento penæ avertere aſpectum.

Inſt. 2. Ex PP. & Script. damnati non dolent ſe detineri localiter, vel objectivè ab igne, ſed ab illo cruciari, & uri, *crucior in hac flamma*, clamat dives; ergo illa detentio, & alligatio non explicat ſufficienter illam pœnam.

Reſp. neg. conſeq. Nam ſicut ex detentione, & applicatione locali ignis ad corpus iſtud phyſicè uritur, & cruciatur, anima verò intentionaliter ex apprehenſione doloris ſenſibilis: ita ex detentione Dæmonis in igne localiter, & objectivè cauſatur aduſtio, & calor intentionalis, & diſplicens, de quo triſtatur, & dolet.

Objic. 3. Demones multi remanſerunt in aere, & plures exeunt ex Inferno, & eo redeunt, ut patet ex Euangelio, ubi aliquos Chriſtus miſit in porcos, ergo illi non detinentur in igne Inferni, & tamen eadem pena cum aliis plectuntur; ergo pena Dæmonum ab igne non conſiſtit in illa detentione.

Reſp. 1. Iſtud argumentum probare etiam contra omnes, qui volunt, ignem verum eſſe inſtrumentum penarum ſenſus. Nam ignis ille non eſt in aere, nec ibi urit phyſicè, nec per qualitatem ullam phyſicam, quam phyſicè producat, qualiſcunque illa ſit.

Reſp. 2. neg. 1. conſeq. Non enim ponimus totam penam illam in ſola detentione locali, ſed ſimul in alligatione objectiva, quam patiuntur ubique. Et licet in carcere illo reali, & locali non detinentur illi, quos permittit Deus per aera divagari, aut quandoque exire de Inferis, non tamen ſunt plenè liberi, nec moventur, niſi ad nutum Dei, & ſic-

ut miſeri captivi circumferunt ubique compedes, & catenas, & ſuam captivitatem alligationis ad ignem, aliaſque pœnas.

Objic. 4. Pœna Dæmonum eſt inæqualis ſecundum demerita; ſed illa detentio, & alligatio tam localis, quàm objectiva eſt omnibus una; ergo pœna ignis non ſiſtit in illa detentione, & alligatione.

Reſp. diſt. min. Materialiter eſt æqualis, con.formaliter, & in triſtitia, quam cauſat, neg. min. Nam triſtitia, quæ eſt pœna formalis, eſt inæqualis in ſingulis pro menſura peccati, ſeu malæ voluntatis nolentis eam alligationem, & iſta nolitio commenſuratur ſuperbiæ, aliiſque vitiis eorum, quod in nobis ipſis experimur. Nam in iiſdem malis unus magis dolet alio, ſecundum inæquales affectus, avarus magis dolet de amiſſo nummo, quàm liberalis.

Objic. 5. Homo poſt judicium magis torqueretur, quàm Lucifer; ſed conſequens eſt falſum; ergo &c. Prob. maj. Nam homo præter pœnam illam intentionalem triſtitiæ in anima ex alligatione ſentiet in corpore diras, & phyſicas pœnas, quas non ſentiret Lucifer.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. Nam novit Deus ſic attemperare pœnas animæ cum corporeis, ut ambæ ſimul commenſurentur peccatis tam Dæmonum, quàm hominum.

Objic. 6. Saltem in Purgatorio ignis agit aliter in animas illas; ergo idem dici poteſt de Dæmonibus, & damnatis in inferno. Prob. ant. In Purgatorio non eſt ſimilis detentio, nec alligatio; ergo nec triſtitia.

Reſp. neg. ant. & diſt. conſ. prob. Nec triſtitia quantum ad motivum, con. quantum ad pœnam, ſeu dolorem, neg. conſ. Nolitio alligationis, & detentionis in Dæmone venit ex ſuperbia, & odio Dei, & aliis vitiis, in animabus autem Purgatorii venit ex affectione commodi, quatenus retardantur à conſecutione gloriæ, quàm ſperant, & ardentiſſime expectant.

Objic. 7. Dæmon non fuit læſus in naturalibus; ergo tam liber eſt ejus intellectus ad omne ens intelligendum, & conſiderandum, quàm ante damnationem; ergo non eſt ita alligatus, & limitatus ad ignem reſpiciendum, quin poſſit aliud omne ens conſiderare. Et de facto multa alia novit.

Reſp.

Reſp. diſt. ant. Non eſt læſus in naturalibus quoad actum primum, & potentiam, conc. quoad actum 2. & exercitium, neg. ant. & conſeq. *Mali dicuntur*, ait Dionyſius, *quòd circa naturalem operationem infirmentur, eò quòd exciderint, poſitique non ſint in naturalibus bonis*. Non impediuntur quidem penitus ab aliarum rerum contemplatione, ſed maxima ex parte diſtrahuntur ab aliis objectis per intenſiſſimam ignis conſiderationem ex Dei ordinatione.

Objic. denique. Niſi aliter ageret ignis, quàm intentionaliter, tam poſſet Dæmon torqueri à lapide, ab aqua, vel alio quovis corpore, quàm ab igne, quia non minùs poſſet iis alligari localiter, & objectivè, nec minùs hæc alligatio ei diſpliceret; ſed conſequens eſt contra Scripturam,& Patres: ergo & ant.

Reſp. 1. Idem dici poſſe contra eos,qui dicũt, ignem elevari per potentiam obedientialem ad cauſandam in dæmone qualitatem ſpiritualem lædentem, aut maculantem, & diſplicentem. Tam enim ad id poſſent elevari omnia alia elementa, & corpora, quam ignis.

Reſp. 2. diſt. ant. Si Deus ita ordinaſſet, conc. de lege poſita, neg. ant. & conſ. prob. Nam ſic Deus potuiſſet velle quidem, ſed noluit, quia cum ignis ſit elementorum, & corporum activiſſimum, aptior viſus eſt Deo ad hunc effectum. Nam ſicut in corpore animato vehementius affligit ſenſibiliter carnem, & intentionaliter animam illi unitam, ita & Spiritum ſeparatum per illam apprehenſionem doloris, quem ſolet cauſare in Spiritibus unitis.

Quæres, an ſint aliæ pœnæ poſitivæ Dæmonum, ut aqua, frigus, vermis, tenebræ, &c.

Reſp. varias quidem à diverſis aſſeri Dęmonum pęnas, ſed non poteſt ſciri determinatè.

Prob. 1. Nam in libro Job [1] Infernus dicitur *terra tenebroſa, operta mortis caligine, terra miſeriæ, & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, ſed horror ſempiternus*. Et alibi dicit, [2] quòd alternatim tranſibunt ad nimium calorem ab aquis nivium. Et Sapiens dicit, [3] *Via peccantium compianata eſt lapidibus, & in finem illorum Inferi, tene-*



[1] *Job*. 10. [2] *Job*. 40. [3] *Eccle*. 21.

*bra*, *& pœna*. Et de Inferno explicant aliqui illa verba Iſaiæ, [1] *Requieſcent ibi beſtiæ*, *& replebuntur domus eorum draconibus*, &c. Et de vermibus dicit, quod *vermis eorum non morietur*, &c. Vermis autem dicitur *remorſus conſcientiæ*, vel *putredo gehennæ*, ſeu *fœtor vermium*, de corruptione carnis, & ſanguinis, inquit Beda. Et ſanctus Joannes, [2] *Si quis adoraverit beſtiam . . . hic bibet de vino iræ Dei*, *& cruciabitur in igne*, *& ſulphure*, *& fumus tormentum eorum . . . nec habent requiem die*, *ac nocte*, &c.

Denique, ut docet Auguſtinus, *Mala Inferni dicere*, *& cogitare*, *ut ſunt*, *nemo poteſt*. Et Chryſoſt. *Quis poteſt verbis conſequi*, *quàm formidabiles pavores à tenebris exorientur?* &c. Et Caſſianus, *Dicere quis valeat*, *quæ impiis*, *& malè viventibus parata ſint tormenta?*

Habes tamen principalem pœnam ſenſus exprimi per ignem, tum per vermem, qui, ut dicebam, eſt non realis, ſed moralis, & per tenebras. Quoad aquam verò, & glaciem, ſeu frigus, res eſt incertior; licèt videatur hæc aſſeri in lib. Job.

## QUÆSTIO III.

### *De pœnis damni*, *ſeu privativis*.

POEna damni importat privationem boni tam commodi, quàm honeſti. Sub *honeſto* continentur actus, & habitus virtutum tum naturalium, tum ſupernaturalium, & alia dona tum gratiæ, tum gloriæ, quæ ad actus decentes naturæ rationalis influunt. Sub *commodo* continentur dotes naturales, & ſupernaturales corporis, & animæ, quæ conveniunt appetitui rationali, & ſenſitivo, & maximè quoad Angelos, æterna beatitudo. Sed in illis privationibus attéditur primò ipſa carentia boni debiti, aut convenientis, & 2. triſtitia, ſeu dolor ex illa privatione naſcens. Pœna damni præcisè ut privativa, conſiſtit in illis carentiis; triſtitia verò, ſeu dolor ex illis naſcens pertinet propriè ad pœnam ſenſus, ſeu poſitivam.

Quærimus 1. hìc, quænam ſint illæ pœnæ damni, ſeu

[1] *Iſa.* 13. *&* 66. [2] *Apoc.* 14.

ſeu privativæ, & præcipuè circa intellectum, & voluntatem, an intellectus Dæmonis læſus fuerit, ſeu privatus intellectivitate ſua naturali, & obtenebratus, ita, ut ſpoliatus ſit cognitionibus ſuis, quas habuit ab initio creationis ſuæ tam naturalibus, quàm ſupernaturalibus. Item de voluntate quæritur, quidnam per peccatum paſſa ſit detrimenti. Quæ breviter decidenda ſunt.

## CONCLUSIO I.

POEna damni præcisè, & formaliter conſiſtit in privatione æterna viſionis, ac fruitionis Dei, ſeu beatitudinis æternæ nolita, ad quam privationem ſequitur dolor, ſeu triſtitia pariter æterna, quæ eſt pœna poſitiva, ſeu ſenſus. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto,[1] de pœna damni, eò, *quòd non eſt ſolùm carentia, quia ſic non eſſet pœna, ſed eſt carentia boni apti nati ineſſe, non boni remoti, ſed propinqui; nec cum hoc toto, eſſet illa carentia pœnæ, niſi eſſet nolita, & ideò oportet, quòd ſit carentia involuntaria*. Vides, in quo conſiſtat pœna damni, & quòd, ut habeat rationem pœnæ, debet eſſe de bono nato ineſſe ſubjecto, & quòd ſit nolita, ſeu reluctante appetitu ex voluntate. Unde ſequitur triſtitia, ſeu dolor.

Probatur 2. ex eodem. Nam, inquit, punitio eſt perceptibilis carentia boni convenientis in natura intellectuali, vel perceptibilis præſentia mali diſconvenientis in eadem natura; bonum autem naturæ intellectualis eſt duplex, ſcilicet bonum commodi, & honeſti, & licèt utrunque reperiri poſſit ſimul, ut in beatitudine, tamen aliquando ſeparantur, & non omne cõmodum eſt honeſtum. Sic pro natura intellectuali duplex eſt punitio per privationem duplicis boni. Prima vocatur *malum injuſtitiæ*, ſive *culpæ*, & poteſt dici *obſtinatio in peccato*. 2. vocatur *pœna damni*, vel *damnum*, vel *damnatio*, &c. Pœna igitur *damni* importat principaliter privationem gratiæ, & gloriæ, & quidem æternam. Nam temporanea privatio, qualis eſt in peccatoribus in hac vita, non dicitur *damnatio*.

Aa 3 Prob.

[1] *d.* 50. *q.* 6. N. 12.

Probatur 3. Nam ex omnium ſenſu nomine pęnæ damni intelligitur privatio æterna gloriæ, ſeu viſionis, & fruitionis Dei ex demerito peccati finalis. Et, ut jam notavimus, ſignificatur per illud verbum Chriſti in judicio, *Ite*, ſeu, *diſcedite, maledicti*, ſicut pœna ſenſus ſignificatur per illa alia verba, *in ignem æternum*, &c. Nec in hoc eſt immorandum.

Dixi 1. *ut nolita*. Nam ſi ſponte privarentur hujuſmodi bono, jam illa privatio non eſſet pœna; ſed certum eſt, quòd non ſolùm Dæmones in illa privatione non ſibi placent, quin potiùs diſplicent ſummè, & inde torquentur etiam ſummè.

Dixi 2. *ad quam privationem ſequitur dolor, ſeu triſtitia pariter æterna, quæ eſt pœna poſitiva*, & quidem acerbiſſima, & eſſentialis damnationi.

Quod ſubtiliter, & ſolidè explicat Doctor dicens, quòd pęna damni includit privationem beatitudinis: & ſicut in beatitudine includuntur duo, 1. actus beatifici, viſio, & fruitio, in quibus conſiſtit ejus eſſentia, & 2. gaudium, ſeu delectatio, quæ illos actus ſequitur, ſic in pœna damni reperitur 1. carentia viſionis, & fruitionis, quæ eſt eſſentialis damnatio, & 2. triſtitia, quæ eſt effectus talis carentiæ, pro ut nolitæ, ſeu involuntariæ, & hæc triſtitia reſpicit vel immediatè illam carentiam, vel culpam, quæ eſt cauſa demeritoria talis carentiæ. Triſtitia autem eſt paſſio, & pęna poſitiva, & ex Auguſt. eſt *de iis, quæ nobis nolentibus accidunt*, qualis eſt illa carentia. Certè pęna ſenſus, ſeu poſitiva hic ſignificat quamcunque poſitivam paſſionem animæ poſitivè afflictivam ex perceptione mali, ſeu objecti diſconvenientis; ſed æterna illa carentia viſionis, & fruitionis Dei, ſeu beatitudinis eſt ſummum malum, & objectum ſummè diſconveniens; ergo eſt pęna poſitiva.

Confir. cum Scoto ex Auguſtino. *Dolor carnis eſt tantummodo offenſio animæ ex carne, & quædam ab ejus paſſione diſſenſio, ſicut animæ dolor, qui nuncupatur triſtitia, eſt ab iis rebus, quæ nobis nolentibus accidunt*; ergo ſicut triſtitia, & dolor, quem anima patitur ex offenſione carnis, eſt pęna poſitiva, & ſenſus, ita & triſtitia ſpiritualis, quam ex objecto nolito patitur ani-

anima, ut accidit Dæmoni tum ex privatione beatitudinis, tum ex præſentia, & alligatione ad ignem, eſt ſimiliter pęna poſitiva.

Objic. 1. Pęna damni eſt in infantibus mortuis in peccato originali; ſed in infantibus carentia beatitudinis non eſt nolita, nec afflictiva, cum triſtitia poſitiva; ergo malè explicamus hanc pęnam. Maj. eſt certa, nec ab ullo Catholico negari poteſt. Prob. min. ex Scoto, & ratione. Nam pęna poſitiva, ſeu ſenſus datur propter peccatum perſonale, quod damnati propria voluntate commiſerunt, & ideò communiter docetur, infantes illos non puniri pęna poſitiva, ſed ſola carentia beatitudinis, quæ eſt pęna purè negativa; ergo eſſentialis pęna damni non eſt cum illa nolitione, & triſtitia.

Reſp. diſt. maj. Pęna damni in genere, & purè negativa, & inadæquata eſt in infantibus, con. maj. & min. pęna damni ſpecialis, & adæquata, neg. maj. & min. Nam propter rationem 2. argumenti, docetur communiter, quòd pęna infantium morientium in peccato originali, eſt damnatio inadæquata, & non totalis, ſed pura privatio. Aliter eſt de Dæmonibus, & adultis damnatis. Et quamvis admitteretur aliqualis triſtitia, & diſplicentia in illis infantibus, adhuc non eſſet 2. illa triſtitia, quæ reſpicit peccatum, & dicitur vermis; quia nullum peccatum proprium poteſt remordere conſcientiam infantium illorum.

Colligis igitur 1. quòd pęna damni præcisè, & formaliter conſiſtit in privatione perpetua ſummi boni, ſeu viſionis, & fruitionis Dei, 2. quòd hæc privatio in Dæmonibus eſt involuntaria, & contra inclinationem eorum naturalem ad tale bonum, quæque longè major eſt in illis, quàm in hominibus, ſicut eorum natura eſt longè perfectior. 3. quòd, quia eadem privatio eſt involuntaria, ideò cauſat in eis ſummam triſtitiam, 4. quòd ille dolor, ſeu triſtitia eſt verè pęna poſitiva, & ideò pertinet ad pęnam ſenſus per comparationem quandam ad pęnas, quæ ab objectis ſenſibilibus cauſantur in appetitu noſtro ſenſitivo, nec enim ille appetitus eſt in Dæmonibus, ſicut nec illa privatio, vel cognitio ejus eſt quid ſenſibile, 5. de-

nique quòd, ut notat Scotus, ulterior triſtitia eos affligit, & eſt ea, quam concipiunt ex cognitione cauſæ talis privationis, quæ ſunt peccata, & hæc vocatur *vermis eorum, qui non morietur*, ſeu remorſus æternus conſcientiæ.

## CONCLUSIO II.

*INtellectus Dæmonum non fuit læſus, nec debilitatus in activitate ſua naturali, nec privatus cognitionibus ſuis naturalibus, imò nec omnibus aliis, quas habuit de objectis ſupernaturalibus, benè verò de omni lumine, & habitu ſupernaturali, imò & rectitudine judicii practici circa res morales agendas*, Eſt tota communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui poſt Dionyſium [2] dicit, quòd *in Dæmonibus naturalia ſunt ſplendidiſſima*. Et alibi docet, quòd malus Angelus, *ſi abſolute permittatur uti ſua potentia cognitiva naturali, poteſt intelligere quodcunque intelligibile cauſatum, & per conſequens cogitationes cordium, & myſteria gratiæ, ex quo poſita ſunt in effectu, ſed, ut dicit Magiſter, multa poſſunt ex natura ſua, quæ non permittuntur eis*, &c. Et alibi, [3] *Credo, quòd Angeli habent harum* (ſcilicet virtutum Cœlorum, & ſtellarum) *cognitionem ita, quòd poſſunt de his benè judicare, & quoad tempus, quando illi effectus venturi ſunt, & quoad qualitatem, & quantitatem*, &c. Ideò ſunt meliores Aſtrologi, quàm homines; ideò etiam poſſunt formare ſibi corpora, in quibus ſæpè apparent, applicando debitè activa paſſivis cum corporibus cœleſtibus in ſitu convenienti, ut inducatur forma partialis, qualis nata eſt ab agentibus talibus induci. Et de hoc conveniunt omnes. Ergo non amiſerunt Dæmones perfectionem ſcientiæ naturalis, quam habuerunt ab initio, nec eorum intellectus quoad hæc fuit excæcatus. Ratio autem D. Dionyſii eſt, quia, inquit, *quæ per naturam ſunt incorruptibilia, per peccatum* non corrumpuntur; quòd maxime probat de facultate intellectiva, licèt etiam de donis naturalibus poteſt intelligi, & communiter intelligitur.

Prob.

[1] 2. *d.* 7. *prin.* 4. *d.* 44. *n.* 2.
[2] *Div. nom.* 4. [3] 2. *d.* 14. F.

Prob. 2. p. de cognitionibus aliquot de objectis ſupernaturalibus. Nam recordantur cognitionum, quas per ſpecies infuſas ſupernaturales habuerunt de Deo uno, & Trino. *Tu credis, quoniam unus eſt Deus*, inquit ſanctus Jacobus, [1] *bene facis, & Dæmones credunt, & contremiſcunt*. Et in Euangelio [2] Dæmon teſtificat Chriſti Deitatem, *Scio, quia ſis ſanctus Dei*. Et ab hominibus multis [3] *exibant Dæmonia clamantia, & dicentia, quia tu es Filius Dei, & increpans non ſinebat, ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum*.

Prob. 2. quia nihil impedit, quò minùs Dæmones recordentur plurium cognitionum ſupernaturalium, quæ ipſis ab initio creationis fuerunt revelatæ, ut de myſterio Trinitatis, prædeſtinationis, incarnationis, &c. & tales cognitiones, ſeu recordationes ſunt quidem de objectis ſupernaturalibus, quæ primò, nec de ſe potuerũt cognoſcere abſque revelatione, vel ſpecie, vel habitu ſupernaturali, ſed ſemel acceptæ potuerunt conſervari naturaliter, ſicut Hæretici, qui amiſerunt fidem ſupernaturalem, poſſunt recordari, imò & credere multis veritatibus, quas ex illa crediderant.

Prob. 3. p. 1. ex Script. quæ Infernum vocat [4] *terram tenebroſam, & opertam mortis caligine*, &c. Et quòd [5] *via peccantium complanata lapidibus, & in finem illorum Inferi, & tenebræ*. Et Inferi dicuntur *tenebræ exteriores*. Et hæc intelliguntur de tenebris mentis cum privatione luminis gratiæ, & glorię. Ideò Patres, ut Auguſtinus, [6] hunc locum Geneſis, *Diviſit lucem à tenebris*, explicant de ſeparatione Angelorum bonorum à malis, qui tenebræ dicuntur. Sed non poſſunt hæc intelligi de tenebris, & privatione lucis naturalis tam actualis, quàm habitualis.

Prob. 2. quia cognitio ſupernaturalis venit ex auxilio, & concurſu cauſæ ſupernaturalis actualis, vel habitualis, & ad finem ſupernaturalem, maximè ſalutis; ſed utroque privantur Dæmones; ergo, &c.

Confir. quia ex Patribus, & Theologis, nulla gratia ſupernaturalis remanſit in malis Angelis poſt



[1] *Jac. 2.* [2] *Matth. 1.*
[3] *Luc. 4.* [4] *Job. 16.*
[5] *Eccle. 21.* [6] *1. Gen. lit.*

damnationem; ſed omnis cognitio ſupernaturalis eſt gratia, & de ordine gratiæ, & ordinatur ad bonum ſalutis; ergo in eis non remanſit ulla cognitio, vel habitus intellectualis ſupernaturalis, qualis eſt habitus fidei, vel donum ſcientiæ, &c.

Prob.4.p. de rectitudine judicii practici, 1. ex Scriptura. Nam, ut jam monui, tribuuntur dictæ de Lucifero hæ increpationes Prophetæ, [1] *Perdidiſtis ſapientiam tuam in decore tuo ...ut factus ſis omninò cæcus*. Et ideò præcipuè vocatur *Spiritus tenebrarum*, & *tenebræ*, ut patet ex præcedenti parte.

Prob. 2. ex dictis de pena ignis. Nam intellectus Dæmonis remanet alligatus igni per intenſiſſimam conſideratione; ſed intellectus creatus nõ poteſt ſimul plura, ut plura perfectè, & ſimul cognoſcere; ergo Demon non poteſt perfectè attendere ad veritates practicas. Min. patet ex dictis ſuprà de cognitione, & intellectu Angelorum, & de Anima, & ex Scoto. Nam, inquit, *plures intellectiones diſtinctæ non poſſunt eſſe ſimul in intellectu*. Idem eſt de maj. Et certè illa detentio ordinata eſt à Deo in pœnam, & non eſſet pœna, ſi poſſet æquè liberè, & perfectè attendere ad quodcunque aliud objectum. Adde, quod ex illa applicatione, & conſideratione ſibi ingrata, & violenta ſummè triſtatur, & turbatur, ita, ut non poſſit maturè, & quietè aliis attendere.

Confir. Nam non negamus omne prorſus judicium practicum de bono agibili, aut malo vitando, ſed de bono ſalutari, & perfecto; ergo ſicut Dæmones non poſſunt agere, aut velle bonum meritoriè, aut integrè, ita nec judicare.

Excæcatio etiam iſta in veritatibus practicis venit partim ab eorum malitia, qua pervertitur, ac depravatur judicium.

Objic. contra 2.p. In Dæmone non remanet habitus ſupernaturalis fidei, aut ſpecies infuſæ rerum ſupernaturalium; ergo nec earum cognitio. Prob. conſ. quia cognitio illa eſſet abſtractiva, & per ſpecies ſupernaturales; ſed ſpecies ſupernaturales non manent in damnatis; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. & maj. prob. Nam cognitio illa eſt per ſpecies in entitate naturales, quæ remanſerunt ex

[1] *Ezech.* 28.

ex prioribus ſpeciebus, & cognitionibus ſupernaturalibus, & ſunt quidem ſupernaturales in ſuis cauſis, nempe in illis habitibus infuſis, ſed in ſe ſunt ſpecies, & habitus acquiſiti; & ideò naturales.

Objic. 2. *Dæmones credunt*, inquit ſanctus Jacobus, *& contremiſcunt*: item agnoſcunt Chriſtum, &c. ergo habent habitus, vel actus fidei ſupernaturalis.

Reſp. neg. conſ. Nam illa credulitas, & cognitio eſt ex fide naturali acquiſita ex actibus, vel habitibus præteritis, & amiſſis; vel ex eo, quòd viderint, vel audierint ab aliis.

Objic. con. ult. par. Intenſior attentio ad ignem facit Dæmonem magis ſcientem; ergo non excęcat, ſed potiùs illuminat Dæmonem in judicio etiam practico.

Reſp. neg. conſ. Nam licèt illa attentio intenſiſſima ad ignem non minuat cognitionem illius objecti, tamen minuit attentionem ad alia.

## CONCLUSIO III.

*Voluntas Dæmonis quoad libertatem, & inclinationem naturalem non eſt læſa intrinſecè in ſua ſubſtantia, ſed tantùm extrinſecè per privationem omnium donorum, & gratiarum ſupernaturalium tam habitualium, quàm actualium.* Eſt etiam communis, maximè quoad 2. partem.

Prob. 1. ex Scoto [1] jam adducto circa obſtinationem ejus in malo, & inconvertibilitatem. *Voluntas*, inquit, *reſpectu rectæ volitionis eſt principium activum partiale.... illam habet integram ſecundum Dionyſium, & eandem, quam habuit in ſtatu innocentiæ, ſed quia voluntas in puris naturalibus non poteſt velle meritoriè, quia non eſt in poteſtate ejus habere gratiā*, &c. Et addit ex Auguſtino, quòd *certum eſt Deum nunquam daturum eis gratiam* ... Et, *Impoſſibile eſt Deo, de potentia ordinaria, eis gratiam dare.*

Prob. 2. ex Scriptura, qua conſtat, Deum non peperciſſe [2] *Angelis peccantibus, & eos, qui non ſervaverunt ſuum principatum ... vinculis æternis ſub caligine reſervatos*, &c. ergo gratias omnes irremiſſibiliter amiſerunt.

Prob.

[1] 2. *d.* 7. *H.* [2] *Juda* 1.

Prob.3. ex Patribus. Nam Damaſcenus [1] impœnitentiam Dæmonum tribuit defectui gratiæ, non læſioni voluntatis. *Angeli ideò pœnitentiæ incapaces, quia carent gratia neceſſaria ad pœnitendi modum debitum*, inquit Damaſc. Idem docet Gregor. [2] *Deus apoſtatam Angelum nunquam ad pœnitentiam vocat*. Et Dionyſius à Scoto cit. docet, quòd in Dæmonibus *non eſt mutatum bonum univerſum, quod eis tributum eſt*, ſcilicet bonum naturæ, *ſed ipſi à toto bono, quod eis datum erat, deflexerunt*, &c. *Data Angelis dona nequaquam mutata dicimus*, ſcilicet dona naturæ, *ſed ſunt integra, & ſplendidiſſima*.

Prob.4. quia ſicut non læſi ſunt in intellectu, ita nec in voluntate, ſicut nec in aliis naturalibus, ſed quoad gratias, & alia dona, cùm ſint in termino, & extra ſtatum, in quo illis poſſent eſſe utiles gratiæ, & earum amiſſionem irreparabiliter meruerint, juſtè illis ſpoliantur. Ideò dicit Fulgentius, [3] *Sicut beati nullas in ſe malæ voluntatis reliquias habebunt, ſic damnati nullam bonam habere poterunt voluntatem*. Si quæ objici poſſint, ſoluta habes ſuprà, ubi de obſtinatione eorum.

## CONCLUSIO IV.

*In voluntate Angelorum eſt aliqualis dolor, qui eſt vera triſtitia*, & quidem ſumma, ſeu pura ſine admixtione veri gaudii. Eſt de fide quoad 1. p. & communior quoad alias.

Prob.1.p.1. ex Scoto. [4] Dolor carnis, inquit poſt Auguſtinum, *eſt tantummodò offenſio animæ ex carne, & quædam ab eius paſſione diſſenſio, ſicut animæ dolor, qui nuncupatur triſtitia, eſt ab iis rebus, quæ nobis nolentibus accidunt.... Triſtitia autem eſt propriè in appetitu intellectivo, aut in voluntate, & conſequens ex apprehenſione alicujus objecti noliti. Primum, ſcilicet dolorē propriè dictum, non oportet quærere in Angelis, ſive animabus ſeparatis, niſi fingatur, quòd in ſpiritu ſeparato ſit appetitus ſenſitivus, & ſenſus*, &c. ergo ex Scoto, in Dæmonis voluntate eſt aliqualis dolor, nempè triſtitia.

Prob.

[1] 3. *fid.* 18. [2] *mor.* 3. [3] *de fid.* 3.
[4] 4. *d.* 44. *q.* 2. *A. n.* 5.

Prob. 1. ex Scriptura cit. qua conſtat, quòd [1] Deus *Angelis peccantibus non pepercit*, &c. Et [2] quòd Diabolus *immiſſus eſt in ſtagnum ſulphuris*, *ubi & beſtiæ, & Pſeudopropheta cruciantur die, ac nocte*. Item dicitur, quòd damnati in igne *non habent requiem die, ac nocte*. Et quòd [3] *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Et [4] *Quid clamas ſuper contritione tua? inſanabilis eſt dolor tuus.* Ergo in Diabolis eſt unus aliquis cruciatus, ſeu dolor perpetuus ſine intermixtione gaudii.

Prob. 3. ex Patribus citatis ſuprà, qui veros aliquos cruciatus, & tormenta in damnatis omnibus agnoſcunt, non quidem ſenſibiles, ſed ſpirituales.

Prob. 4. Nam verus, & proprius dolor eſt in ſenſibus, & in appetitu ſenſitivo, vel in anima ipſis unita; ergo in Angelis, qui ſunt purè ſpirituales, non poteſt eſſe, niſi in appetitu intellectuali, ſeu voluntate; ergo non eſt propriè dolor, ſed paſſio ſpiritualis, nempè triſtitia.

Quòd autem inſit eis talis dolor, prob. ex eodem Scoto, [5] quia voluntas Angeli non minùs habet objecta diſconvenientia, quàm appetitus ſenſitivus noſter, & tales ſunt privationes gratiæ, & gloriæ, & alligationes ad ignem, ad tenebras, &c. ergo tam voluntas ejus eſt ſuſceptiva doloris, & triſtitiæ. Prob. ant. ex Auguſtino cit. *Quemadmodùm dolor carnis*, &c.

Prob. 2. p. 1. ex Scoto [6] dicente, quòd cognitio ignis, prout præcedit nolitionem, non cauſat delectationem in potentia, ne quidem in illo priori, quia, inquit, *in eodem inſtanti habet triſtitiam vehementem, & illa excludit omne gaudium, non tantùm contrarium, ſed etiam impertinens*, ut hic, &c.

Prob. 2. quia tam pura, & magna eſſe debet pæna, triſtitia, & dolor damnatorum, qualis, & quanta eſt delectatio Beatorum, nam contrariorum eadem eſt ratio; ſed gaudium Beatorum eſt ſine admixtione veri doloris; ergo & dolor damnatorum debet eſſe ſine admixtione veri gaudii. Prob. min. 1. tum ex Script. [7] *Abſterget Deus omnem lacrymam* ab

[1] 2. *Pe.* 2 [2] *Apoc.* 14. [3] *Iſa.* 66.
[4] *Jerem.* 30. [5] 3. *d.* 34. *H.*
[6] 4. *cit.* [7] *Apoc.* 7. & 21.

*ab oculis Sanctorum*, *& mors ultra non erit*, *neque luctus*, &c. tum ex ratione, quia gaudium Beatorum erit perfectum, quod non eſſet, niſi excluderet omnem triſtitiam; & ſimiliter pœna Dæmonis non eſſet ſumma, nec vehemens, ſi compateretur aliquod verum gaudium. Nam ex Philoſopho, *voluptas vehemens pellit dolorem*: ergo & dolor vehemens, quales ſunt ſine dubio dolores Inferni, expellit omne gaudium.

Confir. ex eadem Scriptura. Nam ſi Tobias ob cæcitatem dicebat, *Quale gaudium mihi eſſe poteſt*, *qui lumen Cœli non video*? ſcilicet lumen temporale, quid erit de illis, qui lumine cœleſti, & divino æternùm privari ſe intelligunt?

Prob. 3. Nam, ut notat Doctor, [1] ſi non niſi per miraculum potuit Chriſtus unire cum ſumma beatitudine dolores mortis, & triſtitiam illam mortalem, ita non poteſt ſine miraculo uniri ullum verum gaudium cum doloribus Inferni, qui ſunt vehementiſſimi. *Probabile eſt*, *quòd Deus ad hæc non concurrit*, *ſi aliqua illis contingunt*, *de quibus poſſunt gaudere*, *ut cùm hominibus nocent*, &c.

Dixi autem *ſine admixtione veri gaudii*. Nec enim puto, eos per omnia torqueri, & maximè cùm ſatisfaciunt nequitiæ, & malitiæ ſuæ, & odio tum in Deum, tum in homines, quos ad peccandum pertrahunt; ſed loquor de vero aliquo, & reali gaudio, quo pœna illorum vel interrumpatur; vel minuatur per aliquod levamen. Imò in ſuis iniquitatibus magis ardent, & torquentur, & quòd aliàs eſſet conſolationi, fit eis tormentum, ut recordatio voluptatum præteritarum. Dicunt enim præ dolore, & deſperatione, *Erravimus in via iniquitatis*... *Nos inſenſati*, &c.

Objic. 1. con. 2. p. Auguſtinus [2] dicit, quòd in pœnam peccati data eſt Angelis poteſtas in homines, & *de hac infelici poteſtate lætantur*, *qui anteà gaudebant de ſublimi veritate*. Et David [3] orabat, *Ne quando dicat inimicus*, ſcilicet Diabolus, *prævalui adverſus eum*, & *Qui tribulant me inimici mei*, *exultabunt*, *ſi motus fuero*, &; *nec delectaſti inimicos meos ſuper me*, &, *Nequando ſupergaudeant mihi inimici mei*, &, *Non gaudebit* *ini-*

[1] 3. *d*. 15. [2] 2. *con. Manich*. 17.
[3] *Pſ*. 12. 29. 32. & 40.

*inimicus meus ſuper me*... Et Sapiens[1]monet, *Si præſtes animæ tuæ concupiſcentiam , facies in gaudium inimicis tuis*. Sed tales inimici hominum ſunt Dæmones; ergo in Dæmonibus ſunt aliqua gaudia.

Reſp. ad maj. ea loca litteraliter intelligi de hominibus malis, & inimicis, moraliter verò poſſe quidem applicari Dæmonibus, ſed de gaudio apparenti, & juxta modum noſtrum loquendi, quo concipimus aliqualem ſatisfactionem in illis, qui faciunt, quod volunt. Nam illi ſucceſſus nati ſunt de ſe cauſare aliquam complacentiam,ſed in Dęmonibus illa complacentia eſt cum tormento potiùs,quàm cũ vero gaudio.

Objic. 2. ex Scoto. Lætitia ſaltem in gradu remiſſo non eſt incompatibilis cum triſtitia, & dolore, ſicut nec aliquis gradus frigoris cum calore non ſummo; ſed triſtitia ,& dolor in Dæmonibus non eſt ſummus, alioqui eſſet æqualis in omnibus, licèt demerita non ſint æqualia; ergo, ſaltem in omnibus, triſtitia Inferni poteſt ſtare cum aliquo vero gaudio. Prob. maj. Nam voluntas, ſeu appetitus Dæmonis non eſt incapax gaudii de ſe; ergo, &c.

Reſp.diſt.maj.& conſ. de poſſibili con.de facto neg. maj.& conſ. Nam ex fundamentis concluſionis patet, quòd ſicut gaudium Beatorum eſt purum, ita & dolor damnatorum erit purus.

Objic. 3.Deus punit citra condignum, & aliquid miſericordiæ ſemper eſt admixtum rigori; ergo & aliquid gaudii admiſcetur ex miſericordia pęnis juſtitiæ.

Reſp. con. ant.& neg. con. Punit citra condignum, quia leviores ſunt penæ, quàm reatus. *Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti*, ſeu annihilati. De hoc aliàs,ſicut & de aliis,quæ pęnas inferni concernũt.

Hæc de Angelis tam bonis, quàm malis dicta ſufficiant, ad laudem, & gloriam Dei conditoris, Reginæ Angelorum, Seraphici Patriarchæ, & Sebaſtiani Patroni.

F I N I S.

ANT 1317841

[1] *Eccle.*

Digitized by Google

Digitized by Google